REVERENDI PATRIS

STEPHANI CSETE

E SOCIETATE JESU,

PER HUNGARIAM, & TRANSYLVANIAM HABITI AD POPULUM

SACRI SERMONES.

OPUS DOMINICALE.

QUOD EX POSTHUMIS AUTHORIS EJUSDEM LUCUBRATIONIBUS EXCUSSIT, APPARAVIT, & DESIDERIIS ATQUE MUNIFICENTIA INCLYTI STATÛS CATHOLICI TRANSYLVANIÆ, ANNO POST AUTHORIS è DACIA REDITUM QUINQUAGESIMO: IN SALUTEM ANIMARUM, EDIDIT;

P. JOANNES GYALOGI, EX EADEM SOCIETATE JESU.

BIBLIOTECA ASTRA SIBIU

BENEDICITE CETE

CLAUDIOPOLI,
Typis Academicis Societatis JESU Anno. M.DCC.L.

876
95

FACULTAS
R. P. PROVINCIALIS.

EGo infra ſcriptus, per Provinciam Auſtriæ Societatis JESU Præpoſitus Provincialis, poteſtate mihi facta ab A. R. P. Noſtro, FRANCISCO RETZ, Præpoſito Generali; facultatem concedo, ut R. P. STEPHANI CSETE. ejusdem Soc. JESU, per Hungariam, & Tranſylvaniam habiti ad populum *Sacri Sermones*, ſive *opus Dominicale*, à P. JOANNE GYALOGI Societatis noſtræ Sacerdote apparatum, & ab ejusdem Societatis Reviſoribus lectum, & approbatum, typis mandetur. In quorum fidem has ei literas manu mea ſubſcriptas, & conſuetô Officii ſigillô munitas dedi. Claudiopoli, 21. Junii, 1748.

L. S.

Auguſtinus Hingerle.

EXCELLENTISSIMO,
AC
ILLUSTRISSIMO COMITI
GUBERNATORI,

EXCELLENTISSIMIS, ILLUSTRISSIMIS, REVERENDISSIMIS, COMITIBUS, AC BARONIBUS, PER INCLYTUM TRANSYLVANIÆ PRINCIPATUM STATUS CATHOLICI PROCERIBUS, AC UNIVERSO PATRITIO ORDINI:

DOMINIS MECOENATIBUS

GRATIOSISSIMIS:

COLLEGIUM SOCIETATIS JESU CLAUDIOPOLITANUM
PERPETUAM FELICITATEM P.

Singularis Vestra *Inclyti Patritii, à Majoribus cum sanguine derivata in Ordinem nostrum humanitas, perpetuáque benevolentia, quâ Annó ab Divi IGNATII Parentis, ac Conditoris nostri excessu, tertio ac vicesimo, Societatem vix natam excepistis; adultam, multísque procellis jactatam sinu* Vestro *complecti nunquam desinitis: reposcebat à nobis publicum reciprocæ gratitudinis monumentum; nisi Catholici Nominis merita augustiora reddidissetis, quàm ut ab tenuitate nostra Vectigales ullo tempore gratiæ reddi possint. Quemadmodum enim Christi servis deesse non possunt quibus jactentur pericula eò ampliora, quò in Christianam Rempublicam majora conferre bona moliuntur, utpote immortalia: ita sine*

Anno 1579.

lachrymis minima JESU Societas meminisse vix potest, celeberrimis illis ab hominum memoria Christianæ Religionis exiliis & jactationibus, sese sinu complexúque Vestro *conservatam, ac tot Illustrium periculô Familiarum quoad licuit, fuisse defensam; nempe qui manipulum hunc ab Hungaria, Sarmatia, ultimáque Hesperia divinitus submissum non secùs, atque* Angelum Dei *excepistis; progredientem deinceps, atque in animarum lucra incumbentem, sicut* Christum JEsum *fovistis. De qua Christianorum natione illustriora in minimam hanc Societatis sobolem charitatis documenta scribentur? Serenissimorum* BATHORIORUM *Principum beneficentiam quænam Orbis terrarum Provincia, ubi suam noster ordo sedem, domiciliúmque fixerit, ignoret? ut enim primis Ecclesiæ nascentis incunabulis divino promittebantur oraculo Reginarum ubera, quibus nutriatur, & purpura Regum, quâ foveatur: haud imparisanè providentiâ novissimæ huic soboli duos admirabili religione Principes, hujus Claudiopolitani, atque Albani Collegiorum in Dacia Conditores, obtigisse nutritios Parentésque gloriamur. Pari deinceps ardore generositatis tantis institêre vestigiis posterioris ævi clarissimi Patritii, æternô providentiæ donô geniti:* MIKESII, KORNISII, HALLERII, GYULAFFII, PETKII, BELDII, SARMASAGII, TRAUSNERI, *novissimè* APORII:

ROMANÆ DEFENSORES ECCLESIÆ.

Quem illi lapidem intactum reliquêre seu pro amplificanda ab tenuibus initiis Societate JESU, sive deinde retinenda, conservandáque? quemadmodum enim in hoc qualicunque manipulo, veluti semine renascituram avitæ Religionis integritatem satis ominabantur, sic conversis brevi scenis per innocentium

late-

latera peti cor Ecclesiæ nemo non videbat, ut vallis antemuralibus hôc artificiô disjectis, pateret in ipsa Religionis Sacro-sancta viscera grassandi licentia. Id quod ego è domestico calamo vererer apud Vos *eloqui, nisi omnium ore celebraretur* Stephani Bocskai *Principis Catholico nomini longè infestissimi vox: qui hac*
Anno 1605. *ipsa in Urbe, cùm de decernendo nobis exilio dissidere Ordinum suffragia dolens animadverteret: sese non aliâ magis, atque Societatis eliminandæ gratiâ illud in Transylvaniam iter suscepisse palàm contestatus. Cujus demum, annus qui consequebatur,* Stephanum *voti compotem fecit, felicem! si curam, ac vigilias ad* Divi *potiùs* Proto-Regis STEPHANI *exemplum publicæ saluti procurandæ impendisset! Quid enim Societas inermis cum armatis valuit? nisi ut rebus omnibus nudata quartùm Provinciâ exul excederet. Sed quia servi Christi didicimus exilia numerare in beneficiis, & quando magna agere non licuit, magna perpeti; nescio, proscriptionis illatæ theatrum declinavimus tunc magis, an mutavimus? ut qui tot annos Majorum* Vestrorum *religione, fide, silentio potiùs quàm peregrino protecti habitu, amantibus præsentes fuimus, inimicis remotissimi. Sacrariis summam per injuriam direptis, Castrorum* Vestrorum *parietes, Basilicarum subiêre vicem. Quid illis tunc domiciliis sacratius? Legibus Ecclesiæ Romanæ sanctissimis passim proculcatis, ac derisis, hìc Jejunia, hìc Sacrificia, hìc Festa, Cælitésque sibi quæsivêre securitatem, ac portum. Erant inquam tecta illa tunc pietatis, pudicitiæ, disciplinæ Christianæ fugientis asyla quæpiam: inde desertis Nobilium orphanis cura virginibus educatio, agris, oppidisque sacrorum mysteriorum indeficiente alveo copia promanabat; huc* Vestræ *facultates, huc opes amplissimæ collatæ vertebantur in mammas, & ubera, ad quæ ex omni Provincia pendebant inopes; inde ætas, sexúsque omnis*

non tam alimoniam, quàm Catholicæ ſugebat pietatis ardorem. Atque palàm eſt, hujus beneficentiæ fontibus illud divinitus obtigiſſe præmium, ut perſecutionibus, Religionis avitæ dignitas premi quidē potuerit, ſed adeo non opprimi, ut conſtantiæ Veſtræ *tantò ſublimiùs eluctaretur flamma, quantò plùs deprimebat invidia: nam, quæ fere una de tot ruinis ſuperaverat* Kolos-Monoſtorienſis *quondam Abbatiæ Baſilica, ad hanc ab omni latè Tranſylvania veluti ad portum, ſinúmque MAGNÆ DOMINÆ noſtræ, Ordo Procerum Clariſſimus admirabili pietate confluebat, ibi afflicti præſidium, morituri ſepulchra metabamini. Nobis etiam mutis,* Lapides loquuntur *dona ex auro, ſerico, margaritis; & nequid Majorum pietate vinceremini, hujus ipſius Academiæ Baſilicæ auguſtus apparatus,* Veſtris *non plus decenniô curis, auro, munificentiâ ſurrexit in ea urbe, ad quam Catholico Societatis Gymnaſio poſt* LIV. *exilii annos reditum* CLEMENTIS MIKESII *immortali beneficio jure adſcribimus: cujus poſtea quàm fortiſſimum Chriſtianitatis*

Anno 1660. *munimentum, Varadinum amiſimus, Comitialibus ſuffragiis una heroica vox arietis inſtar, latos juventuti*

Anno 1707. *ac Magiſtris in hanc urbem aditus patefecit. Hìc ſtetiſſe nos civili ultimo decennali bello incolumes, non abs re mirabitur, qui Societatis noſtræ profligatam foris in Hungariæ Regno ſub idem tempus fortunam meminerit; potuiſſe nos ea in Provincia, quæ tabulis legum, quæ veteribus in Jeſuticum nomen odiis armabatur, talem tantúmque in auctoritatis, ac benevolentiæ* Veſtræ *ſinu portum reperiſſe, ut illi decreta, tabulæ, leges omnes reverentiâ quâdam cederent; dum foris, ubi leges faventes, amicorum gratiam, ſinum Matris Hungariæ communem obtinuimus: ruptis tot ſecuritatis, & amicitiæ vinculis, patriâ pene omni deportari juſſi ſumus. Quis non ſentiat, plus ſæpe in charitate civium, ac benevolentiâ, quàm in Legi-*

bus

bus ſitum eſſe præſidii? Sed parum Vobis *ad animi* Veſtri *conſtantiam fuerat, ſtetiſſe firmam illa tempeſtate Societatem, niſi cernere jam poſſitis, illam Legum cataſtis aliquando liberatam, & qua* BATHORIIS *regnantibus floruit, avitæ libertatis juribus reſtitutam gratulari. Quod dum agitis Patritii Nobiliſſimi: dubitationem omnem nobis ſuſtulit* Veſtræ *à Majoribus in nos derivatæ humanitatis recordatio, cujusnam hoc Sacrarum lucubrationum volumen Auſpiciis conſecratum iremus;* Veſtro *nimirum Nomini, ac Dignitati qualecunque hoc vectigal amoris debebatur eô etiam nomine, quod poſthuma iſthæc lucubratio non omnino conſpectibus* Veſtris *peregrina adveniat, cujus Author ſuperſtitum hodie non paucorum memoriâ deſiderium ſui accendit.* P. STEPHANI CSETE (Vobis, SIGISMUNDI VIZKELETI) *nomen, rêſque Quinquaginta abhinc annis geſtas quænam regio ignorat? Quis virô illô Salutis, ac Dignitatis* Veſtræ *ſtudioſior, ac nominis vixit amantior? Quis locus Tranſylvaniæ Prædicationis illius ſono exhilaratus, ſudoribus madefactus non extitit? In quam oram* Bovis *iſtius* Cherubici *pro Domo DEI mugitus non penetravit? Quod caſtrum Catholici nominis fuit, quò non ille vocatus? Quis conventus, quæ Comitiorum frequentia quò non adivit? Quænam Exequiæ majorum more ſplendidiſſimæ, ubi non fulminea viri eloquentia ac ſapientia Catholici nominis dignitatem ſuſtentavit? Superfluum eſt pertexere apud memores animos laborum vicennalium indicem, faciléque induco in animum, ut Viri magno Tranſylvaniæ bono geniti Conciones Sacras approbatione quondam, at frequentiâ* Veſtrâ *celebratas, Clariſſimo Nomini* Veſtro *inſcribi patiamini: ut quorum immortali bono hìc omnes conſecrati ſunt apices, ab eorum auctoritate tutelam ſibi, atque ſplendorem mutuentur. Quid enim? Authorem in hac Patria tan-*

tùm

tùm dicendi copiâ profeciſſe, Gratiæ idipſum Veſtræ *imputandum venit, quâ in pectorum* Veſtrorum *fundum tantumnon illi jus, dominiúmque contuliſtis.* Sigismundum Vizkeletium *Mater edidit hominem, Academia Theologum,* Tranſylvania *fecit* Oratorem; *Auditorum benevolentia quâ ubique fulcimur, tanti apud eruditos ſemper habita eſt, ut Oratorum Princeps aſſerere non dubitaverit:* Quantamcunque Eloquentiæ dignitatem jacere, niſi Civium Charitate ſuſtentetur, & gratiâ; quacum mediocrem etiam dicendi facultatem animorum Imperium obtenturam. *Paris nunc humanitatis erit Inclyti PP. in hoc qualicunque pignore tum viri veluti è tumulo redivivam capere effigiem, cùm etiam in ea noſtræ in Nobiliſſimum Catholicum Ordinem perpetuæ ſervitutis authoramentum benignè ſuſcipere; quô devinctiùs Sociorum manipulum, atque domicilia, ut ſemper feciſtis, auctoritatis* Veſtræ *præſidio fulciatis ad DEI Dominíque noſtri obſequium: ab eodem, & temporalem Regni* Veſtri *felicitatem, & immortalem expectaturi coronam. Ex Collegio Claudiopolitano, Kal. Februariis,* 1750.

Vovet, & precatur:

Humillimus in Chriſto Servus,

JOANNES GYALOGI, Soc. JESU.

QUI VIR FUERIT R. P. SIGISMUNDUS VIZKELETI?

Sacramentum Regis abscondere bonum est (*Azariæ* depositio nomine, ajebat in Tobiæ domo Angelus) *opera autem Dei revelare honorificum.* Tum etiam Christi OPT. MAX. exemplo didicimus, pro varietate temporum tenebras ipsas esse in beneficiis numerandas, quæ sancta, & margaritas celarent, & subducerent oculis, quibus videri non debent: quando & ipse Unigenitus Divinitatis suæ purpuram, mortalitatis nostræ cilicio abscondit, & sic oculis inimici objecit carnem, ut aliquantisper occultaret DEUM; *Non quòd* (ut ait Mellifluus) *DEUS si palàm opus suum facere vellet, impediri posse ab illo metueret; sed quia ipse in hoc magnifico Opere suo, nostræ videlicet reparationis, non tantùm potentiam suam, sed & prudentiam ostendere voluit.* Quid? quòd ipsa Natura dulcem amygdalorum nucleum duro occultavit cortice. Venatoribus togæ virides, & silentia prosunt, & quæ prævolat fama, dispositis nocet artificiis. Antistites, alii sago militari, alii habitu medici, peregrinorum dogmatum peste vitiatas obibant Provincias, eò salutariùs, quò persecutorum oculis minùs suspecti. Quid plura? *Fabula mutato cantatur nomine, de te,* Societas JESU Dacica! Exuta fortunis omnibus, pulsa, in ultimam Thulen deportata; nonaginta annos exul, & domi; in tenebris, & aprico sole; absens persequentibus, amantibus præsens, conjunctissima Transylvaniæ, cùm remotissima esse credebaris. Sed, *Nihil est opertum, quod non reveletur, & absconditum, quod non sciatur.*

Tob. 12. 7.

Homil. 2. super Miss. est.

Hor. in Ars.

Luc. 12. 2.

SIGISMUNDI VIZKELETII nomine, habitu Petrino, barbâ prolixâ, suam annos propemodum viginti dissimulabat Personam R. P. Stephanus Csete Soc. JESU Professus: hic ille est in basi Columnæ Marianæ *Cetus coronatus*, ac in Lavatorio domi marmoreo, cum Epigraphe: *Benedicite Cete & Omnia.* Author oculis legebatur, & ignorabatur.

Occulti nominis index ac symbolum in statua.

Ejus Patria, & educatio.

P. STEPHANUM, Sellya, Nitrienſis Provinciæ, celebris ea ætate adversùs Ujvarienſium Turcarum procurſiones munitio, quæ duo equitum millia armabat: in lucem protulit An. 1648. Puerum ſanguine militari creatum, Tyrnavia humanitatis ſtudiis, Trentſinium ſcholâ Spiritûs excoluit, Vienna Auſtriæ Theologum in Patre STEPHANO apparavit ejus nominis, ut Univerſitates illum pæne Tranſylvaniæ inviderint dari Magiſtrum. Collucebat tum temporis Vienna Turcarum ignibus, qui extremi orientis viribus Auguſtam illam Cæſarum Regiam circumſedebant ſummo orbis Chriſtiani periculo. Tranſylvaniæ quantò pacatior erat Turcarum amicitiis dominatio Apaffio Principe, Eccleſiæ Catholicæ res eò periculoſiore loco ſtabant, Provinciâ omni diligentiſſimis excubiis firmatâ, ne adversùs Leges Sacerdotibus ſibi ſuſpectis ullus pateret aditus. At charitati omnia ſua ſecum portanti, faciles aditus etiam rima præbet; quippe pro amore & cura, quam Tranſylvaniæ ſalutis maximam jam inde ab incunabulis noſter Ordo ſuſcepit: Patri STEPHANO, nondum explenti tertiæ Probationis annum, ſacra hæc expeditio decernitur, quòd egregiæ animi corporísque dotes ad eam provinciam laborum feracem apparâſſe juvenem videbantur; cùm illum arctè complexus Præſes, obedientiæ conjunctum ad ardua fervorem animi, divinarum benedictionum ſponſorem fore præmonuit; in quarum pignus Crucifixi effigie eâ ipsâ, quam Cæſ. Ferdinandus II. Patri Lamormainio, quem à ſacris Confeſſionibus habebat, donô obtulerat: tanquam viæ comite ac duce donatum abs ſe dimittit; ille in uno Salvatore opes, arma, commeatum detulit; *Longitudinem, & latitudinem, & ſublimitatem & profundum CRUCIS, ac ſupereminentem ſcientiæ charitatem Chriſti*, antè contemplaturus fidei oculô, quàm explanaret oraculô. Tali teſſerâ armatus cùm ab Hungaria impenetrabiles in Daciam aditus inveniret, inſtituto per Sarmatiæ fines itinere, *Albam Juliam* ipſo Dominici Natalis pervigilio fauſto omine attigit; fortè Regni Comitia ea in Urbe coacta aderant, dum Superiore lecto affixo, nec temporis ad ſeſe colligendum inopiam, neque attritas itineribus vires deprecatus; ſacratiſſimo illo quatriduo ad Nobilem Concionem hoſpes ac tiro verba fecit, divini jam tum oraculi vim præſagiente animo, fore, ut *Vir obediens loquatur victorias*. Et verò ab tam felice impetu famæ claritudo, ſacrarúmque Concionum guſtus in viro augeri in dies animadverſus; id effecit, ut in hujus Provinciæ candelabro quodam ac theatro tot oculis auribúsque mortalium expoſitus, tantum dicendi copiâ ac ſapientiâ profecerit, ut omnium Ordinum perpetuâ benevolentiâ & gratiâ deinceps annos viginti audiretur.

Ingreſſus in Daciam

Eph. 3. 18.

Albam Juliam adventus.

Prov. 21. 28.

In quo ſtatu ejus Viti ſcripta?

Eccleſiæ Catholicæ majeſtas, ac Societatis (quibus id ſcire licuit) exiſtimatio, animorúmque emolumenta quotidiano jam uſu perſpecta, quas ſubdiderint viri charitati faces, ut ne labori, vigiliis parceret, duplicandóque induſtrias, cum Joſue duos ex uno dies efficeret; documento ſint aliquot Concionum centuriæ, XXXVI. Voluminibus comprehenſæ. *Apem argumentoſam* dixeris! Utinam nativum popularis eloquentiæ ſplendorem & gratiam aut ille pari felicitate in charta adumbrare, aut ego ſtylô imitari valuiſſem! Ipſe, qui dicentem olim audieram, &

poſt-

posthumas lucubrationes latinas pervolutavi diligentissimè; non diffiteor, in Hungarici sermonis elegantia, multa elocutionis ornamenta cum mortuo interiisse, ipsúmque de propriis scriptis ingenuè confessum esse: *Ubi* (inquit) *os meum apponere non possum, nihil sunt omnia.* Ea quippe, quæ ipse in chartas conjiciebat properè, tot curis pressus: erant prima dicendarum rerum lineamenta, sive res ipsa in se spectetur, seu Oratoriæ formæ dicendi, stylúsque considerentur; utrisque nova succedebat lucubratio (quam de tot marginalibus notis conjicio, juxta illud: *Posteriores cogitationes meliores*) quibus nervosa ingenii vi comprehensis, ipse ex suggesto vim, lucem rebus, & spiritum indebat admirabilem; ut si forsitan quis adversùs conceptuum, quos in charta legisset, obscuritatem, vocúmque humilitatem quereretur, prehensa cum *Nazianzeno* manu obtrectatori diceret: *Veni in Basilicam, in qua mihi populo acclamante cogéris invitus scire, quod nescis.* Et verè in ejus lumine non solùm videbant lumen omnia, quod est doctoris; sed etiam propendebant ad motum, quod Victoris est; ad quod faciebat plurimùm, vimque mirificam in animos, & quoddam telum imprimebat, donum, quô præditus erat, lachrymarum. Atque hæc illa altera vena est, quam ego omnibus dicendi ornamentis potiorem duco: *Ostensio spiritûs, & virtutis*, quam ponebat Author in sacras utriusque Testamenti auctoritates tractandi atque interpretandi ratione, non aliena ac distorta, sed quàm maximè propria ac nativa: cùm enim probè nósset, cujus ipse legatus atque internúncius esset, nempe Dei, qui ait: *Quem mittam? & quis ibit nobis?* non suis (nihili sui memor) sed illius, à quo mittebatur, verbis omnia confirmat, cœlestibúsque sententiis adeò inhærentem ubique doctrinam promit, sícque in centro pertractat, tanquam nihil uspiàm sacris in Codicibus, nisi unica illa fidei veritas inculcanda superfit; nimirum ubi belli caput, eò tota rationum acie incumbit, quas unicuique argumento proprias, maximéque idoneas reperiendi felicitate, parique eadem tractandi flectendíque artificio (quæ aptè dicendi maxima pars est) Auditorum ut plurimùm accommodabat se se genio: Transylvaniam quippe ùt auri & opum, sic ingeniorum semper feracem extitisse matrem, Sectæ vel ipsæ loquuntur: quas non genio, ventríque faventes nescio quas, sed ab ultimo Oriente, mox à Francia ingeniosas merces petivimus malô nostrô Hungari: ut quantò altiora scrutaremur *Trinitatis*, Divinarúmque arcana *Prædestinationum*, lapsu tantò profundiore periremus.

S. Hier. ep. ad Nepot. Dicendi efficacia & spiritûs.

1. Cor. 2. 4.

Isa. 6. 8.

Accommodato ad Transylvanos dicendi genere.

Atque istô eximiæ sapientiæ donô geminos illos fines vir ingeniosus facilè consequebatur, ut & Acatholici non aversarentur dicentem, sed quærerent, & auditoria implerent; domesticis verò fidei volupe insuper erat, in P. STEPHANO oraculum de veteris Ecclesiæ cœlo delapsum colere, & admirari. Nullum pæne castrum Catholici nominis fuit, quod ille non adiit; non Urbs Comitiis frequentissima, in qua ad standum pro Domo Dei, Catholicæ Nobilitati faces non subdidit; domi, ac peregrè, sive feriret majora etiam capita; sive concussos animos veniæ cœlestis spe recrearet, perinde pronis ejus sententiæ auribus bibebantur. Sed qua una in re Diabolus celebres de Ecclesia triumphos ducere videba-

Ad omnes Daciæ Conventus vocatus.

tur, dum mortuis Hæreticorum cadaveribus tantum & frequentiæ & honoris à Concionibus impendi satagebat, ut in damnatis erroribus retineret viventes, quorum vitæ exitum tantâ celebritatis pompâ coronabat; artificium istud Diaboli ad perdendas infelices animas inventum, statuit Orator noster ad grandia Christi lucra commutare; tunc enim nulli parcere vel industriæ, vel itineribus, spe frequentiæ, quam ille tunc amplissimam vel suâmet famâ conciebat; adolescentes eò secum è gymnasio vocis, ac melodiæ venustate præstantes, pro concinnandis defunctorum Elogiis, parentum cognatorúmve supremis Valedictoriis eleganti strophâ promendis, ad funeris locum secum deferre; tum verò ipse pro habitudine animorum (qui instante ante oculos humani interitûs imagine, ad omnes tunc motus maximè comparati sunt) æternas fidei veritates co pondere, câque doctrinæ ubertate, atque ardore perorabat, ut multos religionis desertæ pudor incesseret, cujus integritas, ac majestas vel ab invitis extorquebat reverentiam, utinam & sequendi voluntatem! Ipse adeò MICHAËL S. R. I. Comes TELEKIUS, Armorum Præfectus, quâ tunc columnâ res Transylvaniæ publica nitebatur, magísque regnante Principe timebatur; non diffitebatur, si *Vizkeletiana* oracula contingat pluries sibi audiri, se Catholicæ Ecclesiæ dexteram daturum. Quo tempore, animadvertens circumfusam juventutem, ac Ministros, quoties è sacris oraculis citaret sententiam, tumultu in Biblia involare censorio quodam jure; aliquamdiu silentio celans temeritatem hominum, sermone repentè ad ipsos conversо: *Vel scitis*, ajebat, *ex Scripturis me loqui, vel nescitis? si nescitis, ecquid apud imperitos Scripturarum jactatis peritiam? Aut si scitis, quid intempestivo isto strepitu venari verba mea necesse?* In eam vocem admurmuratione populi facta intulit: Christum mundi Doctorem cùm ad Concionem diceret, non *versum*, non *caput* Testamenti uspiam nominâsse, dixisse sat erat: *scriptum est! aut eum*, inquit, *merem deinceps servare statuam, aut vos mihi obstrepere desinetis.* Quæ vox, unà omnium manibus codicem, & animis jactantiam excussit. Quàm piè doctéque Catholica propugnabat dogmata, tam solidè acritérque adversariorum confutabat errores, & maledicta refellebat, Apostoli verbis usus: *In quo quis audet, audeo & ego.* Difficultatibus, quales Tosæus Superintendens adversùs Eucharistiam, & olim Lucianus, ac gentiles objiciebant: *Christianos Deum suum comedere, quod comeditur, digeri &c.* Satisfaciebat lucidiùs, sapientiúsque, quàm ut respondendo contrà hiscere quis auderet, vel posset. Obturâsse fœtentes lacunas sat erat, acerbitatibus (quas injuriæ dictaret sæpè magnitudo) supersedebat sapientia Doctoris eximii, ut qui commiseratione potiùs tot pereuntium, quàm irâ, incensus, sinum ac suggestum erumpentibus respergebat lacrymis; quod toties actitabat, quoties vehementiorem dicendo affectum in auditore concitaturus, prior oculos ac viscera sibi in lacrymas solvi vidit: quarum donô fiebat, ut Conciones, tanquam victimæ, quas octo & viginti per annos in Tabernaculo DEI immolavit, verè dici possint *Holocaustum pingue*, quale à veri Theophili, & Abelis manu cœlum desiderare possit. Et quid mirum à charitate pectus medullásque incendi, &

intus

Ad Exequias dictione celebrandas.

2. Cor. 11. 22.

Fidei dogmatum propugnator.

Psal. 19. 4.

Ingenii perspica.

intus liquatum amoris adipem per oculos resolvi & foras erumpere? *Stephanus ergo* (de Fulgentii stylo nec apicem demo) *ut Coronam Nominis sui meruisset accipere, charitatem pro armis habebat, & PER IPSAM UBIQUE VINCEBAT.* Charitate solabatur afflictos, erigebat jacentes, terrebat persequentes, orabat sublimes, vaticinabatur supplicia potentibus, Regnóque clades prædicebat; certè flagella publica, quæ vel ipse viginti his annis spectavi testis, comparando cum his, quæ concionantem Regno vaticinatum esse animadverto, venit sæpè in mentem admirari cœlestem ingenii perspicaciam, veluti oculis subjecta cernentem, quæ diu post evenerint; eventura fortasse nunquam, *si cognovisses* ô Transylvania! ô Sanctorum progenies! *& quidem in hac die tua, quæ ad pacem tibi!* quæ *Angelus pacis* tibi interpretabatur.

cia, charitatis ardori conjuncta.

Exeunte Anno sæculari M. D. CC. qui nobis felix faustúsque diluxit: togâ aliquando Petrinâ, cum humili Ordinis nostri permutatâ: R. P. STEPHANUM ab reditu in Hungariam octo deinceps annis duæ Cathedrales Ecclesiæ, admirabili voluptate, ac frequentiâ dicentem audivêre. Jaurini quinquenniô totô Basilica illa amplissima facilè quinque Auditorum millibus referta visebatur; quò ipse à Transylvania celebritatem Funebrem summa cum audientium utilitate (Hungarorum *Cicerô* dictus) & transtulit, & hæreses pariter in triumpho duxit. Conciones ibi habuisse splendidas, characteres posthumi Jaurinensibus in Tomis testantur: & quid mirum (quod de Magno Basilio Nazianzenus ajebat) si *Verba erant tonitru, quia vita fulgur?* Cum illo in suggestum ascendit rerum fama, suimet contemptus, lacrymæ, senectus præcipitata, atque exhausti in Christi obsequio sudores innumerabiles. Hæc fulgetra vocem cœli præcurrebant. Quot illo tonante mortales inimicitiæ restinctæ? Quænam *Bovis* istius *Cherubici* pro pupillis, viduis, orphanorum causâ mugitibus, Tribunalia non cohorrescebant? divini Tribunalis imagine quis Judicum non concussus? Quot calumniæ, quot ora Hæreticorum illo personante obturata? Quot palantes illo hortante Nicodemi utroque in Regno erecti? quot titubantes confirmati? quot deliberantibus Vigilatæ noctes post subortum illo Doctore Veræ religionis radium? Qui *Quæstorum* speciosô vocabulô veras instituêre rapinas, & qui alibi ne Sancti quidem (liceat sic fari) hîc Deorum sibi sumerent imperium: ad hos, quòd verba enervia essent, comprimendos, Cæsaris implorabat numen; de violentis porrò pauperúmve novis *Dionysiis* ac *Mezentiis*, moris habebat dicere: *In inferno, ubicunque exquisitiora conspexeris supplicia, NOBILEM conjicito.* Transylvaniam, esse theatrum, in cujus frontispicio inscribendum: *Sic & Pater meus cœlestis faciet vobis!* Ut illata Templis, Sacerdotiis, Asceteriis sacrilega manu damna, æquâ Divinæ justitiæ staterâ repensa aliquando conspiciant. Quid? quòd in infinitam illam protelationem juris pauperibus dicundi, ex ejus ætatis vitio! *Olim*, inquiebat: *cùm in mundum scribendi mos intravit, nudabantur arbores, & in phyliris scribebatur; tum animalia decoriabantur, factáque Pergamena: hinc* Monastica Scriptura; *nunc ubi de induciis inventa est charta, denudantur miseri homines. Quamdiu charta erit, Secretarii, Advocati, Deputati, erunt*

Jaurinensium Concionum celebritas.

Dicendi libertas Apostolica.

concilia, erunt judicia, erunt proceſſus; & vacante oppreſsáque juſtitiâ, in omnibus proclamabitur Proceſſus veſter: Reus gehennæ ignis!

Gubernatoris in eum benevolentia.

Ob egregia hæc decora, Georgio Banffio Cæſaris in Tranſylvania Vicario Gubernatori, opibus, auctoritate, potentiâ Clariſſimo, tametſi à ſacris noſtris alieno, longè æſtimatiſſimus erat, quòd Auguſtæ etiam Aulæ perſpectam non ignoraret eminentem viri ſapientiam, fiebat, ut illius, & Cæſaris gratiâ efficeret multa, quæ ab Catholico ſummo Magiſtratu deſiderari poſſint; ut porrò mirum non ſit, ſi Proceres Catholici plerique omnes, P. STEPHANUM, in quo Doctorem in Templo, in congreſſibus Conſilii Angelum, in penetrandis adverſariorum molitionibus lynce perſpicaciorem, in iisque evertendis fortem ac ſtrenuum, denique virum Tranſylvaniæ bono genitum obtigiſſe ſibi gratulati: cenſuerint unum de omnibus dignum, quem ſummi Pontificis auctoritate, votorum ſacramento ſolutum, Albanæ Sedis expeterent Antiſtitem: niſi in viro à dignitatibus longè alieniſſimo metuerent *Stephanum* amiſſuros, & *Epiſcopum* non impetraturos. Neque tamen viri modeſtia efficere potuit, ut Tranſylvaniâ excedens Magni Leopoldi ſeſe oculis ſubduceret, quô cum ſecretum ſapientiſſimus Princeps colloquium habere voluit. Cujus OPT. Cæſaris jam ante novennium clementiâ verè regiâ, adnitente cumprimis STEPHANO noſtro, quæ res evenerit ab triſti initio lætiſſima, hìc ediſſeram. Fortè Nicolaus Comes Bethlenius, Cancellarius ſummus, ab Urbe Auguſta celebre Diploma (*ſacram anchoram* vocant) redux ſecum curru propemodum triumphali afferebat in Provinciam, quô ſanctiones, Legésque Principum prædeceſſorum univerſas ab Leopoldo confirmatas fama vulgabat. Stupere, & cohorreſcere primùm boni omnes, potuiſſe à tam pio, quàm Catholicæ Religionis ſtudioſiſſimo Principe, Eccleſiæ jugulum peti, approbando Leges Catholico nomini infeſtiſſimas; dubitationem increbreſcens jam fama (ùt in re adverſariis jucundiſſima) ſuſtulerat omnem: Cancellarius etiam P. STEPHANO præſente, cervices ſuas ſecuri antè feriendas, quàm ut quæ rata ſemel, conſignatáque ſint, ullius molitione infringantur, palàm edixerat. Tot inter pericula, conſilia, Catholicorum Procerum ad opem velut in communi incendio ferendam concurſus, animo ſemper erectiſſimo conſtitit P. STEPHANUS: qui ſub idem tempus pro concione affirmavit: *Nunquam DEI Eccleſiam ſtetiſſe firmiùs, quàm cùm in eam portæ inferi conjurâſſe cernerentur.* Ergo ad cœleſtia præſidia (res etenim Dei agebatur) imploranda indictis ſupplicationibus, ſeriùs aliquantò, ceſſit tamen propitio Numine ex voto ſententia: Edicti ſui idem interpres, & auctor Cæſar lapsô vix dum biennió, Tordenſibus è comitiis mitti legatos imperat, qui auctoritate publica Albanam Catholicis Eccleſiam reſtituant, mox Claudiopoli (nonaginta ſine Templo anni abierant) *Ovarienſem* cum ampliſſimo quondam Monaſterio conſignarent ædem ſacram, Arianis inde ejectis; novô ſubinde Edictô imperabantur decimæ ab Catholico populo propriis duntaxat Sacerdotibus pendendæ, civibus ùt publicorum onerum, ſic officiorum gradûsque Senatorii communio, in cœtibus magiſtratus æquo cum Catholicis jure dividendus; Cathedra-

Deligendi in Tranſylvaniæ Præſulem multorum conſilium.

An. 1691.

Pro Catholica religione res geſtæ.

Infractus in adverſis caſibus animus.

ticæ

ticæ (ùt vocant) aliquot millium penſiones; ac vectigalia annua in Nobilium adoleſcentum, ſtudioſorúmque victum attribuenda; quódque omnium caput eſt: Excelſi Regii Senatûs, ac Præfecturárum honoribus noſtri auctorandi Magnates edicebantur. Ex iſta ſemente quis non videat incrementa, quæ hodie conſpicimus lætiſſima; quodam veluti è fonte propullulâſſe? Antiſtitem ſedi ſuæ; duásque principes Baſilicas poſtliminio reſtitutas, aucta Ordinum religioſorum domicilia, novam Seraphicam Provinciam, Academiam ſtabilitam; florentia Gymnaſia, Templa à fundamentis excitata magnificentiſſima: grata profectò recordatione Cæſaribus OPT. Pientiſſimísque, & ſtrenuo Dominicæ vineæ operario inter alios P. STEPHANO in acceptis ferre licebit, qui laborioſam, ad frangendam latè glaciem, Deo confiſus, ſecurim ſuſtuliſſet.

In Deiparam R. H. Patronam pietas.

Jam qui pro Chriſti Servatoris noſtri ſanguinis fructu in animabus amplificando tam ardens, quàm fortis extitit & invictus; in ejusdem Sacratiſſimam Genitricem olim hauſtos cum lacte igniculos latiùs explicare cœpit utroque in Regno, quà ornatiſſimis Panægyricis, quibus ad venerationem Magnæ Hungarorum Dominæ animos omnium inflammare conniſus; quà excitatis Virgini Matri columnis ac ſtatuis; quà denique celebrium ſupplicationum auguſto apparatu, qualis ille eſt Aſſumptæ in Cœlos Deiparæ die: quô nihil ſol Dacicus auguſtius, magnificentiúsve ſpectavit. Qui vir pro concione quadam illud graviter, piéque affirmavit: *Si quis gentis noſtræ capitaliſſimus inimicus, conſilium in ſummam Patriæ perniciem ac interitum moliri cupiat, is fruſtra in extinguenda Nobilitate, fruſtra in demoliendis arcibus, juribus, Legibus, avita libertate tollenda operam collocabit; ſed quâ unâ re capitalem accerſet perniciem, illud eſt, elaborare, ut è ſanctionibus, Legibus, Tripartito, auro, iconibus, ſignis militaribus eradat, ubi ubi offenderit in Epigraphen: PATRONA HUNGARIÆ; cujus deletâ in nepotum animis memoriâ, erasâ atque extinctâ, non alio erit opus ariete ad interitum gentis; contrà ſuperſtite tantæ PATRONÆ cultu, actum agi cum omnibus conſiliis.* Utinam hoc illi Patriæ indigenæ altè cordibus inſculpant! qui dum in ſubruendo Cœlitum, & Magnæ Matris cultu (ut ut fruſtra agant) neſciunt conſilia ſe in viſcera Patriæ agitare.

Ejus beneficio Iconem Thaumaturgam poſſidemus. An. 1699.

Sed una reliquis illuſtrior in domeſticam claram prodigiis Iconem Marianam non debuit omitti pietas, quò egregio conatu XX. annorum labores coronavit R. P. STEPHANUS. Quinto ab Urbe hac lapide certiſſimis nunciis ferebatur, bimeſtri ſpatio id eſt, à quinta decima die Februar. ad duodecimam Martii, lacrymâſſe Marianam Iconem interpolatis vicibus ſic, ut biduum nonnunquam ceſſaret, contrà perſæpe diem noctémque integram continuas depluiſſe ab oculo maximè dextero guttas, detersísque novas è veſtigio ſuccedere; cùm è parvuli JESU, quem ſinu ſiniſtram reſpiciente tenet, eadem in tabula, coloribus iisdem depicti oculo, ne minimus unquam mador ab ullo hominum ſit animadverſus: ut Glorioſa Virgo ſuis hiſce lacrymis non aliud, quàm apud Filium ſuum Divinum orare pro Tranſylvaniæ ſalute voluiſſe videatur. Continuò pro

hoc

hoc obtinendo thesauro summis quibusque suscepta pia dimicatio; pe Leopoldum Kolonitsium Cardinalem & Primatem Strigoniensem, ut po tiùs in Urbis hujus lucem fausti ominis Arca illa adduceretur: annuente Cæsare, felix evicit orator STEPHANUS. Continuò è Kornisiano Di vi Benedicti castro (ubi in sequestro attinebatur) sublatum signum Virgineum, Cæsareano stipante milite, triumphali pompâ & gratulatione de ductum, uti vetus *Arca* illa, non uno constitit loco: donec augustiore demum apparatu in Academica SSmæ Trinitatis Basilica, quô primùm die aperta est Annô 1724. in ara principe collocata, claritudinem decúsque non Urbi solùm, sed universæ invexit Transylvaniæ à prodigiis, quibus hodiedum coruscare non desinit: ut jure ejusdem Sacratissimæ Virginis peculiari cuidam, cœlestíque præsentiæ, lacrymis, patrocinio: Societatem Dacicam ultimo civili bello servatam, sedatas contagiones, incendia depulsa, animis corporibúsve exhibita prodigia, fidem propagatam, auctam, defensam in acceptis feramus; veluti Csetianæ in hanc Urbem atque Collegium pietatis immortale donativum ac pignus.

Academiam Claudiopoli restituit.

Is enimverò Apostolatûs sui fructum non tam rebus ipsis, quas tunc actitabat, quàm quæ ex illa semente consecutura quondam essent, commodis metiebatur. Animo diu ante providebat in Religionem ac Remp. utilitates è disciplina literaria promanaturas, si Academia Bathoriana pristinæ restituatur dignitati: cui si diu pacatæ esse licuisset, hodie alia Regni facies esset, omnis jam à purissimo hoc fonte Fidei rivulos suscepisset Transylvania, atque desertissimas ultra Euxinum, nationes Dei notitiâ imbuendi spatium nostris hominibus indulsisset. Hic vir ergo Academiam, Societatis Hungaricæ principem antiquissimámque suis insepultam ruinis, quanto per ea tempora licuit, splendori frequentiæque reddidit. Huc illi omni jam diu collata, comparatáque ope incumbenti, cœlestis providentia in Stephano Comite Aporio egregium rebus proclinatis columen indulsit: quòd recèns à Cæsare Dignitate ærario Præfecti ornatus, ab tenui fortuna per clarissimos honorum gradus suam justitiâ, ac pietate Familiam extulisset: animum induxit, Philosophiam publicis stabilire Professoribus, Clericis sedem in Nobilium Convictu excitare. Illius auspiciis mox data Academicis lectionibus initia, Doctoratûs insignia restituta; ipse berì in superpellicio *candidus*, hodie in purpura *rubicundus*, Majorum imperio Philosophiæ, nec non SS. Theologiæ Doctor renunciatus; decenniô totô Vice-Provincialis hominibus nostris præfuit; & qui dicendo magna & faciendo vivus floruit, in posthumis lucubrationibus relictis etiam mortuus vivit.

Series posthumorum Voluminum.

Operæ pretium fecero Lectoribus, si tanti viri octo ac viginti annorum sacras lucubrationes sub oculos ponam ea serie, in quam ipse separata Volumina partitus fuit, & moriens in clauso scrinio reliquit: in quo expansa super libros scheda reperta est continens hæc pauca: *Tantùm oro* (inquit) *ne post mortem meam ista in alicujus Proselythi manus deveniant.*

Priora

	Nrus Concionum.	Ab Anno 1681.
Priora XIV. *Volumina in Transylvania.*		
I. In Dominicas per Adventum, & in Natali Domini: hoc Tomo Sermones	51	
II. In Festa Nativitatis, Circumcisionis, Epiphaniæ	53	
III. In sex Dominicas Epiphaniæ, Septuagesimæ, Sexagesimæ, Quinquagesimæ:	71	
IV. In Dominicas per Quadragesimam:	74	
V. In Dominicam Resurrectionis, & Ferias:	62	
VI. In Dominicas post Pascha:	49	
VII. In Pentecosten, & Ferias, item Dom. Sanctissimæ Trinitatis:	64	
VIII. In XIII. Dominicas priores post Pentecost.	75	
IX. A Dom. XIV. post Pentecost ad XIX. inclusivè.	63	
X. A Dom. XX. post Pentecost. ad ultimam:	66	
XI. Festales de Sanctis:	86	
XII. Mariales, prior Tomus:	47	
XIII. Marialium posterior:	46	
XIV. Funebres Transylvaniæ:	57	
VIII. *Volumina in Templo Archi-Capituli Strigoniensis, Tyrnav.*		Ab Anno 1701.
XV. Anni 1701. Tomus prior: in Dominicas Adventûs, Quadragesimæ, Paschales, cum aliquot Panægyricis SS.	35	
XVI. Posterior: In Ascensione, Theophoria, & XXIV. Dominicis Pentec.	29	
XVII. Anni 1707. Dominicalis cursus, usque ad 6. post Pascha:	30	
XVIII. Ejusdem Anni posterior Tomus, reliquas Dominicas, cum aliquot Panægyricis complexus:	30	
XIX. Anni 1708. Prior, Cursus Dominicalis:	30	
XX. Posterior, in Dominicas Paschatis, & Pentecostes, immixtis Congregat. & SS. Festis:	34	
XXI. Prior Tomus: in Festivitatibus Christi, & B. M. V.	27	
XXII. Posterior: in omnia Festa Sanctorum:	28	
Quæ duo postrema opera Tyrnaviæ An. 1709. scripsit.		
IV. *Volumina in Cathedrali Ecclesia Jaurini.*		
XXIII. Anni 1702. In novem Dominicas, & viginti sex Festa selecta, cum Funebribus:	44	
XXIV. 1703. In 12. Dominicas, 25. Festa SS. cum Funebribus:	42	
XXV. 1704. In 13. Dominicas (prout invitabatur) 19. Solemnitates varias, 14. Funebres:	46	
XXVI. 1705. Dominicæ, & Panægyres:	51	
Fragmenta panis Evangelici, in VII. *Voluminibus, Jaurini, per Quadragesimam.*		
XXVII. Judicia, & Tribunalia CHRISTI patientis, per Quadragesimæ Domin. & Ferias:	17	
XXVIII. CHRISTI Judices suos judicantis, & condemnantis justitia: per Quadragesimam:	18	
XXIX. Tertium & ultimum Judicium, quod CHRISTUS in fine mundi celebrabit: per Quadragesimam:	18	
XXX. Pœnitens Christianus, in Quadragesima propositus:	25	
XXXI. Viaticum Æternitatis; sive Christianus ad mortem bene dispositus, juxta Artem bene moriendi:	22	

Nrus Concionum.

XXXII. Ars bene orandi, sive Oratio Dominica, explicata Sermonibus: 23
XXXIII. Salutatio Angelica & humana, explicata:

AUTHORE
DEO ab æterno componente;
ANGELO in tempore perorante;
MARIA Virgine approbante;
Mancipiorum
Maximo Peccatore Scribente. Serm. - - 25

His, accesserunt nuper recuperata:

XXXIV. Festales Transylv. in Paraseven, Transfigurationis, Ascensionis, Theophor. Serm. - - - - - - 58
XXXV. Transylv. in Festa SS. & Sacro-S. Crucis. Serm. - 85
XXXVI. & Ultimum Volumen Transylv. Panægyrici Funebres, in illustrioribus exequiis habiti, numero - - - 30

In 36. Voluminibus, Summa Concionum - - - 1611

Quæ omnia itinerum jactationibus, & usibus attrita, recuperata, munificentiâ R.D. *Steph. Torma* Albensis Canonici decentiùs bieniô abhinc compacta: nunc in hæreditatem, opésque Tabularii Collegii hujus Acad. transmitto: ut ego visa tam opulenta accessione, & maximè è more, genióque Patriæ accommodati dicendi generis; quod alicubi Os aureum in Pauli laudibus divinè scripsit: *Noë tabulas combinando, & Paulus epistolas condendo, mundum ab interitu servârunt,* asserere nullus dubitem: Authorem non linguæ solùm & gratiæ dono, sed etiam scriptorum ubertate genti suæ egregiè consuluisse; ut si feretra mortuorum nostrorum Panægyricis ornari modestia pateretur, ad STEPHANI nostri auguralem Nominis Coronam
2. Reg. 1. 19. non inconcinnè usurparem illud è Regum volumine: *Sciebam quòd vivere non poterat post ruinam: & tuli diadema quod erat in capite ejus, & armillam de brachio illius: & attuli ad te Dominum meum huc.* Posthuma inquam spolia, quæ ab illo habemus, in apparatum Supremæ laudationis funebris explicata, testes & monumenta sudoris, ac multiplicis Apostolatûs illa XXXVI.
In ejus scriptis lana & purpura, artifice manu opus habet. Volumina veniissent. In quibus statum, in quo reperi scripta, institutúmque omne Authoris tot inter alias curas carptim nonunquam meditata sua annotantis, acu tangam, si pulchrum locum Cypriani, *in Præf. lib. de Exhort. MM.* attulero: ubi sola capitula Dominica se attigisse dicit; ut non tam Tractatum suum videatur Lectoribus misisse, quàm materiam tractantibus tribuisse: *De AGNO*, inquit, *per quem redempti, & vivificati sumus, lanam ipsam, & PURPURAM misi.* Certè in his lucubrationibus, divitem, pretiosámque concinnandis sacris dictionibus materiam Author reliquit, ex utroque Testamento comportatam, tanquam de *Agni vellere lanam & purpuram;* de qua artifex manus congruam unicuique auditorio nuptialem conficere talarem valeat, quin eam decorè induti de Regis convivio ejici metuant in-
Tit. 2. 15. vitati. Sed & nobis egregiè providit: si non deerunt Titi, qui *hæc loquantur, & exhortentur in Christo JESU*, nec deerunt *Sigismundi*, aut *Stephani*,
Num. 11. 17. pari in animos spiritu atque imperio dominaturi. *Auferam* (inquit Deus) *de spiritu tuo, daboque eis.* O promissionem auditu lætissimam copiis omni-
Obitus Apostolici Viri. bus, quæ in Hungariæ salutem destinantur! Sequamur ducem verbi *Stephanum*, magna faciendo, an se se despiciendo majorem? Nec fuisset STEPHANUS, nisi potiùs intendisset in cœlos, qui à terra nihil speravit nisi capacem corpusculi tumulum: quem obtulit Sopronium Septuagenario, 18. Martii, An. 1718. ab Professione emissa *tertiô* ac *tricesimô*, initæ Societatis *quinquagesimô primô.*

PER INCLYTAM R. H. CORONAM,

AD NOVELLOS DIVINI VERBI PRÆDICATORES,

DE ELOQUENTIA SACRA,

Ex Verbo DEI docendo, delectando, movendo:

operante salutem in medio terræ,

PRÆLIMINARE.

PARS PRIMA.

Quodnam interſit ſacram inter, & civilem Eloquentiam diſcrimen?

MIhi videtur inveniri diſcrimen inter utramque non abſimile, quale fuit Goliathum inter, & Davidem. Philiſtæus prodibat corpore coloſſæo, haſtatus, ſquammatus, loricatus: ex adverſo David modico cultu, caſſide quæ ei offerebatur regali, armisque depoſitis, paſtoritiam fundam rotat, & lapidem: *Tu venis ad me cum gladio & haſta: ego autem venio ad te in nomine Domini exercituum, Dei agminum Iſraël.* Venit quippe profana Eloquentia in ornatu, majeſtate & copia verborum, quoniam ipſi ad victoriam alia præſidia non ſuppetunt, quàm terrena, quia & pro terræ Imperio, ac ſalute pugnat; ſacra verò Eloquentia, *Exercituum Domini*, cujus unicè gloriam propoſitam habet, *nomine* aggreditur omnia; dignitatem habent ex ſe res, quas dicit, cœleſtem, ideóque & vim penetrandi in animos divinam. *Nihil enim ità percutit*, ait D. Hier. *quomodo verbum è ſcriptura prolatum.* Illa, inſtructis ad popularem gloriam dicendi formis argutis & callidis extorquet civium potius favore, quàm veritate palmam: hæc quò minus adulari novit lenociniis, quia ſalutem quærit, non plauſum animorum; non tam verborum, quàm rerum potentiâ defenditur, quâ & jacentes erigit, & ſublimes proſternit, & Regum frontibus Evangelii lapidem infigit.

1. Reg. 17. v. 45.

Terrenæ Eloquentiæ alia præſidia non ſuppetunt, quàm terrena.

Mirum non erit proinde, ſi de præcipuis ſæculi Oratoribus nonnemo dicat: *Diſertos ſe vidiſſe multos, Eloquentem neminem;* & præſtantiſſima antiquitatis ingenia exiſtimaverint Eloquentiam rem tantam eſſe, ut ejus perfectionem ad paucos omninò pertinere cenſuerint; ut cùm multi ſingulis ætatibus præclariſſimi extiterint Imperatores, multi graves Juris conſulti, præſtantiſſimi Artifices: VIX UNUM multæ ætates tolerabilem viderint ORATOREM. Hujus ſententiæ à nobis quædam ratio ex dictis reddi poteſt, quæ ſimul inter utramque Eloquentiam grande aperit diſcrimen. Fuiſſe quippe Oratoribus ſæculi propoſitum in dicendo non ſemper ſtudium veritatis, ut Auditorum mentes ad id, quod juſtum, ſanctum, & verum, amplectendum commoverent; ſed auram plerumque popularem, & plauſum: ex quo fiebat id, quod apud *Plutarchum*, *Iſocrates* inſignis & ipſe Orator (cujus Orationes XXXII. admirabili ornatu, ac brevitate, dignæ viſæ ſunt, quæ ingenti auri pondere à principibus viris expeterentur, ut à *Nicocle* Salaminæ Rege, & ab

M. Antonius apud Cic. l. 2. de Orat.

Plutarc. in Vit. Decem.

Arthemisia Regina Cariæ) quod inquam ipse ille *Isocrates* interrogatus: Quid esset *Eloquentia?* ad scopum nostrum respondit: *Ex parvis facere magna, ex magnis parva.* Cum illud potiùs artis sit, quæ magna sunt, sic è dignitate tractare, ut Auditori quoque magna videantur, & è contrà. Quæ res quemadmodùm nemini magis, quàm Ecclesiasticis Oratoribus verissimam JESU Christi doctrinam tradentibus proposita est, ità *diserti* titulum participare & alii possunt, *Eloquentis* præter ipsos *Quis? & laudabimus eum.* Lingua enim (ut *Lactantius* ait) cùm *Verum* loqui cœperit, majestatémque Dei interpretari, tum demum suo fungitur munere: quamdiu falsa loquitur, in suo munere non est, & quomodo *Eloquens* habebitur?

Linguam, cùm de Deo loquitur, officio suo fungi. Lact. l. 6. c. 13. divin. Instit.

Nedum his, qui de Republica sermones faciebant; ipsis adeò, qui Christiana mysteria tractare aggrediebantur, non rarò evénit, ut dum ea majore strepitu, quàm prædicandæ Veritatis desiderio detonare aggressi sunt, adeò *Eloquentis* nomen consecuti non sunt, ut etiam *diserti* perdiderint. Id quod egregiè illustrat Divus *Ambrosius* in Procœmio in Evangelium Lucæ ad illa verba: *Quoniam quidem multi conati sunt ordinare narrationem.* Ergo, inquit, *multos cœpisse, nec implêsse discimus.* Primis nascentis Ecclesiæ temporibus non defuêre viri literati, qui ex Philosophorum Lycæis, Rhetorúmque Gymnasiis Ecclesiæ aggregati vitam Christi, ac doctrinam mandare literis tentarent. Sed adeò iis labor non cedebat, prosperè, ut post paucas periodos Annalium, quos scribere aggressi fuerant, istorum digitis labor exciderit. Quippe quòd frigidus Historicorum animus nesciebat æstimare mysterium Crucis, humilitatem Præsepii, Piscatores, alapas, flagella: hærere diu multúmque, utrum stylo Thucydidis, an Livii, an alio deberent ista sermone eloqui, hoc est, *Ex parvis* (ut ipsi rebantur) *efficere magna* ornatu dicendi & copiâ; scilicet deserti vigore illo spiritûs, qui necessarius est ad eloquenda *Verbi abbreviati* Sacramenta ac doctrinas; quæ quia istis sinapis instar visa essent minima, mirum non est oculos horum, stylúmque fugisse. Qui de Deo scribit, Deo plenum esse oportet. *Qui ubi se infuderit* (verba sunt Ambrosii) *rigare consuevit, ut non egeat, sed abundet scriptoris ingenium. Non conatus est Marcus, non conatus est Joannes, non Lucas; sed divino Spiritu ubertatem ministrante, sine ullo molimine cœpta compleverunt;* nobisque cùm magni facerent Christianæ modestiæ, & Crucis thesauros, nullo labore Crucifixi historiam tradiderunt.

S. Ambr. in Procem. in Luc.

Superbis labor prædicationis non succedit.

Idem ferè his, qui ad publicum concionandi munus quasi novi Goliathi irruunt cum indubia spe convertendarum Urbium, demum evenire videmus; ut dum mysteria Crucis non eo spiritu, quò à Dei Filio suscepta traditáque sunt, sed magis sæculi pompâ atque stylô metiuntur, scilicet ut eloquentiæ viribus *Ex parvis magna* & admirabilia efficiant: mox ut concinnaverint labore adamantino Extensiones oratorias venientium ab extremo Oriente Magorum; Elephantorum, servorum habitum, ora, mores descripserint: aut Solem in Christi morte paludamento se se regali spoliantem &c. dum inquam, combinant Epistolas *Pauli* cum *Ovidii*, cum *Psalterio Horatium*, Prophetarum oracula cum *Delphicis*, hoc est, *Idolum*, & *Christum:* fit, ut ipsis labor non succedat, sed hæreat; siquando repugnantem coëgerint fluere, Auditoribus suis pro lacrymis amaros risus concitabunt, quibus sceleratum frigus persequantur. *Ascendunt montes, & descendunt campi.*

Psal. 103. 8.

Ex quibus animadvertit quisque, inter unam, & alteram Eloquentiam quantum intervallum intersit; quemadmodum enim Amplificatio Ecclesiastica multùm ab ea distat, quâ Oratores sæculi usi sunt; neque enim Verba Dei desumunt ex verbis nostris majestatem & pondus, sed ex ipsis verba nostra efficaciam & spiritum: sic etiam docendi munus in Ecclesiis tanto intervallo abest à forensi Eloquentia, quanto Templa à palatiis, à curiis, à theatris.

§. II.

Ad Concionandum Vocatorum dignitas: ex Titulis à S. Scriptura huic muneri attributis.

1. Cor. 13. 1.

QUi ambitione magis, quàm spiritu charitatis impulsi docendi in Ecclesiis munus suscipiunt, sicut ab Apostolo *Æra sonantia, & cymbala tinnientia* dicuntur, & rectè, sunt enim (quod Philomelæ inscripsit nonnemo) *Vox, prætereáque nihil:* sic contrà Apostolicos Oratores honoris plenissimæ, & perquam illustres compellationes comitantur, quibus eos ab Oratoribus sæculi Spiritus Sanctus distingui voluit, ac discerni.

Dicun-

Dicuntur enim *Cœli:* quia Concionatores, velut alii *Cœli enarrant gloriam Dei;* Ejus majeſtatem, bonitatem, pulchritudinem omni amore & obſequio dignam; ſapientiam, juſtitiam, providentiam, miſericordiam, & Chriſti laudes prædicando. Pſal.18. 1.

Dicuntur *Nubes pluviam* non intra ſe continentes, ſed *effundentes:* quia è loco ſuperiore, quò eos gratia Spiritûs attraxit, ſalutaribus doctrinarum imbribus arentia populorum corda infundunt, ac fœcundant. Iſai. 11.

Dicuntur *Olivæ* in Domo Dei, quòd Pacem annuncient Chriſti; vel ſitæ circa *candelabrum aureum:* quia in Eccleſia lucent vitâ, doctrinarum verò ſplendore illuminant, ac pinguedine paſcunt animas, & vulnera dum tangunt, ſanant. Pſal.51.10. Zach.4. 2.

Dicuntur *Caminus*, atque *ignis:* quòd eorum ſit, omnium mentes divina charitate incendere. *Amici Sponſi:* cui innumeras Animas fide deſponſant. *Reges & Conſules terræ:* quia pondus regiminis Animorum ferè ipſi ſuſtinent, & per exhortationis ſuæ conſilium ad cœleſtia credentes perducunt. Zach.12.6 Joan.3.29 Job. 3. 14.

Dicuntur *OS DEI*, quia *ſeparant pretioſum à vili:* dum Animæ dignitatem oſtendunt, eámque peccatis, & Diabolo renunciare compellunt. *Filii tonitrui:* quia ad ſopitos deſidésque excitandos vocem in fortitudine exaltant. *Tubæ Spiritûs Sancti:* cujus vocem in ſe antè loquentem orando percipiunt, quàm eam ad populum enuncient. *Boves Cherubici:* quia & domi vomere prædicationis ſpiritualibus ſulcis corda ſubigunt, cœleſtique ſemini aptant; & foris eorum mugitus in omnem terram auditur. Jer.15.19. Marc.3.17 Apoc.4.1. Ezech.1.10

Quid plura? Dicuntur *Columnæ* Eccleſiarum *argenteæ*, propter juſtitiæ rectitudinem, & eloquii nitorem. *Milites:* quibus circumdat Deus domum ſuam, ut eam adversùs incurſus hoſtium tueatur. *Canes:* ut opertos, apertosque hoſtes latratu prodant, irrepentibúsque neſciant adulari flagitiis; ut denique Epiſcopis & Paſtoribus ſuis & ipſi ſubſint per obedientiam, & pro grege dominico excubent per vigilantiam. Contexendis Elogiis ſuperſedeo, ne ea nobis potiùs pudori ſint, ſi tantæ, quam in Eccleſia occupamus, vocationis gradui ac honori perfunctoriè reſpondeamus. Itaque Cant. 3. Zach.9. Iſa.56.10.

§. III.

Quomodo tot illuſtribus Titulis correſpondebimus Concionatores?

Duobus modis id aſſequemur, ſi concionabimur non ſolùm eruditionis, ſed etiam vitæ radiis, & exemplis. *Cœpit JESUS facere, & docere.* Duobus his polis, & cardinibus omne hoc ſacrum munus vertitur: ſi ad Chriſtianam ſanctitatem populum invitemus primum exemplo vitæ, quod ex parte noſtra eſt, *Facere;* deinde urgeamus linguâ, & magiſterio, quod eſt *Docere.* Dicamus de utroque breviter. Act. 1. 1.

Quòd Sacerdotis Chriſti Vita, ſit muta Eloquentia, & Concio gratiſſima.

Quoniam ſæculum tale vivimus, in quo ab hominibus magis affectuum peccatur pravitate, & corruptelâ, quàm veri ignoratione, vel maximè in Urbibus, & populo libero: quis non videat, pravos eorum affectus, velut clavum clavo, contrariis affectibus pellendos eſſe? Quare ex Auguſtini ſententia, *movendi potiùs, quàm docendi erunt,* ut in eo, quod jam ſciunt, agendo ne torpeant; & ad res, quas veras eſſe deprehendunt, opere complendas animum, & vitam inducant. Ad quod quidem majoribus dicendi viribus opus eſt, quàm ad docendum. Hic equidem Pauli ſententiâ, obſecrationes, increpationes, concitationes, & coercitiones; & quæcunque valent ad commovendos animos, ſunt neceſſariò adhibenda. His omnibus non modò nervum, atque efficaciam indet Concionatoris fama, & vita, ſed etiam omnibus aliis concitandorum animorum artibus ſublimiorem in animos vim, ac imperium hæc una res obtinebit. Enimverò apud eos homines, qui oculis plus credunt, quàm auribus; quæ alia res tam invictam præbebit dicendi libertatem, quàm *Vita?* quæ ſicut facinorum conſcientiâ nequit erubeſcere, ſic in his quæ dicit, reprehendi non metuit. Nam ut ut conetur, qui improbus eſt, ſuadere hominibus probitatem, ebrioſus temperantiam, libidinoſus continentiam, iracundus pacem, profuſionem avarus: in ipſo concionandi calore tacita interim conſcientiæ voce verberabitur, ſempérque metuet ab AA. ſibi inclamari illud: *Medice, cura teipſum!* Adeò cujus vita contemnitur, etiam oratio vileſcit. Neceſſe proinde eſt eum, cujus verba ab animo diſſentiunt, aut conſcientiæ pudore titubare, & hærere; aut rejectis moleſtis hujusmodi argumentis ſubſtituere ſermonem, qui plauſum excitet, & fugat compunctionem; aut ſi muneri reſpondere ſuo pergat, quoties in peccatores Evangelii fulmina detonabit, ſuæ ipſius damnationis quodammodo Præconem fieri, & in his, quæ in aliis reLib. 4. de Doct. Chriſt. cap. 4. Luc. 4. 23.

prehendenda ſumpſerit, tanquam in ſpeculo ſuorum fœditatem ſcelerum intueri oportebit. Nec eſt, quod hic quisquam dicat: Ego Vitam JESU prædico, non meam. Ipſe
Joan. 14. 6 dixit: *Ego ſum via, veritas, & vita.* Reſpondebit populus: Vita JESU, quam prædicas, vel ea eſt, quam imitando cum adjutorio gratiæ aſſequi poſſimus, & cur exemplo non præis? vel ſi non poſſumus, ut quid ſuades? Si tu à Crucifixo diſſides, & pacem
4. Reg. 9. 19. ſuades, *Quid tibi, & paci?* Proh quantum intereſt inter improbi Orationem, & ejus, cui vitæ innocentia loquendi dat apud populum authoritatem! Jam ſi increpationes adhibendæ, ſi obſecrationes & cohortationes (ex quibus fere Oratorum triumphi pendent) quid fortiùs obſecrabit, quàm Vita? Multi clariſſimi Imperatores cùm aut flumen tranandum eſſet, aut vallum hoſtile conſcendendum, contempto periculo præeuntes ipſi dubitantem militem exemplo omni oratione validiore ſequi compulêre. Quid nervoſiùs increpabit, quàm modeſtia petulantiam, caſtimonia flagitium, innocentia crudelitatem?
Eccli. 12. 11. Talis ſermo vivus eſt, & efficax: verba *ſicut ſtimuli, & quaſi clavi in altum defixi*, difficilè in AA. cordibus atque memoria delendi. Quid obteſtabitur validiùs ad pacem diſſidentes animos, quàm Sacerdotalis manſuetudo, quâ nullâ magis ad Chriſti ſimilitudinem viâ accedimus? Hic demum profectò ab omni concione acclamatum iri: *Gladius Domini, &*
Judic. 7. 20. *Gedeonis!* cùm intuebuntur Crucifixo, quem prædicamus, duci noſtro mores vitámque conformatam; tunc enim vultus ipſe atque conſpectus in ſuggeſtum aſcendentis *Concio* erit, ac muta quædam peroratio, quæ etiam tacens perſuadebit res maximas, & ſine
1. Cor. 13. 1. qua tanquam *æs ſonans, & cymbalum tinniens* contemnetur quantacunque Oratio.

Atque hæc eſt cauſa, cur encomiorum omnium, quibus nos Spiritus Sanctus inſignivit, primum illud poſuimus ſuprà auguſtiſſimum ſanè, ac pulcherrimum: quòd Con-
Pſal. 18. 1. cionatores, velut alii *Cœli enarrant gloriam Dei;* ut quemadmodum Cœli etiam tacentes loquuntur, & omnibus linguis, idiomatis Conditoris ſui prædicant magnificentiam & laudes; illi nitore, ſplendoréque ſuo *Scythis*, illi *Barbaris* nationibus ac gentibus loquuntur magnum Dominum eſſe, cujus ſapientia tale ſibi palatium condiderit: ſic & nos apud
Bona vita, omnibus linguis loquitur. populum multò honoratiores efficiet vita, ſi per opera bona (quæ *omnibus linguis loquuntur*, & ab univerſis intelliguntur) Chriſti laudes prædicare aggrediamur faciendo potiùs magna, quàm loquendo; quò *ſic luceat lux noſtra coram hominibus, ut videant opera noſtra bona, & glorificent Patrem noſtrum, qui in cœlis eſt.* En Concionem gratiſſimam ab
Mat. 5. 16. ipſo Sacerdotis Chriſti vultu atque conſpectu perorantem! Secùs ſi vita diſcordet ab ore,
Luc. 4. 41. conticeſcere ſatiùs eſt. Quid enim eſt, quòd Chriſtus apud Lucam *Dæmonia dicentia: Quia tu es Filius Dei: increpans non ſinebat loqui?* Et cur ita? ſi dabant Deo gloriam &
ibid. v. 34. laudem, ſi clamabant: *Sanctus!* ut ibidem Lucas ait; ſi tam Seraphico Chriſtum titulo compellabant, ecquid *ea non ſinebat loqui?* Ex ore Diaboli audire *Sanctus! Sanctus!* qualis conſolatio Deo, ſi vita ab ore diſcordat? *In lingua Chriſtus, in corde Diabolus.* Satius obmuteſcere! Certè ſi enarrare gloriam Dei volumus, cœlorum pulchritudinem æmulemur. Cœlum, cùm ſerenum eſt, quacunque parte contempleris, perinde eſt, ubique ſtellæ, & ſtellæ: ità Sacerdotis Chriſti vita, atque converſatio debet omni ex parte virtutibus refulgere, ut (quod de Chriſto dixit Gregorius) ejus *omnis actio* ſit ſubditorum *inſtructio*, conſpectus ipſe Concio, unde verbis ejus demum egregium ſuffragium, & eloquentiæ pondus atque authoritas pariatur. Quodſi nunc cæteros Titulos perſequi eſſet animus, quibus ſacratiſſimum hoc munus copioſè inſignivit Deus; quot encomia, tot flagella; quot Tituli, tot ſtimuli excitarent torporem vitæ noſtræ. Quis enim, audiendo Concionatorem eſſe *Os Dei*, non ſtatim inferat, ex illius ore nihil prodire debere, niſi Sanctum, niſi divinum? ut peccatoribus ipſo halitu Spiritum Sanctum afflare poſſit. Quis, audiendo ipſos eſſe poſitos in Eccleſia, quaſi *Caminos* & *ignes*, ad quos *refrigeſcens* Chriſtianorum *charitas* calefieri rurſus, novisque divini amoris ſervoribus incendi debeat: quis inquam non illico concludat, oportere ipſos orationis utriusque ſtudio eſſe addictiſſimos? neque enim fieri poteſt, ut alios accendat, qui prior non arſerit. Denique ſi *Filii tonitrui*, ſi immortalis Regni *Milites* ſumus, exemplo Imperatoris noſtri plus factis egregiis, quàm voce pugnemus. Ità fiet, ut quemadmodum Saul donec per
1. Reg. 14. 47. vitæ innocentiam Spiritui Sancto ſe ſe morigerum præbuit, *quocunque ſe vertebat, vincebat:* ſic & nos ſi vitâ clari extiterimus, in quodcunque argumentum dicendo incubuerimus, ibi protinus optati fructus conſequantur: *cooperante Domino, & ſermonem confirmante ſequentibus ſignis.* Convertamus nunc gradum ad alterum muneris noſtri cardinem, ac polum. *Cœpit JESUS Facere, & Docere.*

Marc. ult.

§. IV.

§. IV.

De Sacri Oratoris Arte, & Officio.

MUlti non solùm vitâ, sed etiam eruditione clari divinam missionem quantumvis honorificentissimam, sibique longè optatissimam deprecari coguntur, quia *impeditioris, & tardioris linguæ* defectu, evacuaturos se potius Auditoria, quàm impleturos non ex vano metuunt. *Obsecro Domine, non sum eloquens; ... impeditioris & tardioris linguæ sum. Mitte, quem missurus es. Ecce filii Israël non audiunt me, & quomodo audiet Pharao, præsertim cùm incircumcisus sim labiis?* At qui integro talento dotati divinitus sunt, & quorum non solùm manus ad divinum opus exercitatæ, sed etiam labia sumpto ab altari calculo tacta, expolitâque fuerint: cœlestibus imperiis eò propensius subjicient humeros, quòd destinentur muneri, & candelabro, in quo tanquam Superiores & Magistri dicturi sunt, non tanquam ad Senatum & populum de pecuniis, de bello, aut pace Reipub. deliberando aut consultando; accusando & defendendo singulares personas, vel adhibendo Panægyres ad celebranda laudibus præclara civium facinora: sed acturi de singulorum audientium negotio maximo, immortalibus, summisque utilitatibus; quâ unâ re nihil auditur libentius. Ipsorum quippe est *munus* veritatem, Deique arcana aperire populo, docere piè & innocenter vivere, peccata pravásque consuetudines expurgare, leges præscribere salutares, ad piam, veram, divinámque sapientiam, & Christianam Religionem (quâ majus nullum mortalibus bonum obtigit) universos cohortari & permovere. Huc eorum tota collimat *Eloquentia*, id est, *Ars inveniendi, disponendi, eloquendi* ea, quæ ad salutem Animarum faciunt. Hic denique est *Finis* propositus: Persuadendo augere Regnum Dei, lucrari Christo animas, ornare Ecclesiam, imminuere tyrannidem Diaboli, animas tantô pretiô redemptas ad æternam vitam & beatitudinem excitare quærendam.

Exod. 4. 10.

Exod. 6. 12.

Hanc divinam potiùs, quàm humanam dicendi facultatem etsi Spiritus Sanctus, qui *Vocat ea, quæ non sunt, tanquam ea quæ sunt;* sine ulla doctrina ac labore soleat interdum parata suggerere; observatione tamen Sermonum, quibus Sancti homines eodem Spiritu afflati Christiano populo profuerunt, eam percipi, & in *Artem* redigi posse perspicuum est; tum ut pateat: ad propositum Salutis animarum finem quis *aptè* dicat in Ecclesiis, quis non? Et ab Episcopis quinam præficiendi sint cathedris, qui non, conspiciatur.

Rom. 4. 17.

§. V.

Oratoris Sacri munus est, Aptè dicere ad persuadendum; quod triplici medio assequetur: DOCENDO, DELECTANDO, & MOVENDO.

NAm si adhuc nescit, priùs docendus est Auditor, quàm movendus; deinde efficiendo, ut libenter audiat; demùm ut ad id, quod voluerit, libentem volentémque inflectat. Quod S. Augustinus paucis: si nimirum sic dicat, *Ut intelligenter, & libenter, & obedienter audiatur.* In quibus verbis Concionis forma, & Eloquentiæ Christianæ vis, ac summa omnium præceptorum continetur.

PARS SECUNDA.

De Primo Sacri Oratoris Officio: quod est, DOCERE.

Ducite illuc unum de Sacerdotibus, ... & habitet cum eis, & doceat eos legitima DEI terræ. 4. Reg. 17. 27.

HOc enim Sacerdotis Christi Officium est, ut doceat populum non arare, non bellare; sed ea quæ ad Deum ducunt, LEGITIMA DEI TERRÆ. Propterea Christus in eadem Samaria (in quam ob Divini cultûs ignorantiam, divinitus *Leones* immissi erant justitiæ executores) *mansit biduo;* fors ut primo die doceret Præcepta *Primæ Tabulæ*, ea videlicet, quæ sunt ad Deum colendum, & amandum; altero, ut explicaret Præcepta *Secundæ Tabulæ*, de Proximo diligendo. Væ *terræ*, ubi ista ignorantur! Quantum sit in Sacerdotali doctrina momentum ad continendos in Christi fide populos, exemplo sint Majores nostri. Istis justitia quondam divina utebatur tanquam *Leonibus*, iræ suæ flagellum eorum dexteris committendo, ad ulciscendas in populo Christiano negligentias *Legitimorum Dei terræ;* in cujus servitii præmium Pannoniæ opes, & Imperium illis pulcherrimum amplissimúmque contulit Christus, pro terreno servitio terram. Dum verò pro inscrutabili sua misericordia Genti nostræ aditum etiam ad cœlos aperire placuit, ad eam *Pastores, & Doctores* misit, qui suaderent, juberéntque indomitas Christo cervices submittere. Submiserunt. Sexcenti lapsi sunt anni, quòd ab idolis primum

4. Reg. 17.

Joan. 4. 40.

Conversa ad Christ. Hungaria, Sacerdotalis doctrina fructus.

ad

ad Christi Servatoris notitiam & amorem perducti sunt, in eóque incrementum, & progressus fecêre tantos, quantos postea Apostolici hujus Regni úbique terrarum prædicatissimi Sanctitas declaravit; ut homines multitudine innumerabiles, literarum ignari, pro fidei Catholicæ antemurali excubantes in armis, papilionibus, quibus non calamus, non libri, Gymnasia rara, eáque remota; non Biblia in patrium idioma conversa fidei lucem affundere potuêre; nihil tamen ad Christianæ innocentiæ decus ab iis omissum, quò minùs cæteris omnibus nationibus imitanda de se exempla præberent officiorum Christianæ justitiæ. Age verò cui post Deum in acceptis ferentur tot beneficia? Non aliis profectò, quàm *Pastoribus & Doctoribus;* ut illa ipsa cœlestis misericordia *Internuncios*, *Legatósque* suos, quorum operâ primum ad fidei lumen admirabile ipsos perduxerat, inter ipsos conservaret porrò, vel Successores religione doctrinâque pares divinitus provideret; & quemadmodum rerum spiritualium Præfectos ad commodandos Christo populóque sudores suos occultis stimulis excitabat: sic istis ad obedientiam subjectionémque præstandam auctor impulsórque fuit. Quâ unâ re suaviter & facilè suppletum fuit, quidquid tunc Bibliorum inopiâ neglectum est; dum quidquid ad salutem consequendam necessarium fuit, ac utile, id Sacrorum Doctorum oraculô, fide, curâ explicatum abundantissimè fuit, quod illi non solùm fide credebant, sed etiam opere faciebant: quoniam inter cætera divina oracula etiam illud Malachiæ audiebant: *Labia Sacerdotis custodiunt scientiam, & ex ore ejus legem requirent: quia Angelus Domini exercituum est.* Ita sanè Sacerdotis Christi pectus *Bibliotheca* est populi, est *Tabularium & Archivum*, in quo reconduntur tabulæ divinarum legum, lumina & veritates, præcepta & consilia Christi, & universæ divinorum librorum auctoritates; hoc illi oraculum audiunt, hoc consulunt, *ex hujus ore Legem requirunt, quia Angelus Domini exercituum est.* Proh! quot stimuli latus nostrum fodiunt ad studium, qui vocamur ad docendum?

Mal. 2. 7. Sacerdotis pectus. Bibliotheca populi.

§. II.

Quomodo Concionator ex Officio, & Arte docebit?

EX tanta res maximas eloquendi varietate ac spiritu, quem in Moyse, Prophetis, Evangeliis, & Apostolo Paulo admiramur, totius Sacræ Eloquentiæ rationem ac methodum non injucundè, nec inutiliter posse desumi, ostendunt Clarissimorum Ecclesiæ Patrum ac Doctorum *Cypriani*, *Augustini*, *Leonis*, *Chrysostomi* aliorúmque admirabili eloquentiâ scripta, quæ magno Dei munere exstare lætamur; qui eodem spiritu afflati, in omni dicendi genere principes, in *inveniendo*, *disponendo*, *eloquendo* ea, quæ ad salutem animorum pertinent, nobis quoque duces extiterunt, & viam monstrârunt. Quia enim *homines Deus per homines regi voluit*, congruum erat, ut ad persuadenda cœlestis regni Sacramenta, humanæ etiam assumeretur Eloquentiæ cooperatio: ut quemadmodum in Petro Piscatore Christi potentia: sic in secuturis eluceret par sapientia, & unius spiritûs multiformis virtus; ut mundi conversio etsi humàno Oratorum perficeretur ministerio, totum nihilominùs divino attribueretur miraculo: *Priùs Petrus Piscator*, *deinde Cyprianus Orator*, *per quem crederet & Imperator.* Ut dum & ille, & iste hamo Christi concluси sunt, utraque fieret ars, & laus Christi: qui & prius per ignobiles, & nunc per eloquentes gratiæ suæ prodigia operatur. Ex quo liquet Artem, quantacunque nunc est eloquenter aptéque dicendi, eidem adscribendam esse fonti æternæ Sapientiæ, quæ fecit, ut sine ulla eloquentia converterentur eloquentissimi quique. Nunc ad rem.

Humanæ Eloquentiæ cooperatio cum Divina. S. Aug.

§. III.

Quæ sit Materia Artis hujus proxima?

MAteria Ecclesiastico Oratori subjecta, est Omnis propositio Catholica, intelligentiæ, & saluti populorum accommodata: ad distinctionem eorum, qui Cathedras ascendunt *Docentes*, *quæ non oportet.* Tit. 1. 11.

Materia porrò hæc comprehenditur tribus Generibus causarum: *Deliberativo*, quod in bonorum suasione, & malorum dissuasione versatur; quæ ad quinque capita redigi possunt: *Ad credenda*, *ad speranda*, *ad timenda*, *ad vitanda*, *ad agenda;* ad quæ præcipuus Sacri Oratoris labor, tanquam ad finem dirigitur, ut à vitiis avocando populum Dei, ab hæresibus ad fidem, à libertate carnis ad timorem Dei, à flagitiis ad veram pietatem, virtutésque Christianas accendat & inflammet. *Exornativo*, sive *Demonstrativo*, quod in *laudatione*, & *vituperatione* consistit; cujus finis est *honestum*, quemadmodum prioris *utile;* nihil autem apud Christianos censendum *utile*, quod non simul *honestum* sit. Hunc

in

in finem debet Orator nôsse virtutum, & vitiorum naturam, & definitiones, ex quibus laudes, vel vituperia deducat. Viventes parcè, & rarò laudabit; Sanctis cum Deo regnantibus laudes tribuet, ut AA. ad eorum imitationem inflammentur, ut *quos laudare delectat, æmulari non pigeat.* Deinde populi nihil libentiùs audiunt, quàm Vitam & exempla Sanctorum, ut quos naturâ, religione, fœdere junctos conspiciunt, pudeat vestigia non sequi. *Exornativo* Generi præcipuus in Festivitatibus Sanctorum locus est, nunquam sine fructu: quorum sicut veneration, sic etiam actis, atque memoriæ Hæretici renunciârunt. Denique *Judiciali*, quod in accusatione & defensione situm est; cujus finis, *Justum.* Eatenus usurpandum Oratori Sacro, in quantum conducit ad finem, qui est: ut agnoscatur vitæ, & mortis Dominator, innocentiæ remunerator, flagitiorum vindex; ejúsque præcepta custodiantur. Viventes parcè laudandi.

§. IV.

Qualiter Thema tractandum? & de Argumentis (quæ sunt Sacra arma nostra) eorúmque Sedibus.

DIvi Augustini verba sunt: *Dixit quidam Eloquens, & verum dixit: ità dicere debere Eloquentem, ut doceat, ut delectet, ut flectat. Deinde addit: Docere, necessitatis est, delectare suavitatis, flectere victoriæ.* Horum trium quod primo loco positum est, hoc est, *Docendi* necessitas, *in rebus* est constituta, quas dicimus; duo reliqua *in modo*, quô dicimus. Docemus autem, cum semper collineando ad Thema, argumentis illud firmis, & efficacibus sic probare studemus, ut ignorantiâ divinæ legis (quâ sæpe à rudibus peccatur) discussâ, & contrariis opinionibus ex AA. animo exemptis, veram divinámque iis lucem affundamus, & scientiam salutis doceamus; prius enim intellectus est convincendus, quàm animi commovendi; neque enim fieri potest, ut voluntas afficiatur desiderio & amore boni, quod ignorat; aut malum fugiat, quod tale esse nescit, nisi priùs quod nescit, doceatur. Ut in Urbis obsidione priùs antemuralia disjicienda sunt, quàm aditus in intimas arces tentandus; pisces, qui non capit hamum, non capitur: ità obscura, brevis, ac jejuna probatio grandem affectuum vim excitare non poterit, rerum enim amplificatio, & concitationes affectûs causam argumentis jam probatam consequuntur, tantóque erunt vehementiores, quantò probatio lucidior, ac firmior. Hæc est seminarium affectuum, ex quo motuum omnium primæ scintillæ, & causæ nascuntur. Et verò Oratori tanti faciendum hoc lumen, & mentium collustratio per soliditatem doctrinæ, Evangelicarúmque veritatum impressionem, ac fidem: ut quémadmodum dormientes sopita ratione etiam falsis, & imaginariis bonis capimur, quâ præsente nec veris bonis trahi allicíque potuimus: sic populus, qui ad carnalis intelligentiæ lucernam res antea metiebatur, quæque summo amore digna erant, fugiebat, & fugienda prosequebatur: simul ut in Oratoris lumine videbit luminis superni fulgorem, pudebit circumspicere laqueos, & foveas Diaboli, inter quas summo cum salutis discrimine incedebat; tenebrásque suas erubescet eò ampliùs, quò lumen fuerit admirabilius ab Sacro Oratore prælatum. Nec putet, quòd de populo ista dicantur, etiam nobilioribus Auditoriis necessariam non esse Oratoris doctrinam: ubi etenim *carnis prudentia* (quæ *mors est*) plus, quàm apud eos regnat? Necesse est hos tenebris tantò profundioribus involvi, quantò plus sæculi sapientia recedit à divina. Quis non dicat, uno mendacio vitam, honorem, fortunas rectè redimi? Adamum honorificè & prudenter egisse, cùm oblatum ab thalami socia pomum accepit, comedit? Uxor mea est, individua utriusque fortunæ comes data mihi est, amare debeo tanquam domesticam, non disgustare tanquam peregrinam; utrum concordiam, quàm infernum cum ipsa habere malim, providere meum est; igitur uno Pomo redimam pacem, & conciliabo uxorem. Quid consiliô hocce fatalius? Quid tenebrosius? Saulis humanitatem quis non extollat laudibus, qui in captivo Principe similitudinem fortunæ regiæ miseratus, condonavit vitam, quam Deus auferri jubebat? Quis Villicum metu exauthorandi, Chyrographa vitiantem, sibique de domini sui divitiis amicos providentem non æstimet callidum atque prudentem? Quis negabit, spe nobilissimarum nuptiarum ferendum esse, ut filia Catholicæ fidei renunciet, vel illam ad tempus dissimulet? Atque id genus plurimis carnalis sapientiæ principiis, quæ re ipsa sunt gravissima cœcitate pudendi errores, & Christianis erubescendi, dignè à Propheta oggeri: *Stultè egisti!* Nisi Orator cœlestem affundat lucem altéque radicatas opiniones potentioribus discutiat machinis, & convellat: se in animos dominaturum desperet, & victoriæ cogitationem, quamdiu nihil illâ dignum attulerit, deponat.

Lib. 4 de Doctrina Christian.

Priùs intellectus captivandus, quàm animi.

Politicis non minùs necessaria auditu fidei doctrina.

1. Reg. 15. 23.

Porrò quemadmodum aliæ Artes constitutum sibi finem nisi propriis instrumentis non consequuntur: sic Sacri Oratores ad convincendum intellectum, argumentis tanquam propriis artis suæ instrumentis uti consueverunt, quibus probent vera esse, & saluti animarum accommodata quæ dicunt: quod fit *Enthymemate*, & *Exemplo*: sive *Inductione*: quæ Oratorias, quibus Victoriam consequamur, machinas nobis liceat, & Sacra *Arma* nostra appellare; sed quæ Orator ità habeat abscondita & tecta, ut non sentiantur, nisi postquam luculentum vulnus fecerint; sicut Propheta Nathan sub Parabolæ cortyna involuto telo nîl tale opinantem Davidem transfixit: *Tu es ille Vir!* Præmisso quippe Antecedente (ubi latebat telum) de raptore oviculæ, quem morte mulctandum edixerat David; consequens erat, ut alienæ raptor uxoris reciprocam mortis sententiam incurrat, Davidque simul vulnus palpet, & telum observet, & adoret.

Argumenta sunt lapides in caput Philistæi directi.

Adhibebit autem Orator argumentationes non solùm à causis principiisque connexis, & rem necessariò demonstrantibus, ut à verbo divino, ab auctoritate Ecclesiæ (quæ argumenta sunt totidem limpidissimi lapides, quibus fundâ Eloquentiæ rotatis atque circumactis caput *Philistæi* (Peccati) in certam designabit ruinam; verùm etiam in dicendo *Enthymematibus* utetur nonnunquam, quæ sumuntur à Signis; quorum alia sunt certa, quæ videlicet necessariò rem ipsam consequuntur: ut si probet Orator, *non esse in his charitatem Dei, qui mortales cùm sint, inimicitias alunt immortales.* Alia sunt Signa sed non certa, quæ non necessariò rem consequuntur: ut si dicat, *non esse intentum Deo animum ejus, qui oculos in Ecclesia circumfert; qui sub tremendis mysteriis dormitat.* Utroque genere Signorum usos esse Sanctos Patres, etiam Verisimilibus (quando res plerumque ità fit) thema suum confirmâsse, eorum libri testantur, ut patet ex Nazianzeni Oratione I. in Julianum, ibi: *Nihil boni ominabatur cervix non stata, oculi scintillantes &c.*

Nazi. Orat. 1. in Julian.

Jam verò exemplorum *Inductione* nihil Sacris literis familiarius, nihil Patribus usitatius: est quippe verissimum: *Verba movent, Exempla trahunt*, maximâmque ad persuadendum vim habent, præsertim si fuerint gravia, illustria, vera & indubitata, qualia sunt Veteris Testamenti, & imprimis à Christo Domino omnium virtutum exemplari petita; ex Vitis Sanctorum, eorúmque rebus gestis; ex Annalibus Ecclesiasticis sæculorum usu, atque auctoritate consecratis; ex his, quæ ante oculos positæ sunt, Imperiorum ruinis, gentium cladibus, vel benedictionibus; impiorum flagellis, & proborum felicitate; interdum ad Christianorum ruborem insignia Gentilium facinora pro aris, & focis licebit adducere, imò ab belluis ipsis exempla fidelitatis, & temperantiæ mutuari.

Hi sunt duo proprii Loci Enthymematum ducendorum. Sumuntur præterea Argumenta ex Locis communibus ea, quæ ab Oratore non excogitantur, sed sunt insita in rebus ipsis: qualia sunt, quæ sumuntur à *Definitione*, *Partium distributione*, & *Notatione* verbi: & quæ rem quamque contingunt, & ad eam quodammodo sunt affecta: quorum alia *Conjugata* appellantur; alia ex *Genere* & *Forma*, alia ex *Similitudine*, *Contrariis*, *Causis* &c. Sicut Rhetoribus notum est. Sunt autem *Loci Communes*, sedes Argumentorum, & Notæ: quarum admonitu, quid quæque res valeat ad persuadendum, possit inveniri. Quorum Locorum naturam, genium, artificium, & vim propè divinam singillatim percensere, exemplis illustrare quemadmodum labor esset longè jucundissimus, & facillimus: sic necessarium non puto erudito Lectori: præsertim habituro præ manibus Sacras insignium Concionatorum Dictiones, argumentorum unicuique Themati propriorum inventione, tractatione, & gratiâ famæ suæ respondentes.

§. V.

An Concionatori clametur, Nego! *sive, quod idem est: an ad Christianos dicere, sit persuasis persuadere?*

Psal. 72. 9. Judæ. 10. Eph. 2. 20.

Quæstio non procedit de Hæreticis, qui *in cœlum posuerunt os suum*, & quæcunque *ignorant*, blasphemant: sed de Domesticis fidei *superædificatis super fundamentum Apostolorum & Prophetarum:* an, cùm apud hos Christum prædicamus Crucifixum, & veritates illas, quæ mundum jugo fidei subdiderunt, cœlestémque JESU Christi doctrinam proponimus sequendam: an, inquam, sint, qui palàm non vereantur Sacris Oratoribus in os inclamare: *Nego.* Esset id equidem, inquis, piaculo simile, & à condita Ecclesia nullum in fidelibus extare exemplum. At ego tibi innumerabiles ostendam contradictores: quorum si foris vocem audias, Vox erit *vox Jacob;* si manus contemplaberis & vitam, *manus*

Gé. 27. 22.

erit

erit *Esau.* Quia enim Argumentum nostrum non est *Probabile inventum ad faciendam fidem*, sicut Rhetorum sæculi; sed certum, divinum, inconcussum, æternum, ideóque à Christianis innegabile: *Christiani enim sumus* (ut Augustinus ait) *non ut disputemus, sed ut fideles DEO simus* ad nos loquenti; fit, ut quisque dum Os Dei audit, & Spiritum Sanctum per Ecclesiam loquentem attendit, non possit inclamare *Nego*, nisi primam summámque veritatem mendacii contumeliâ afficiat. Jam verò quia cœlitus monemur vocem instar tubæ exaltare ad domum Jacob, sicque Dei Legato esse perorandum, ut inflectat & vincat; & vinci non potest, nisi pugnans; necesse est Auditorem se erexisse, adversùs quem? nisi Deum. Clamat ille *Nego* non dictis, sed factis; Catholica professio, vita gentilis; in ore cœlum, in opere cœnum; actio Evangeliis facta contradictio. Apostolos audiunt, & inebriantur; Christum sequuntur, & furantur; petunt quotidie advenire regnum Dei, & justitiam aurò vendunt; pauperes exspoliant, qui sua aliis largiri debuerant. *Domine, quis credidit auditui nostro?* Isai. 53. 1. Quàm difficilè ab his impetrabimus vel audiendi benevolentiam? Ex centum qui audiunt, & talia audiunt: quis animo compunctus à Concione discessit? Quis horum audito Judicio, Inferno, mutationem vitæ decrevit? Quis inimico ignovit? Quis oculum impudicum eruit? ob Christi gratiam quisnam concubinæ repudiavit amplexus? Quis pericula, quis scandala rescidit? Cui persuasâ alienorum restitutio, ne dicam, quot cistas Concio ad peccata eleemosynis redimenda reseravit? Ex quo oculo stillam abstulit Christi patientis commiseratio, quam non siccavit illico Amasiæ contemplatio? Quasi cum Sacro-Sancto nomine Christiano conjungi vita tam turpis, & cum cœli candidatis animis tantus terrenorum amoris viscus possit combinari.

Atque hoc est, ad Christianos dicere, *persuasis persuadere.* Si hoc demum est Christianum esse, ore profiteri *Symbolum*, & opere *Alcoranum*; audire in Templo Christum de Judicio tonantem, brevissimo pòst intervallo cernere Christianum mendaciis, rapinis, crapulis in ejus faciem inspuentem? Quasi verò & illorum salus, & muneris nostri apex in eo constituta sint, si capita fidei explanaverimus, & illi Sacro-sanctum præbuerint assensum veritati: & non multò maximè in eo sit elaborandum, ut doctrinâ, quam cœlo allatam non dubitant, vitam morésque dignos sectentur, ut fides quæ intus latet in mente per gratiam, exteriùs fulgeat in opere per innocentiam. Atque ut in hoc genere aliquando persuasi fiant tot mortalium animi, hic labor, hoc opus. Quot cœlestia semina, quæ quotidie cadunt, suffocantur in *spinis?* quot pereunt *in petris?* quot *secùs viam* si non diripiuntur à Diabolis, Matt. 13. conculcantur ab horum vicariis? In pugnatricibus palæstris ad illud *Nego*, opponitur rationum vis & pondus, victoriæ ingeniorum semen: & post prolixa certantium studia, *Quis eorum videretur esse major*, sub judice lis est. Qui pro Christo legatione fungi debemus, opponimus non verba verbis, sed factis; neque enim fides, sicut mundus, *disputationi tradita est hominum;* nobis prælium faciunt crimina Christianam labefactantia sanctitatem, & innocentiam; nobis prælium facit insolens superbia atque libido, quâ divinæ leges, & Ecclesiæ sanctiones convelluntur; nobis prælium facit os gehennæ dilatatum usque adeò, ut *glutiat sublimes & glorioso terræ*, & tot in dies millia populetur, nisi furentes ac cœcos objectu Crucifixi, & tanti sanguinis commiseratione sistamus. Quot excogitandi interea modi arguendi, obsecrandi unum vindictæ cupidum animum, ut in gratiam cum inimico redeat, gladium sanguinis sitientem projiciat? Et si arbor uno ictu non cadit, quot obtestationibus avaro regnum Dei quærendum, Concubinario impuram societatem rescindendam persuadebimus? Alioquin non juberet Paulus peccatores *argui cum omni imperio, increpari in omni patientia:* nisi sexcentis modis nunc terrendo, nunc illacrymando, & omnia charitatis viscera sublimissimis affectibus permiscendo, & stantes conservari, & jacentes erigi, & totius Civitatis animæ unius Oratoris humeris ad cœlum ferri debeant.

Concionator verba factis opponit non verbis.

§. VI.

Quòd Probatio in unoquoque argumento illa sit efficacissima, & gravissima, quæ à Sacris Literis petitur: secundùm hanc, quæ ab auctoritate proximè ad divinam accedente Sacrorum Conciliorum, & Patrum.

Sic enim præcipitur Timotheo: *Prædica verbum*, utique verbum Dei, quod per excellentiam *Verbum* nuncupavit Apostolus: quia cæteræ linguæ omnes loquente Deo conticescere debent, & increatæ sapientiæ, ac veritati deferre principatum. Quodsi Sacri Oratores muneris sui sanctitatem atque præstantiam ritè expendant, tantum abest, ut verbo Dei aliam quamcunque eruditionem præponant; ut omne potiùs causæ suæ firmamentum ac pondus, dicendique gratiam ac nitorem universum inde sibi mutuandum putent, ubi virtus, 2. Tim. 4. 2.

ubi veritas, Eloquentia & gratia, velut in proprio throno suo sedem fixerunt. Et quid Os
Jer. 1. 9. Dei (qualis est Concionator) aliud proferat, quàm Dei verbum? *Ecce dedi verba mea in ore tuo!* Si divinæ voluntatis interpres est ad populum, & pro Christo legatione fungitur, debet ejus Principis, à quo mittitur, verbis mandatam exponere legationem; id quod erit & populo gratissimum, quod Deum ad se loquentem audiat; & Oratori honorificentissimum, qui tali ministerio fungatur ad populum. Si desiderat sapientiæ divitias: consideret (inquit
Libr. 2. de Doctrina Christ. c. ultim. D. Aug.) quantò minus fuit illud, quod despoliatâ Ægyptô ex auro & argento extulit populus, ad illas divitias, quas postea Jerosolymis consecutus est, præsertim sub imperio Salomonis: tanti fit cuncta scientia (quæ quidem est utilis) collecta de libris gentium, si divinarum Scripturarum scientiæ comparetur. Nam quidquid homo extrà didicerit, si noxium est, ibi damnatur: si utile est, ibi invenitur, & plurima ibi, quæ nusquam alibi. Si doctrinarum generalitatem attendas, quis non admiretur, mole tam exigua contineri ea, quæ omni ætati, sexui, ordini erudiendo instruendóque deserviant? ab ea tradi omnem prudentiam *Christianam*, *Civilem*, *Militarem*, *OEconomicam*. Quis non stupeat, uno sacro Codice *Pontifices & Sacerdotes*; *Reges*, *Principes*, *Judices*; *Duces & Milites*; *Patresfamilias*, *eorúmque liberos*; *Dominos & Servos*; *Institores*, *Emptores*, *Venditores*, *Agricolas deniq; & Caupones*; uniuscujusq; statui cóngruis institui præceptionibus? nimirum ut Sol radiis: ità Spiritus Sanctus cœlestibus universa penetrat doctrinis, *nec est qui se abscondat à calore ejus.* Si themata, si materiam dicendi quàm maximè salutarem requiras, ubi manna? ubi virgam? ubi Tabulas Legis, nisi in hac Arca divinissima requiras? si de divina humanáque charitate tractare cupias, cujus amabò *Senecæ*, aut *Epicteti* verbis eam commendabis melius digniúsque, quàm verbis Dei, qui est ipsa Charitas? Futuræ vitæ æterna præmia apud quem alium *Historicum* invenies? Num fortè eas minas, atque peccatoribus decreta supplicia es apud *Plutarchum* reperturus? Eleemosynæ laudes nempe explicabunt accuratiùs *Rhetores?* De remittendis injuriis lucidiùs different *Philosophi*, quàm Christus? Num uspiam alibi extra Sacro-sanctum DEI verbum, de abolitis Christi sanguine peccatis, de pace Deum inter & hominem inita, de cœlestis regni janua per Christum mirabiliter reserata invenies, vel mentionem quidem, id -- quod cui *Platoni?* cui *Demostheni?* cui *Tullio*, aut *Quintiliano* unquam in mentem venit? si argumentorum vim, pondus, varietatem multiplicem, & ad persuadendum requiris efficaciam: sicut Scripturarum est summa Eloquentia, sic vis ad immutandos animos, ad consilia destruenda, & omnem altitudinem humiliandam divina maximáque reperitur. Et quemadmodum Verbo Dei omnia condita de nihilo sunt, & mortui ad vitam suscitantur: sic idem illud per nos prædicatum, mirificam in animos vim exercet, & tantum abest, ut elocutionis humanæ ornatu egeat, ut nudæ plerumque sententiæ terreant, animósque in obsequium Creatoris inflectant nescio quâ occultâ vi, quam Apostolus nominavit *ostensionem spiritûs*, *& virtutis.* Quâ, ut omittam, quòd idem Paulus terrarum orbem jugo
1. Cor. 2. 4. Christi subdidit, aliíque ejusdem verbi prædicatione gentes multitudine innumerabiles JESU
Oliva, Exhort. 6. n. 68. Christo pepererunt: vel apud nos domestícâ experientiâ constat, ea Templa maximè celebritate, & frequentiâ populi floruisse, in quibus *de Deo*, *de Inferno*, *de Judicio* differebatur: & mox evacuata fuisse, ubi his relictis, stylus acutus & floridus dicendi character, ingeniosæque narrationes, & conceptus subintrâssent: ut cum simplici verbo Dei omnis generis Auditorum frequentia; & cum Philosophis & acutis Rhetoribus in Templa solitudo videretur ingressa. Ut adeò nihil Sacerdote Christi videatur dignius, quàm pectus suum consecrare *Arcam Testamenti.* Ipsi adeò populo nihil gratius, jucundiúsque, quàm reperire Pastorem suum *sedentem in medio Doctorum*, veluti *argumentosam Apem* conquirentem, quibus prædicationem suam fulciat, testimonia non solùm Scripturarum, sed etiam Conciliorum & Patrum, ac Traditionum Apostolicarum; quarum auctoritas sicut ad Divinam proximè accedit, ità
1. Tim. 3. 15. eam vim habet, quam sibi jure vendicat *columna*, *& firmamentum veritatis*, quæ est Ecclesia magisterio Spiritûs Sancti instituta: qui sive per eam *scribat*, sive ea, quæ scripta non sunt, per eam *tradat* posteris, in utroque pariter adorandus, & prædicandus.

§. VII.

Quomodo in textibus S. Scripturæ conceptus, velut montibus latens aurum, *erui debeant?*

COnceptus Scripturistici à Sacris Interpretibus & Oratoribus jam deducti, amplificati, & aliquando cum plausu perorati, sunt uti *aurum* jam *cusum* in monetam, quod multorum manibus teritur: at plures adhuc reconditi sensus latent & lumina, quæ non minore cum utilitate audientium ac voluptate proferrentur, comparantúrque auro adhuc in terræ venis deli-

delitescenti, ut dicitur Prov. 2. *Si quæsieris Sapientiam quasi pecuniam* (quæ est jam cusa moneta) *& sicut thesauros effoderis illam* (quæ remota adhuc materia eruentem manum expectat) *tunc intelliges &c.* Prov. 2.4.

Propterea etiam Sponsa Christum patientem non appellavit Vinum, sed *Botrum Cypri:* quia ex illius ærumnis & vulneribus, ac etiam doctrinis, meditatione debet exprimi liquor utilissimorum documentorum, & practicorum luminum. Plurima Sacras Scripturas meditanti occurrent hujusmodi, ex quibus utilissimæ eruantur doctrinæ, varia observando loca, & inter se conferendo, alter enim ab altero locus illustratur, exornatur, vim & spiritum mutuatur. Hinc illa Evangelica Paradoxa, quæ & admirationem & plausum habent, atque ut majorem gratiam habeant, rarius adhibenda sunt, ut vitetur ostentatio: v. g. *Stultus fiat, ut sit sapiens.* Item adhibendo super proposito loco interpretationes SS. Patrum; perpendendo quis sensus *Literalis* (nam quæ hoc sensu nituntur suasiones, plurimum efficacitatis habere solent) Quis *Moralis*, quis *Allegoricus*, quis *Anagogicus?* Atque ex hoc multifario sensu, quis potissimum & quatenus ad rem nostram faciat; quis verbo solum promendus, quis verò expendendus atque ad persuadendum dilatandus? *Versionum* etiam considerandæ varietates, quatenus propositi loci proprietatem reddunt illustriorem, vel vim, atque emphasim augent. V. G. ubi nostra Versio habet: *Diligam te Domine fortitudo mea:* in Hebræo fonte vocabulum est, quod significat *In visceribus condere*, aut *Ex intimo animi sensu amare.* Quod planum est, quantò vim & affectum majorem exprimat, quàm illud: *Diligam.* Cant. 1.13. Hinc discimus, quanto cū fructu Sacerdos quotidie horam rebus divinis meditandis impendat. 1. Cor. 3. 18.

Denique licebit Sacro Oratori ex privata meditatione hausta lumina utilissimè promere ex. gr. ad illud Psalmi: *Holocaustum tuum pingue fiat:* dicendo, Orationem tunc fieri pinguem, cum lacrymis perfunditur, absque his sæpe macram ac jejunam manere. Considerabit Mulierem cum *alabastro unguenti* venientem, *& bene: quia ad alienam domum cum odore bonorum operum intrare debemus.* Perpendet Gedeonicum Vellus in area rore maduisse, & dicet: Bene *Vellus, quod à carne separatum est, rore divino perfundi: quia nostra mens quantò remotior à carnis vitio fuerit, tantò sapientiæ & gratiarum capacior erit.* Et plurima hujusmodi. Psal. 19.4. Luc. 7.37. Judic. 6.37

§. VIII.

De Oratoria Partitione: quantum in ea momenti?

PEristromata complicata oculos spectaculo sui non recreant: ità non satis est, ex Sacris literis invenire, & eruere argumenta, nisi eadem aptè & arte collocentur, ordinentur, & in aciem quandam explicentur. Hinc *loqui* (quod est Oratorum) auctore Quintiliano à *Loco* descendit: Sapiens enim suô *locô* quodque verbum sciens ponit, atque ità Orationem (veluti corpus) multis inter se partibus aptè cohærentibus pulchram, elegantémque reddit; cum enim alia omnia faciat pulchra *Ordo*, & apta partium connexio, ac *Divisio* tum maximè Oratoris thema, & inventionem mirificè adjuvabit argumentorum ad rem spectantium partitio, & bona divisio: primò, si de pluribus seligat pauca, & ea, quæ ad persuadendum plurimam habitura sunt vim: si ea sic collocet, ut firmissima in principio, quæ excellunt, in extremo loco, mediocria in medio reponantur. Quodsi contingat, descriptâ jam Concione, animadverti defectum Ordinis (in quo quantum erratur, tantum in motu aberrabitur) suppleri potest, cùm eam memoriâ comprehendere disponit, signando margines: hoc ex Apostolo Paulo primô locô tractabo; hoc testimonium Prophetæ postea adducam; hoc ex Evangelio reservabo pro fine, ubi vis & concitatio affectuum major. Laus artificis prima est, erudita rerum discretio. Solus novit horologii rotas dissolvere, qui novit ex arte componere. Alia est Partitio, quæ fit in Propositione, quâ toti dictioni certus aliquis scopus præfigitur: V. G. *JESUS advocandus ante, in, & post matrimonium &c.* indicibile est, quantum in tali divisione sit præsidium memoriæ tum ejus qui dicit, tum eorum, ad quos sermo habetur; sicut enim *non est imperitæ multitudinis bene distinguere*, ut ait Philosophus: ita rem ab Oratore bene divisam ac dissertam probè capit, & retinet. Loquor dicitur à *loco*: quia sapiens unū quodque verbum suô locô sciens ponit. Laus prima artificis, erudita rerum discretio. Tom. 3. l. 10. Magn. Moral.

§. IX.

De Narratione Ecclesiastica.

NArratio, quæ ad docendum pertinet, estque rerum explicatio, & quædam quasi sedes & fundamentum constituendæ fidei: fatendum est, quod à multis tam oscitanter, ac perfunctoriè tractetur, ut videatur potiùs ad elucubrandæ Concionis tædium supplendum deservire plerisque, dum ut stylo & labori parcant, in charta tribus, quatuórve locis anno tabunt: In Narrationem sé

temerè immittens in eloquentiæ artem graviter offendit.

tabunt: NB. *Hìc narra ex Judicum Libro &c. Hìc recita ingressum Jonæ in Niniven. Hìc refer Judith orantem, antequam Holofernem dormientem comâ prehendat &c.* Ut ego post hos duos, ac triginta Prædicationis annos continuos, ad res tanti momenti differendas immittere me non ausim sine prævio stylo, & meditata lucubratione: habet enim *Narratio* talis, si ejus virtutes, quæ sunt *brevitas*, *claritas*, *ornatus*, observentur, admirationis plurimum & gratiæ, tenétque auditorem suspensum, & animos intentissimos: cui tanquam fundamento deinde inædificabit Orator amplificationes, & semina omnium motuum & concitationum. Concludam hoc caput Maximi Oratoris verbis, quæ ut quisque, habita præ oculis vocationis dignitate, pro parte virili imitetur, æquum est: *Non patiar, ut ascendam in hanc sedem magna non faciens: nam si hoc non possum, satiùs est infrà stare.*

S. Chrysost. hom. 8. in Act. Apost.

PARS TERTIA.

De altero Sacri Oratoris Officio, quod est, DELECTARE: *sive de his, quibus efficiet, ut libenter audiatur.*

§. I.

Quàm necessariò comparanda Auditorum benevolentia?

ETsi dicendi gratia detur cœlitus, & Dominus aperiat cor eorum, qui audiunt, ut intelligenter, & libenter, & obedienter audiant: quod unum esse de signis Prædestinationis Christus illis verbis asseruit: *Beati qui audiunt Verbum Dei, & custodiunt illud.* Et: *Qui ex Deo est, Verba Dei audit:* ex parte tamen nostra non minus Auditorum quærendus erit, custodiendúsque favor, ac benevolentia: quam qui semel sibi devinxerunt, eam diutissimè retinuerunt Oratores perpetuâ gratiâ plausúque auditi: ut etiamsi mediocria quandoque dicerent, famæ suæ magnitudine & gratiâ sustentarentur apud populum, reputantem pro *Voce Dei*, *non hominis*, quidquid dicerent: contrà qui eam contempserunt, cum quantacunque eloquentia sua deserti sunt; temeritatéque sua, quâ Civitatis principes, Prælatos, Populúmque acerbis violârunt contumeliis, brevi ex amicis hostes effecerunt, subsellia ac Templa evacuaverunt, paradisum in solitudinem commutantes. Nec est, quod cuiquam temerario patrocinetur illa Apostoli sententia: *Si adhuc hominibus placerem, Christi servus non essem.* Os Christi, & tuba Spiritûs Sancti Paulus novit probè, quid sit hominibus *placere* in bonum, quid *placere* in malum & interitum ipsorum: qui sint fines Apostolicæ libertatis, & quodnam zeli moderamen necessarium in re maximè ardua ac difficili, qualis est animarum proventus, & lucrum. Quemadmodum enim Ecclesiasticæ libertatis est veritatem loqui *in conspectu Regum*, & non confundi: sic æqualis prudentiæ erit, quædam retinere silentio, aut reservare tempori; ut in Apostolico Doctore fama libertatis & spiritûs charitati, & discretioni conjuncta, *hostiam* disponat *rationabilem*, quam immolabit in Templo Domini.

Luc. 11. 28. Joan. 8. 47. Gal. 1. 10.

Concionator nō tantùm eloquentiæ, sed etiam prudentiæ famâ clarus sit.

Benevolentiam & gratiam ille solùm contemnit qui muneris sui arduitatem ignorat.

Et certè Auditorum benevolentiam & gratiam ille solùm negliget, qui asperitatem muneris, quod Concionatores subire debemus, ignorat. Primùm, à fluctuante populi judicio: cum enim de aliarum omnium artium operibus ferant peritissimi judicium; Oratorum fama certissimo exponitur periculo non solùm inimicorum, sed etiam ignarissimi vulgi; ità ut cogaris in turba quemlibet vereri, quem extra turbam contemneres. In tot mentibus quot judicia? Quanta varietas, ac diversissima animorum dispositio, & intentioni ut plurimum contraria, ac rarissimè favens? Accedit, quòd nobis periculosissimum cum vitiis susceptum certamen est. Etenim si unicuique pugna adversus suamet vitia est maximè difficilis: quanto periculo putabimus singularem hominem, unius aggredi vitia Civitatis? Quot odia perferenda? quot obtrectationes, & maledicta sustinenda Oratori? Cujus si doctrinam tolerant, vitam insectantur; si vitam probant, zelum non perferent; & quod damna omnia superat, conatu quantò majore ascendet, nullo sæpe tantæ operæ pretio ac profectu revertetur. Ejusmodi querelarum plena sunt Oratoris nostri volumina omnia: is verba illa Evangelii alicubi explanans: *Docebat de navicula turbas*, quærit: Cur *de navicula?* & respondet: *Ut postquam egregiè laverit, statim fugiat.* Ità Ezechielem, cùm mittebatur ad docendi munus in cathedram sudoris quàm fructuum fertiliorem; præmonebat Deus, luctam & certamen ipsi fore periculosum: *Increduli, & subversores sunt tecum, & cum scorpionibus habitas.* Sed quemadmodum Apostolicis Viris pericula nunquam deerunt, donec gloriam Dei quæremus, Diabolo conatibus nostris ubique adversante: sic quæ nos solentur, aderunt sacra illa præsidia humanitatis, veræque dilectionis; cùm observabunt nihil nos quærere, nisi Deum, ipsorúmque apud quos dicimus, salutem, & profectum; quæ res etiam adamantinos animos

Luc. 5. 3. Dō. 4. post Pent. Claudi ap. 1699 Ezech. 2. 6

coget

coget ad redamandum, ad mutandum judicium, ut animorum Medicis, etiam cùm urunt, gratiæ habeantur. Devinciendi denique erunt (quod *Paryſatis* olim *Cyri*, & *Artaxerxis* Mater monuit) etiam *byſſinis verbis*, quibus lucrabitur eorum affectum & gratiam adeò dicenti neceſſariam, ut Oratorum Princeps verè dixerit, Benevolentiam ſore clavim in animos quantâcunque eloquentiâ potiorem: *Ipſa*, inquit, *Orationis elegantia & lepos, Auditorum benevolentiâ indiget, quacunq; ſi etiam mediocriter dixerit, gloriam reportabit, nec non gratiam ſibi conciliabit; citra hanc etiamſi benedicendo excellat, ab Auditoribus tamen negligetur.* Demoſth. in Orat. Funebr.

§. II.

DELECTATIONUM FONTES.

Sacras Literas mirè afficere Concionem.

DElectationem, eſſe Oratoris unum de tribus Officium, quamvis infimum & extremum, docent omnes tum Sacri, tum Profani, qui ea de re ſcripſerunt; & eo ſolùm fine aſſumendam, ut Auditoris animus ſuſpenſus & ſuavitate captus facilius, quò volueris, ducatur, nemo enim flectitur, ſi moleſtè audiat. Ità *Auguſtinus*. Quocirca nec omnia, quæ delectant, promenda ſunt, ſed eatenus ſolùm, in quantum ad docendum ſatis ſit, ut attentus ac docilis reddatur Auditor, quantúmque ad motum animorum & perſuaſionem conducet; neque enim delectatio per ſe eſt expetenda, ſed ob aliud quidpiam, puta, ad majus incitamentum veri boni, quod diligendum: & odium peccati, quod fugiendum. Sic & Medici amaras pilulas inaurant, & melle dulcorant, non quòd iis curæ ſit ægrum ſuavitate recreare, ſed ut eâ ſpecie attractus æger ſalutarem medicinam minore moleſtia ſumat. S. Aug. l. 4. doctrin. Chr. c. 25. Delectatio per ſe expetenda non eſt, niſi quantùm ad motum conducit.

Inter omnia, unde delectationum fontes peti poſſunt, pulcherrimas maximásque ſuavitates continere mihi videntur Sacræ literæ: ut jure Carolus Borromæus Card. Sanctiſſimus & graviſſimus dixerit: *Epiſcopo non eſſe opus horto, ejúſque hortum eſſe* BIBLIA: ubi tot flores, quot ſententiæ; tot gemmæ, quot apices; quot libri, totidem areolæ. Si delectare ſit animus, nihil uſquam verbo Dei, & Scripturis Sacris delectabilius; hanc enim vim habent, ut vel nudè prolata delectent *ſuper aurum, & topazion*: propterea quòd ibi ſententiarum pondus, & majeſtas, Hiſtoriarum varietas, & quæ maximè recreat, Veritas; tot figuræ, Symbola, Metaphoræ, Pſalmorum Poëſis, Proverbia & ſententiæ Salomonis, ſi locô ponantur & tempore: ſunt profectò inſtar margaritæ AA. auribus appendendæ, quarum ornamentum nullum majus Dei verbo. Vit. c. 1. n. 11. Biblia, ſunt hortus Epiſcoporũ. Pſ. 118.

Horum porrò, quæ delectationis causâ excogitata, inventáque ſunt, ut ſunt convivia, ſymphoniæ, ſpectacula &c. voluptas nequit in comparationem venire cum Scripturarum deliciis & apparatu: quæ tantam vim habent ad delectandum cordis palatum, ut verbum Dei omni favo dulciùs illud afficiat: *Super mel ori meo.* Et verè bonus favus, quem manducat Eccleſia, multorum Prophetarum, velut apum ſpiritualium laboribus congeſta mella redolentem. Non ibi deerit *panis confirmans cor*; non lac, ſuaſorius & mulcens ſermo moralis; non vinum: cùm ferventior vis *Verbi* ſit, quàm *Vini*. Quæ compoſitio ſoni muſici gratiùs auditur populo Dei in hoc exilio, quàm remiſſio peccatorum, quæ prædicatur in nomine *Agni, qui tollit peccatum mundi?* Et quàm vitæ perennitas, reſurrectio defunctorum: quibus auditis velut linteo quodam, exulum tædia ac lacrymæ temperantur? Quodnam ſpectaculum voluptate dignius gratiúsque, an in Amphitheatro hominem cum beſtia, an Jobum cum Diabolo luctantem intueri, eúmque qui immortalis eſt, revinctis poſt terga manibus à mortali in triumphum duci? Habet hic Chriſtianus ſpectacula potiora ſi velit, habet veras profuturásque voluptates, ſi oculos, ſi animum adverterit ad videnda divina judicia, impiorum ſupplicia, ſuperborum naufragia, piorum præmia. *Videbit* (inquit B. Cyprianus) *maria populo ſiccata, & de petra rurſus maria populo porrecta; ſpectabit de cœlo deſcendentes meſſes, non ex areis; inſpiciet fluctuum vortices inſtar montium ſtantes, & reverentiâ prætereuntis exercitûs Domini ſe loco movere non auſos. Videbit in quibusdam fidem cum igne luctantem, religione ſuperatas feras, quin animas ab ipſa morte revocatas videbit: & in his omnibus jam majus intuebitur ſpectaculum, Diabolum illum, qui orbem terrarum in triumphum duxerat, ſub pedibus Chriſti jacentem. Quàm hoc decorum ſpectaculum Fratres! quàm iucundum!* Hæc & plura Præſul diſertiſſimus, & Martyr fortiſſimus. Pſ. 111. Libr. de Spectacul.

Itaque ſi eſt Chriſtiano Oratori propoſitum (ſicut eſſe debet) ſolidè Concionem oblectare, atque ea re efficere, ut libenter audiatur: habet domi *ubera Sponſi*, unde prior ipſe ungventa ſugat fragrantia, & delectationes cœleſtes, & quæ magis frequentet, quàm ſubterraneam cellam Cant. 1. 2.

Vox Dei plus suavitatis habet prædicata. quàm lecta.

cellam vinariam; habet inquam Sacras literas, quarum natura insuper ea est, ut majorem excitent voluptatem auditæ, quàm lectæ, illabuntur enim in aures vocis quadam suavitate, ac sono, cui gratiam conferunt gestus, totiúsque corporis decora & ex arte quadam moderatio: quibus sanè rebus non mediocris fit voluptatis torrens qui capitur ex auditu, ut dum mira dulcedine verba Dei per aures influunt, omni nectare jucundiùs animum afficiant.

L. 2. de doctr. Christ. c. 6.

Duo hic ex S. Aug. consilio observanda: alterum, ut non ipsos tantùm Sacræ Scripturæ sensus & substantiam, sed ejus ipsissima etiam verba Auditori repræsentes: quia etsi reipsa tu idem dicis, quod illa dicit, tamen, ut experientiâ notatum est, minùs Auditorem delectat si tuis, quàm si illius verbis proponas. Unde hoc? Nimirum illa est Spiritûs Sancti vox, hæc minimè. Ex quo illud alterum commodum non parvi momenti sequetur: ut is, qui minùs dicit eloquenter (& quod consequens est, minùs jucundè) sapientiam eloquii, & nitorem mutuetur sibimet à Scripturis Sacris: oportet enim quantò se pauperiorem cernit in suis, tantò linguam de cœlestibus fieri ditiorem, & alieno crescere splendore, qui non potest suo. *Docendo delectet, qui non potest delectare dicendo.* Ità Sol Africæ, cui quod addam, non habeo.

L. 4. de doctr. Christ. c. 4.

§. III.
SECUNDUS FONS.

Si dicat aptè; quod fit, si Oratio tum dicentis personæ, tum Auditorio sit maximè accommodata.

In 2. de Orat.

APtè dicendi ratio (quæ est ornatûs pars maxima) in eo sita est, ut in omni re quid potissimùm deceat, consideremus: non enim omni causæ (ut ait *Cicero*) neque Auditori, neque personæ, nec tempori congruit orationis unum genus. Considerandum proinde: *Quis dicat*, *Cui dicat*, *Qua de re dicat*, & *Quid* potissimum dicendo consequi velit, atque ità ad leges non solum artis, sed & prudentiæ attemperabit omnia, quæ sicut rerum omnium gerendarum, ità dicendarum moderatrix est. Inter ejus autem officia & maximum, & difficillimum est, quid ubique deceat, intelligere. *Decorum* non est par in omnibus. Aliter juniores dicunt, aliter Veterani; aliter Principes Viri, aliter in privata fortuna; aliter inferioris ordinis ministri, aliter Episcopi, cum quibus ipsa authoritas perorat, & Dignitas: his enim multa licent, quæ aliis non perinde, sicut apparet in Chrysostomi & Cypriani Concionibus; neque enim tantam emphasim habet & gratiam in Diacono, ac in Episcopo, si dicat: *Se omnes in Christi visceribus complecti &c.*

Decorum, non est par in omnibus qui dicunt.

Apud quos etiam dicit, considerandum. Nihil est magis Eloquentiæ contrarium, quàm eloquentiæ splendorem, & admirationem affectare apud mediocres homines; ex quo fit, ut ii nulla affecti cœlesti voluptate, jejuni & aridi suas in ædes revertantur sine fructu, Oratore prædicante seipsum, non Christum Crucifixum. Eloquens est, qui apud quos dicit, ità dicit, ut ab iis *intelligenter*, *& libenter*, *& obedienter audiatur.* Elisæus filium suscitaturus Sunamitidis, *Ascendit*, *& incubuit super puerum: posuitque os suum super os ejus &c.* nimirum ut ab ore Prophetæ vitalem mortuus acciperet spiritum. Quia tunc se se incurvat Orator, & ponit *Os suum super os* populi, cum eorum apud quos dicit, accommodat se sermoni patrio, captui, naturæ, inclinationi. Eundem cibum manducat infans, quem nutrix, sed prius à nutrice per humiditatem mamillæ in lac conversum, quod est substantia nova, puerilis alimentum ætatis: sic pro varietate ætatum, ingeniorum, personarum, & vitiorum quæ in populo plùs, minúsve grassantur, variè sermo accommodandus. Alia proderunt viris, alia uxoribus; alia senioribus, & alia junioribus. Aliter tractandus sermo ad agrestes, aliter ad nobilium aures, aliter ad Principes; aliter apud innocentiores & devotos, aliter ad sceleratos, & impios. Meliores Concionatores Ecclesia non habuit, quàm qui incœperunt à Catechismis rudium, ponendo *Os suum super os eorum*; tum qui per agros in Apostolicis expeditionibus fregerunt divini verbi panem; post multos demum annos ad Urbes frequentiâ populi celebres eloquentissimè dixerunt. In prima expeditione didicerunt idioma parvulorum, & spiritum; in secunda popularem linguam, & mores patrios, animorum habitudines, virtutes, & vitia periclitati: facti *omnibus omnia*, perfectissimi Oratores evasêre. Quo autem præsidio eloquentiæ celebritatem hanc consecuti sint, nunc dicendum.

4. Reg. 4. 34.

Optimi Concionatores, qui ex agris ad urbes venerunt gradatim.

§. IV.
TERTIUS FONS.

Eloquentia Popularis.

ELoquentia, utpote animorum *Svada*, populi se naturæ, moribus, & stylo accommodat, imitando idioma & sermonis legem, quâ vulgus in agris, quâ cives in Urbibus, Nobi-

Nobilitas & Principes in Aulis inter se agunt, & versantur. Sicut in Artibus aliis liberalibus aliud est idioma *Poëtarum*, aliud *Dialecticorum*, aliud *Legisperitorum*, aliud *Medicorum*, quod qui non discit, non intelligit: sic hic voco *Linguam popularem*, certum modum, stylum, & habitudinem naturalem, quam ad se quisque, vel ad invicem mutuò habent Parentes & Filii; amici, inimici; vicini, & unius legis societate devincti; honore pares, vel impares; Principes vel privati; Milites, Opifices, agricolæ; fœminæ, viri; & ætatum varii gradus; sanguine cognati vel extranei: habent enim isti *idioma proprium* & linguam, quâ inter se mutuò popularia studia & affectus communicant natura duce; atque sicut unius patriæ societas, vestiúmque & morum similitudo est mutui amoris vinculum: ità non alia arte putem citiùs capi animos atque devinciri, quàm si horum, quos Christo lucrari quæris, idioma, popularem sermonem, eloquentiam, affectus, mores, studia in quocunque genere causæ dicendo imiteris, & modum, quem ipsi in deliberationibus & suasionibus adhibent, observes; quod est propriè loqui *linguâ populi*, & non linguâ ipsis ignotâ, ac barbarâ; scire uti domesticis ipsorum argumentis, & ex notis alia ipsis ignota, cœlestia peregrinaque eruere, communia non communiter tractando. Sic Apostolus Paulus occasione statuæ, in qua scriptum viderat: IGNOTO DEO; argumento maximè suasorio, ac populari intulit, se Athenienſibus ostensurum verum Deum, quem ignorantes colerent. Popularitèr dicere, quid sit?

Ex hujusmodi observatione, ortum habuit celebrem ars *Exordiorum!* quâ attentum, docilem, benevolum efficimus Auditorem, ex usu ipsorum populari; nemo quippe aut Judices, aut honoratam accedit personam, quin causam suam expositurus, urbano priùs salutationis officio, ac præfatione attentionem, benevolentiámque necessariam sibi conciliet; & si Judex sit, ab ejus persona primùm præfabitur, commemorando ejus justitiam, integritatem, boni comunis studium ac defensionem, qualia Exordia etiam impios Judices conciliant; nemo quippe est, qui nomen *justi* non libentissimè audiat. Ità David ut ab avarissimo *Nabalis* animo sibi Exercituique suo annonam impetraret, primùm per nuncios eum ex nomine suo salutari jussit, tum exposuit officia humanitatis, ac benevolentiæ, quâ gregibus ejus ab insolentia rapinisque militum optimè consuluisset, & tanquam bona propria defendisset; se proinde certissimè confidere, eum militibus in præsenti caritate annonæ non tanquam alienis, sed tanquam Patrem filiis & amicis consulturum: *Quodcunque invenerit manus tua, da servis tuis, & filio tuo David.* Jucundissimum legere ibidem, cum irato furentéque Davide, Abigailem eloquentiæ paribus artificiis certantem: primum ipso situ corporis humilitatis studium professam, atque ad Ducis pedes corruentem orare gratiam loquendi; dein præfari ab stultitia dementiáque Nabalis, & quod se insciâ evenisset insolens facinus, & quæ sequuntur argumenta ad dehortationem ingeniosissimè excogitata. Sic idem jam in Regem auctoratus & unctus in Hebron priùs, quàm viris Jabes-Galaad regiam successionem electionémque suam exponat, fidelitatisque postulet sacramentum: præmittit Exordium à laude civium, gratiarum actione, & commemoratione divinæ retributionis, quòd suprema honoris officia mortuo Regi suo persolvissent: *Benedicti vos à Domino &c.* deinde latenter subjecit causam: *Sed etsi mortuus sit Saul &c.* Quod Orator in gravibus causis utiliter imitabitur dicendo: se scire eorum studium ad consequendam beatitudinem æternam, & quanti faciant animam suam, & Christi OPT. MAX. nomen, ob cujus amorem, & gratiam nihil omissuri sint &c. Quæ plurimùm valent ad benevolentiam, súntque semina præjacta motuum, atque persuasionum: modò ne sint multa, & longa, quæ præfatur. Prolixa *Exordia* Auditorem ante pugnam fatigant. *Longa præfatio, longa Concio;* mox fugitur è templo. Aliquando pulchra *Propositio* vicem subit Exordii, suâque brevitate & concinnitate plus delectat. Unde nata sint Exordia? 1. Reg. 25. 8. 2 Reg. 2. 5.

Et ut paucis, quod sentio, dicam: Popularitas sermonis, quæ est virtus maximorum Oratorum propria, ac consummatæ eloquentiæ partus; quia ubique pro dicendi *mensura* Auditorum aures habet, & naturam, ad stylum suum figuras adhibet maximè populares, quales sunt *Dialogismi*, & *Percontationes*, & *Suspensiones*, scitè loco suo *Proverbia* ponit, & *tropos* venustiores, & formis dicendi tanquam condimentis utitur. In docendo argumenta depromit captui, memoriæque maximè accommodata, & quæ annexam delectationem cumprimis, admirabilitatémque habent partim in se, partim ex modo tractandi communia sublimiter, & sublimia dilucidè, ac intelligenter: quo in genere Divus *Chrysostomus* omnes dicendo superavit. Argumenta porrò non tam nova, ac speciosa, quàm fructuosa requirit, & populo maximè accommodata, nec Nobilioribus auribus injucunda, quæ duci solent ut plurimum ex *Comparatione parium, minorum, majorum:* ex *Similibus, Dissimilibus, Contrariis*, ex Popularis Eloquentiæ eximia laus.

Ethimologia, sive *Notatione*, cùm rerum vis, ac natura vocabulis ipsis aliquando designatur, maximè in nominibus â Spiritu Sancto impositis. &c.

Humiliter rudis quisque; populariter non nisi eloquentes dicere possunt.

Sed cùm humiliter imperiti loqui possint, *populariter* dicere nonnisi Eloquentes & exercitati Oratores; quódque modicis è rebus argumenta ducantur sublimia, & quæ motui maximopere deserviunt: exemplo sit Thema, de animæ damno ex privatione visionis Dei. *Vos igitur non æstimabitis magnitudinem damni, quod ex impœnitentia finali in vos redundabit, si æternùm conspectu Dei arcebimini? Quanta hæc pœna sit, documentô filiorum vestrorum velim ediscatis. Tu igitur Mater quid dicis, cùm à filio tuo protervo animadvertis te & crebrò, & magnis injuriis violari? Veniet, veniet aliquando tempus ô improbe! cùm te talia perpetrâsse in Matrem seriò pœnitebit, tunc enim aperies oculos primùm, cùm ego meos clausero, & quam viventem videntémque afficis injuriis, mortuam sepulchro levare optabis. Solitarius, inops, desertus quid ages? quò te vertes? Requires ubera quæ suxisti, manum hanc tui altricem, & qui te gestavit sinum (atque utinam pro te lapidem gestâsset!) implorabis miser, & apud quem alium opem posces, qui matrem odisti, ac perdidisti? Sepulchrum erudiet te meum, quem in matre thesaurum amiseris, postquam dexteram hanc meam etsi cupias, ultrà videre non poteris. Talia audientes filii vestri tanquam ense in pectus adacto, deliquio quodam & lacrymis repentè obortis conficiuntur, quòd vultum vestrum visuri amplius non sint, atque hæc verborum castigatio ipsis omni pœnâ amarior accidit. Itáne filii, tanti conspectum faciémque vestram habent, ut eâ privari sine lacrymis audire non possint; vos detrimentum non perhorrescitis, quibus Deus vultum suum se absconsurum comminatur?* Ubi vides, à comparatione minorum ad majus argumentum à re petitum non magna, tractari tamen ad affectum sublimiter, nervosè, ornatè, populariter. Audi Hieronymum argumento populari luxum mundi, cum jejunio Eremitæ Pauli divinè comparantem: *Libet* (inquit) *eos interrogare, qui sua patrimonia ignorant, qui domos marmoribus vestiunt, qui uno filo villarum insuunt prædia. Huic feminudo quid unquam defuit? Vos gemmâ bibitis: ille naturæ concavis manibus satisfecit. Vos in truncis aurum texitis: ille ne vilissimum quidem vestimentum habuit mancipii vestri. Sed è contrario: illi quidem pauperculo paradisus patet, vos auratos gehenna suscipiet. Ille vestem Christi, nudus licèt, tamen servavit: vos vestiti sericis indumentum Christi perdidistis. Paulus vilissimo pulvere coopertus jacet, resurrectionis in gloriam: vos operosa saxi sepulcra premunt cum vestris opibus arsuros. Parcite quæso vobis, parcite saltem divitiis, quas amatis! Cur & mortuos vestros auratis obvolvitis vestibus? Cur ambitio inter luctus lacrymásque non cessat? An cadavera divitum, nisi in serico putrescere nesciunt? Mihi si Dominus optionem daret, multò magis eligerem tunicam* Pauli *cum meritis ejus, quàm Regum purpuram cum pœnis suis.* Hactenus S. Doct. Ità etiam D. Chrysostomus ad Viros Nobiles, ut temperantiam discant à *Canibus* suis: *Vos me coëgistis*, inquit, *illinc exempla sumere, nam ex cœlestibus quidem oportebat: sed quoniam si dixero, vos dicere soletis eos & magnos esse, & nihil ad vos pertinere: propterea dico cœlestium nihil. Nam etsi* Paulum *commemoravero, statim dicetis eum fuisse Apostolum. Propterea* Paulum *taceo: nec* Angelum, *nec* hominem *adfero, sed* Bestiam, & bestiam, *quæ hoc à natura non habet, sed curâ vestrâ. Non quòd canis fatigatus sit, non quòd cursu distractus, non quòd propriis cœpit laboribus computat, sed his omnibus postpositis domini custodit præceptum, & ventre efficitur superior. &c.* Et concludit: *Quod ex consuetudine didicit ille, hoc ex ratione tu non perficies?* Ità Chrysostomus hic Nobilium linguâ usus: qui canes suos docent, ne captam prædam attingant: & ventres ipsi suos docere temperantiam non possint? Alibi comparans divites cum pauperibus, & hos multò illis meliùs vestitos (utique virtutibus) ostendit: *Cùm de Inferno, de Gehenna verba facimus, quis tremit? quis perhorrescit? Nónne vestiti illi? At pauperes corpore nudi, sed animâ ornati, quæ dicimus, tanquam aliena admirantur &c.* Sensum retuli, non verba. Ubique illius Oratio talibus viget luminibus, & argumentis à re non magna petitis, sed arte & tractatione sublimibus, captu facilibus, & jucundis, aculeo & robore armatis: Quod Populari Eloquentiæ solemne est, & quantum quisque proficit in hoc elocutionis genere, tantum ad summos Oratores accedit imitatione.

S. Hier. in Vita S. Pauli Primi Erem. & Ep. 22. ad Eustoc.

Homil. 42 ad pop.

§. V.

QUARTUS FONS.

Similitudines, Contraria.

Similitudines, popularis sermonis maximus ornatus: ad docendum simul, & delectandum aptissimæ sunt, in quibus cœlestem ac divinam quandam indolem agnoscit D. Chrysost. in Joan. explicans *Albas regiones*, quibuscum comparaverat Christus Samaritanorum promptam

Hom. 33. in Joan.

ptam discendi voluntatem ac studium, si esset, qui doceret. Et passim in Scripturis omnibus Spiritus Sanctus adhibet *imagines* à visibilibus desumptas, ad explicandas res maximas & arcanissimas. Est enim (ait Philosophus) innatum nobis, ut *ex notioribus, ac ex iis quæ sensu percipiuntur, ad ignotiora, & quæ intellectu comprehenduntur*, procedamus. Quo pacto tres animæ nostræ potentiæ multum vehementérque adjuvantur: dum *Intellectum* à notioribus ad ea quæ ignota altioráque sunt, capienda disponunt, quódque per simplex præceptum apprehendi continuò non potest, sub imagine propositum eò delectabiliùs mentem ingreditur, quò illustriores fuerint rerum *imagines*, *parabolæ*, *symbola*, sub quorum velo atque pictura veritas adumbratur. Deinde *Voluntatem* movent quatenus in lumine similitudinum, obscura intelligentiæ fiunt viciniora, & paulatim robur & vim argumenti explicant applicántque parti animæ, in qua fieri debet motus; est enim *convenientia, propter quam res disparis naturæ inter se in aliquo tertio conferuntur*, intrinseca quæstioni, & connexa insitáque naturæ rei, non autem ex assumptione Oratoris; itaque ex se apta ad permovendum. Denique *Memoriæ* semper tenaciùs inhærent, & infiguntur firmiùs species intelligibiles sensibilibus affixæ: cùm etiam ob voluptatem & gratiam mirificam tenetur fortiùs, quod intrat blandius. Ex oppositio idem dicendum *de Contrariis*, cum contrariorum contraria quoque sit ratio. Quorum sicut magnus est usus, sive aliquid refellere, aut confirmare, sive ornare, & illustrare studeat Orator: sic insignis pariter utilitas, & gratia. Sic comparari poterunt Jejunium, & delicia &c. Ità graviter dictum à Jehu Rege, cùm eum impius Joram de pace interpellaret: *Quid tibi, & paci? adhuc fornicationes Jezabel matris tuæ vigent. Laceſſimus quotidie cælum sceleribus, & pacem quærimus? &c.* 4. Reg. 9.

Similitudinibus tres animæ potentiæ mirificè adjuvantur.

Redeamus ad *Similitudines*. Possem ego hic exscribere, quas variâ lectione pro Sacrarum Concionum usu meo collegeram, *Similitudines* quadringentis multò plures. Eæ verò universim censentur gratissimæ, quæ ex diversis Scripturis eruuntur, ut dum D. Ambrosius IV. *Virtutes Cardinales*, IV. *Fluviis Paradisi* comparavit. Evangelia his plena sunt. Atque sicut margaritæ serico filo colligantur, ut simul custodiantur, & tum brachio appendimus, ut semper in conspectu habeamus: ità Summus Orator Christus sua documenta Parabolis, quasi filis intexuit, quò memoriæ nostræ tenacius inhærerent.

§. VI.
QUINTUS FONS.
Ornatus; & quinam illius fines?

Sicut turpe est ei, qui Christum *Crucifixum* prædicat, eas verborum delicias, & affectatum dictionis ornatum sectari, qui nec in profanis Oratoribus ferendus sit; *neque enim* (ut S. inquit Augustinus) *Doctor verbis, sed verba Doctori servire debent*, quæ deesse non poterunt iis, quibus de cœlo promittitur os, & sapientia: *Dominus dabit verbum evangelizantibus virtute multa*: ita ex adverso conveniens dictionis ornatus, qui fit tropis, & figuris, quales & Spiritus ipse Sanctus summa cum venustate & gratia adhibet tot in variis dicendi formis: necessariò adhibendus est ad finem, quem habet Orator sibi prafixum solidè delectandi, & per hoc sternendi sibi ad victoriam aditum. Quemadmodum enim vasis pulchritudo bibendi voluntatem conciliat, & acuit: sic verborum ornatus ad perbibenda saniora dogmata Auditorem invitat, pellicitque.

Non Doctor verbis, sed verba Doctori deservire debent. Psal. 67. 12.

Duæ res faciunt Orationem jucundam & gratam: *Perspicuitas*, & *Ornatus*. Perspicuitas fit verbis maximè propriis, Ornatus etiam translatis. Cum enim inter ipsa verba alia aliis consonantiora sint, grandiora, honestiora, sublimiora, nitidiora, vocaliora, in iis delectus is habendus erit, ut cum rerum, de quibus dicimus, natura & dignitate cohæreant; quod fiet, si rem unamquamque verbis maximè propriis ac nativis exprimamus in quovis idiomate, cujus Concionator perfectam habere debet notitiam: quomodo enim verbo translato dicet, qui verbi propriam nativámque significationem ignorat? Contrà perfecta idiomatis patrii possessio cum arte Eloquentiæ facilè videbit, ubi verbum, aut sententia à loco proprio ad improprium & alienum concinnè, & cum gratia deduci queat; aut rectus & simplex sermo adhibitâ figurâ nitidiùs, graviùs, sublimiúsque efferri possit. Sicut enim eidem corpori, vestium genera plura pro varietate statûs, ac temporis accommodari possunt, quorum alia ad gravitatem, & pompam; alia ad venustatem, alia ad luctum, & mœstitiam; alia ad humilitatem, & sanctitatem accommodantur: ita eadem sententia diversis dicendi formis explicari, & quodammodo vestiri potest, quarum aliæ venustatem, aliæ gravitatem, aliæ vim & acrimoniam præseferant. Eruditi autem artificis est videre, quid unicuique loco conveniat: ubi verborum figuras, quæ venustatem delectationémque præcisè spectant, adhibeat;

beat; aut ubi figuras ſententiarum, quæ ſunt ad inſtandum & commovendum, ac flectendum, pro dignitate evibret. Ità, quod rectâ ſententiâ poterat dicere Pſaltes: *Peccator* non
Pſal. 10. 13 habuit cauſam offendendi Deum; ſublimiùs expreſſit per figuram: *Propter quid irritavit impius Deum?* Lege *Auguſtini Valerii* Epiſcopi Veronenſis *Rhetoricam Eccleſiaſticam ad Clericos*, tribus Libris cœptam, & tribus aliis continuatam à Ludovico Granatenſi Ord. Præd. qui poſterior ſingulas tam verborum, quàm ſententiarum Figuras, pulcherrimis è Scriptura, & SS. Patribus deſumptis exemplis mirificè illuſtravit. Multa hujusmodi offert Oratori Sacro tum ipſa quæſtionis natura, tum combinatio & tractatio, rerúmque varietas & affectuum. Aliquando in Exhortatione de Paſſione Domini die Veneris Sancto, in quem diem inciderat Annunciatio B. M. V. Orator dicebat: *Auditur in Nazarethana domo Ave! auditur in Prætorio Pilati Væ! Hinc Chriſti vulnera, inde Matris ubera; Quò me vertam, neſcio.* Quàm hoc ad affectum & motum potentius, venuſtiúsque, quàm ſi dixiſſet: Multùm diverſum ſibi videri ſtatum Virginis cum Angelo, & Chriſti cum Pilato &c.

De *Pronunciatione* decora, quæ magna pars eſt delectationis & motûs: dicemus brevi, cùm de tertio, graviſſimóque Oratoris munere dicetur, quod eſt animos commovere, & flectere.

§. VII.

An auditorii frequentia, & multitudinis applauſus optimi Concionatoris ſemper ſignum?

LEgimus, ac noſtrô etiam ævô ſpectavimus, quosdam Oratores admirabili plauſu ac frequentiâ celebratos auditósque fuiſſe, ſed cum ea diverſitate, quam *S. Gregorius Naz. Auguſtinus*, & *Joannes Chryſoſt.* annotârunt: qui affirmabant tum ſe populi approbationem conſecutos, non cum applauderetur, ſed cùm animis concitatis, atque collacrymantibus oculis à Concione diſcederent. Contrà vidimus alios populi concurſu ac frequentiâ, quam Templum vix capere poterat, conſtanter auditos, ut etiam ſubſellia maturius occupari deberint; ſed fructu adeò nullo, aut exiguo ab Auditoribus relato, ut ſpes tota cœleſtium proventuum in virores inanes, & foliorum pompam abiiſſe videretur; non referebatur ex eorum concione fides vegetior, non ſpes æternorum robuſtior, non charitas Divina ac humana inflammatior, atque ardentior, non major ſæculi fuga, peccati horror, quàm antea; non morum, non vitæ mutatio, aut ejus generis fructus, quos parere conſuevit *Lex Domini*
Pſal. 18. 8. *convertens animas.* Fieri id nonnunquam non Sacrorum Oratorum vitio, ſed populi, qui verborum figurarúmque extimos cortices attendunt, non res ipſas, non pondus, non ſpiritum eloquiorum divinorum penetrare, ſibique applicare ſatagunt, contenti celebris Oratoris interfuiſſe dictioni ſacræ, & acclamare Evangelicum acroama: *Nunquam ſic locutus eſt homo!* Convivæ, ſedata ſiti, demum pocula verſant manibus, & ſculpturas admirantur. Exigui ſpiritualis fructûs ſignum eſt, cùm ſtatim à Concione applauditur Oratori: primùm ſalutaria documenta ebibere oportebat, ac tum demum licebat Orationis ornatum contemplari, & admirari: ſed dum continuò ad acclamationes itum eſt, fructus ſperatos ipſo plauS. Chryſoſt. Hom. 20. in Acta. ſu laudibúsque periiſſe, & domum vacuos rediiſſe graviſſimi ſæpe Oratores deplorârunt, & quaſi fruſtra dixiſſent omnia, ſic afficiebantur. Sed quemadmodum Æthyops etſi de balneo egrediatur æquè niger, Balneator nihilominus ſuum deſumit pretium: ità quòd ex illuſtri dictione exiguus ſæpe referatur profectus, laboris ſui Orator fructum non perdet cœleſtem. Accedit ipſorum Auditorum naturæ diſpoſitio ac habitudo diverſiſſima, & intentio, quâ in templum confluunt, varia omnino; alii veniunt, ut videant & videantur; alii, ut ſciant, ut deliciis verborum fruantur, ut in ſpeculo quodam ſermonis vultum ſuum contemplentur, vel quia urbe tota confluente pudet abeſſe; ex centum quot intrant hoc fine, ut ſciant, & faciant? Et cui unquam Concionatori eſt conceſſum quatuor in partes auditorium partiri? ut
Quatuor in partes auditoria partiri nemini datum. in unum locum convenirent tantùm *petræ*, in alium *ſpinæ*, in tertium animæ *ſecùs viam*, ac dein ſeparatim ab reliquis *terra bona.* Omnes iſti animi tam diverſa habitudine cœleſtem (Ecce confluxum Auditorum!) recepêre ſementem, ubique aliquid *Cecidit*; & cæteris pereuntibus, ſola pars *quarta* ſeminis Patrifamilias reddidit proventum.

Contrà ad alios confluebat innumerabilis Auditor veluti ad Comœdos ſpectandos, audiendósque Scenicos homines, qui lenociniis eloquentiæ, novitate rerum, conceptuum (ut ipſi putabant) verborúmque luxuriantium majeſtate, reſperſis paſſim ridiculoſiſſimis narratiunculis famam, & gratiam populi aucupabantur: & quemadmodum nihil vulgi judicio fluctuantius; eveniebat, ut poſteaquam in tali homine ſe demum portum reperiſſe credebant, ejus dicendi genere capti deſertis optimis Oratoribus ad hos populari levitate confluerent univerſi,

versi, non multum soliciti, an is *Christum*, an *Æsopum* prædicaret? Utrum textus sumptus esset ex *Epistola Pauli*, an *Ovidii?* dum ancillaretur voluptati populi aures demulcente sono instar cytharœdorum, & non exemplo Medici urentis ferro & igni. Quanquam verò hic ipse Concionandi modus non erat sobriorum hominum, *nemo* enim *ad animas ruinandas procedit sobrius:* tamen his artibus & facetiis quæsita approbatio & plausus civium, multò magis Oratores eos reddebat gloriâ ebrios: sacra omnia profanáque permiscendi libidine, jungebant remotissima in unam Societatem, *Christum*, cum *Idolis*, cum *Psalterio Horatios*, cum *Evangelio Marones* & *Tullios*, & *Livios;* nocturnis diurnisque horis eviscerabant se se labore, immensisque tædiis, ut cum araneo popularis gloriæ muscam retibus eloquentiæ suæ concluderent. Proh! Hoccine demum est operæ tantæ pretium? Hæc Apostolicorum digna præmia fatigiorum, ut leviculorum hominum congratulationibus fœdissimè delusi, Ecclesiæ majestatem in scenica spectacula, eloquii sanctitatem in meretricios ornatus, in fucos ac purpurissos; Oratorium nomen in Histriones, Circulatores, & Comœdos commutent; & quorum erat animarum clades, atque exitia pro viribus amoliri, eàs in foveam impellere, maximisque viribus in ruinam urgere?

At cum plausibus audiuntur! Qui inter profanos arte dicendi celebrabantur, & ipsi sæculi Philosophi sapientiæ terrenæ dignitatem, atque præstantiam metiebantur non plausu, sed silentio, fructúque suorum Auditorum; dicebant enim magnam præclaramque laudem non abesse ab admiratione, admirationem autem, quæ quidem maxima est, non parere verba, sed silentium. Quodsi in terreno Athenæo præclarè disseruisse credebatur, ex cujus doctrina silentes abibant discipuli: & ego nihil boni ominor in doctrinis cœlestibus ab illo Oratore esse præstitum, cujus Concioni à redeuntibus totâ plateâ applauditur, acclamatur! cùm enim Sacrarum natura ista sit doctrinarum, ut mentes ad cœlestia desideranda elevent, cor compungant, horrorem Judicii ingenerent, damnationisque æternæ metum incutiant: oportebat Auditores per forum demissis capitibus silentes proficisci domum inter suspiria & lacrymas, cùm libidinosi gehennæ metu perterrefacti, deliberarent de nefariis amplexibus rescindendis; cùm inclinatis cervicibus elatus quisque de Christi modestia cogitaret; iracundus inimicitiæ deponendæ; avarus & raptor restituendarum rapinarum consiliis decretisque occupatus, Oratoris veras laudes non plausibus, sed lacrymis gemitibúsque contestarentur; à quibus affectibus cum eos sermo triumphalis indicet quàm remotissimos esse, signum est, ipsos à Concione rediisse velut à spectaculo publico, voluptate affectos: quæ si sola tantis laboribus quæritur merces, nihil minùs quàm Majestati tanti muneris respondimus, ex Oratoribus facti *æra sonantia, & cymbala tinnientia;* nec inde ex quantacunque Auditorum frequentia major apud cordatos & sapientes in Oratorem honor redundabit, quàm in quemcunque Circulatorem ac Scenicum, voluptuariis spectaculis ad se se populos innumerabiles pellicientem. *Sed jam claudendi Fontes, sat prata biberunt.*

PARS QUARTA.

De Tertio, ac præcipuo Sacri Oratoris officio, quod est: MOVERE.

§. I.

Character veri Eloquentis.

QUoniam rerum omnium quæ ad finem aliquem referuntur perfectio, finis adeptione continetur: perfectáque est ars omnis, quæ vel finem sibi propositum assequitur semper, vel certè ei assequendo est accommodatissima: is demum Orator in Ecclesia Dei perfectus & eloquens dicendus erit, qui ubicunque dicat, & quidquid, & apud quoscunque dicat, ea sit præditus facultate, eámque dicendo adhibeat elocutionem, quâ eum qui audit, quocunque velit impellat, unde autem velit deducat; tametsi minoribus orationis ornamentis & luminibus agat, dicátque apud rudes & ignaros rustico & simplici sermone, apud pueros puerilium morum scitâ ac venustâ imitatione, stylóque ad ætatis captum depresso: accommodando se in omnibus *decoro*, & quid attentis circumstantiis ubique deceat, præ oculis ferendo. Qui & ad pueros, & ad agrestem Auditorem ea dicat, quæ eis permovendis accommodatissima sint, & non minore zelo, quàm si lucrari deberet Cæsares. *Non enim quærimus* (ait Tullius) *quid sit Attice, sed quid sit optimè dicere*, nunc adhibitis, nunc detractis ornamentis; modò *gaudendo cum gaudentibus*, & *flendo* ubi opus, *cum flentibus;* modò tonando & fulminando cœtus hominum dicendo tenere, animósque suspendere, & quò lubet flectere, quocunque demum dicendi charactere utatur, apud eruditos sublimiùs, apud Prin- De opt. genere Orat.

Principes augustiùs, apud cives populariùs, incitatiùs & dilucidiùs; ad Juvenes latiniùs, ornatiùs, ardentiùs. Optimus Ecclesiastes, qui in animos imperium sic obtinuit, ut auctoritatem sibi creditum gregem ducendi quocunque vellet, ad bona consilia amplectenda, ad sacra Templa ornanda, ad sanctas Societates instituendas, ad rescindendas inimicitias, ad pravas consuetudines melioribus commutandas ubique retineat: qui solemnes fructus eorum Concionem consecuti, maximum Ecclesiæ pariunt gaudium, & parem eloquentiæ famam bene meritis conciliare consueverunt.

§. II.

Quòd movere animos, Dei donum sit, multarúmque partus virtutum.

CUm in suo fundo nemo alium dominari facilè patiatur, multò minùs in animum & cor (quæ liberrima sunt) alienum exerceri velimus imperium: non est cujusvis hominis affectus excitare, vel sedare, quod donum Dei est, *in cujus manu cor Regis*, & humanas mentes unus pro summo suo imperio moderatur, & flectit. Quo circa Sacri Oratores quantò conjunctiores (velut instrumenta) cum summo Motore Deo extiterint, omnia cum eo communicando, & se ab eo regi permittendo: tantò magis effecturos se sperent, ut cum Dei nuncia ad populum retulerint, ea non solùm peccatorum exteriùs aures titillent, sed etiam usque in cor altè penetrent: Deo *voci suæ vocem virtutis*, energiam, & efficaciam conferente; quæ sita est in interiore verborum rerúmque sensu, lumine, collustratione & spiritu, ac vi mirifica, quam nullus unquam eloquentiæ nitor, & apparatus efficiat; cum sit donum gratiæ subtiliter illabentis, & sine strepitu penetrantis virtus & operatio: ut in veritate dicere debeas: *Non ego, sed Deus movit.*

Aut potius: *Tu cum Deo.* Videmus commotiones animorum maximas summéque admirabiles fieri ab iis Oratoribus, quos commendat vitæ innocentia, & sanctitas: *Habet enim* (inquit Aug.) *ut obedienter audiatur, quantâcunque gravitate dictionis majus pondus VITA dicentis:* sicut probitatis existimatione semel amissa, omnes persuasionis nervi succisi jacent. Innocentiam deinde si commendet sapientia, si charitas, & quòd revera nihil quæramus, nisi Deum, eorúmque immortale bonum, ex his vicissim parietur auctoritas, & redamatio: quarum altera faciet ut libenter audiatur, altera ut dicta æstimentur & animis insculpantur. Denique si jam apud populum præscripsit, quòd dicendo excellat, quòd arguat *cum omni imperio*, i. e. exemplô & doctrinâ quasi geminis manibus obsecret, minetur, instet; quósque suo pectore reconditos habet cœlestis vitæ ardores & affectus, in Auditorum quasi filiorum suorum pectus transfusos cupiat, eorum omnimodè saluti consulendo: tantò lubentius voluntates suas illius arbitrio moderandas permittent, quantò in dies clarius videbunt, per illius os Deum loqui, qui *spirat, ubi vult.*

l. 4. de doctrin. Chr. c. 27.

§. III.

In quo sita sit Persvasio?

IN re magni momenti, ac substantiali deciperetur ille Concionator, qui sibi persuaderet, tum se Auditorem dictione commovisse, cum eum ad rei, pro qua amplectenda, vel fugienda peroravit, fidem & assensum induxerit, si nempe Auditor jam porrò nihil dubitet, esse rem sanctissimam & Christianissimam quam Oratione probavit, aut contrà nomine Christiano indignam quam disuasit, & luculentè evicit. Efficere namque, ut assentiatur Auditor rei argumentis confirmatæ, est eum convincere quoad intellectum: quô habitô si putet rem totam perfectam esse, ignoraret profectò in quonam sita sit *Victoria*, quam pugnando quærimus; in rebus enim, quæ pertinent ad Christianæ justitiæ praxim, aut vitiorum exstirpationem, quænam laus esset Oratori, impetrâsse ab Auditore sincerum judicium de turpitudine ebrietatis, & honestate temperantiæ, si non etiam voluntates lucretur, & potenti vi inducat ad nuncium ab hoc die ebrietati remittendum? Quod est propriè *movere*, expugnâsse & persuasisse, voluntatem deducendo à turpibus & noxiis, eorúmque fugam imperando, & instando donec eam obtineat. Hoc est, quod docet S. Aug. *Tunc Auditor movetur*, inquit, *cùm inflectitur voluntas, ut amet quod polliceris, timeat quod minaris, misereatur eorum quos miserandos ante oculos constituis, fugiat eos quos cavendos proponis: & quidquid aliud gravi eloquentiâ fieri potest ad commovendos animos, non ut sciant quod sit agendum, sed agant quod agendum esse sciunt. Si autem adhuc nesciunt, priùs docendi sunt, quàm movendi.* Hæc ille.

l. 1. de doctrin. Chr. c. 12.

Quare cùm in *Movendo* sita sit omnis Oratoria Persuasio, & Victoria: post argumenta, Amplificationibus & Affectibus præcipuè pugnandum esse, monet ipsa ratio ac dispositio animorum:

morum: ea enim tempora vivimus, quibus erudito hoc sæculo ab hominibus plùs affectuum corruptelis peccatur, quàm ignoratione veri: ut proinde pravæ in vitia propensiones & affectus, velut clavus clavo, contrariis affectibus pellendi, omnisque eloquentiæ apparatus & machinæ in hunc unum scopum potissimùm vertenda sint.

Nostro sæculo plùs affectuum pravitate, quàm veri ignoratione peccari.

§. IV.

Quòd potens ad movendum vis sit divinarum Scripturarum.

SUnt lapides, in quibus ignis latet, qui manibus quidem frigidi tenentur, & calorem vi debuntur potiùs à nobis accipere, quàm dare: sed percussi ferro, mox per scintillas emicant, atque hoc emittit ignem qui post ardeat & luceat, quod prius manus obscurum ac frigidum tenebat. Talia sunt Scripturarum eloquia, inquit *D. Greg. M.* quæ quidem per narrationem literæ frigida tenentur, sed mox ut aspirante Domino intentæ mentis pulsatione concutiuntur, de mysticis sensibus ignis prosilit, ut in ejus verbis pòst animus spiritualiter ardeat, qui prius per literam ipse quoque frigidus audiebat. Quid erat congelatius Emmauntinorum animis Discipulorum? eadem, quæ Christum, lancea istos prostraverat, idem tumulus sepeliverat ipsos, & spem Christi aliquando videndi. Accessit incognitus Orator Cœlestis, de Scripturis, velut silicibus, sacræ interpretationis pulsu concussis, ignem quò corda arderent elicuit, quò paulatim trepidatio in spem, mœror in lætitiam, dubitatio in fidem, timor in charitatem desinere videbatur: *Nonne cor nostrum ardens erat in nobis, dum loqueretur in via, & aperiret nobis SCRIPTURAS?* Quot Sacri textus de Divinitate, de Passione, de Gloria sua, de Salute mundi citabantur, tot concuti putabantur silices, è quibus latens prosiliebat ignis, qui Discipulorum corda incenderet, & mundum deinde omnem illuminaret, Diabolum fugaret, vanitates & Idola concremaret. *Nunquid non verba mea sunt quasi ignis, & quasi malleus conterens petras?*

Igniti lapidis vis in verbo Dei. Hom. ult. in Ezech.

Luc. 24. 32

Jer. 23. 29.

Sed Sacræ Scripturæ potentiam, & in animos dominatum pluribus prosequi superfluum est. Quærendum potiùs, unde illi hæc vis insit, ut simplex & nudum verbum, tanquam ipsi soli diceretur, sic mutet Auditorem? Quantula in speciem sententia tantum sæpe in animis vulnus fecit? mutationem in moribus invexit, sæculo bellum, vitiis cladem persuasit; pietati profectus, Christianæ sanctitati incitamenta maxima contulit; semel audita fecit ex persecutoribus Martyres. Audivit illam detractor, & factus est prædicator; audivit Publicanus, & redivit Apostolus. In te ipso quoties alius accessit, redivit alius? Adveniisti leo, reversus es agnus. Et unde sententiæ uni magnetica ista potentia? Id sanè proficisci dixerim ex eo, quia est DEI VERBUM. Quia enim *Dei verbum* est, omnem in sese continet tum auctoritatem, tum veritatem, eadem de causa necesse est omnem in se complecti sermonis perfectionem, cujus maxima pars est efficacitas, quæ auditorem rapiat, & moveat; etenim si viri præstantis id efficit unum verbum, multò maximè verbum à tanto Numine profectum persuadendi habebit auctoritatem, & magneticum in animos imperium. Illam etiam puto mirificorum horum motuum causam esse: quia sicut sigillum non tantùm continet, sed etiam imprimit in cera disposita sui imaginem: sic dum ad verbum accedit actualis gratia, veritatem quam continet, etiam animis imprimit, & (quod nullus Principum efficiet) Legis, quam dictat ut Deus, & intellectum aperit, & ut illi obediatur, voluntatem adjuvat & incitat efficaciter: ut mihi videantur duo in uno Templo, & eâdem horâ Concionatores loqui: unus ad aures, alter ad cor; ille explicans verba non sua, sed Dei; Deus vicissim verborum suorum spiritum & sensum aperiens & inculcans, illuminans & movens, docens & corda trahens quodam *Correpetitoris* officio fungi videtur: quò quid potest dici & ad Sacrorum Oratorum incitamentum dignius, & Auditoribus jucundius? Si tamen & illi cùm è superiore loco Scripturas tractaverint, & isti cùm audiverint, *accipiant* illas *non ut verbum hominum, sed (sicut sunt verè) verbum Dei.*

Dei verbum omnem in se complectitur perfectionem verbi.

1. Thes. 2. 13.

§. V.

Quæ res, & quò locò ad motum adhibendæ? Et primùm de Amplificationis Ecclesiasticæ dignitate.

UNo pede circini semel fixo, alter permittitur errare liberè, & ambitum qualem vult, describere: sic probato stabilitóque Sacro Themate, Amplificationibus campus, atque libera spatia relinquuntur. Est autem *Amplificatio, gravior quædam affirmatio, quæ motu animorum conciliat in dicendo fidem.* Porrò quemadmodum Rhetorica Ecclesiastica fine, sic amplificatione multùm à civili distat. Istam profitebatur Isocrates re ipsa esse *Artificium parva extollendi, & magna efficiendi minima dicendo.* Quid autem in Christiana disciplina dici parvum possit, cùm de gravissimo negotio agitur animæ, salute vel interitu æterno? Dicendane

Cypr. de art. l. 1. c. 33.

Cic. 3. de Orat.

Amplificatio Ecclesiastica, à Civili quid differt?

dáne sunt modica, ex quibus fidelitas in Christum Servatorem, unde denique gratia, coronæ, & pondus gloriæ immortalis pendent? Omnia deinde divinis probamus auctoritatibus; non est autem res parva, *Deus erat Verbum*, sive revelans parva, sive magna, idem verbi sui auctoritas, & testis. Nec ista adminiculo egeret nostræ amplificationis, quâ de parvis scilicet efficiamus magna dicendo; quin eloquentia potiùs nostra in eo elaborat, ut quæ parva sunt, v. g. Opes terrenæ, voluptates, honores, talia re ipsa qualia in se ipsis sunt, ostendamus dicendo; quæ porrò magna, gloriosa, Deóque pretiosa sunt, quantumvis postrema reputentur, ostendamus revera talia esse, qualia sunt *pondere sanctuarii*, æterna & magna. Id quod supra fundamentum scripturæ, *Amplificationis* obtinebimus beneficiô, non quasi cœleste testimonium ab nostra extensione gratiam, ac splendorem mutuari necesse habeat; verùm quòd dum ejus præsidio, rerum videlicet & verborum delectu, atque ornatu Sacra dilatamus argumenta, id consequimur, ut magna ostendendo verè magna; & quæ infra hæc sunt, nullo pretio digna exhibendo, homines ad sinceritatem judicii revocemus. Quodsi jam nudè proposita DEI loquentis vox eâ pollet vi ac spiritu, ut petras conterat; quid mirum, si adhibitis orationis luminibus Prophetas, & Paulum non tam audire, quàm fulgurantes cernere videamur?

Novelli Concionatores una Concione decem destruunt.

Porrò, de qua loquimur, *Amplificatio*, perperam à Tironibus in coacervatione sententiarum, & auctoritatum collocatur, si Textus, si Patres in aciem producant; id quod affectationem & inopiam eloquentiæ, non spiritum redolet. Consultius paucæ adhibebuntur sed selectissimæ auctoritates, & probè expensæ, si quidquid in his venarum & opum latet abditum, eloquentiæ arte eruatur. Quod monitum cum inæstimabiles habeat utilitates, tum illam in primis: quòd quemadmodum coacervatores una Concione decem destruunt, ac præter memoriæ laudem nihil referunt, qui proventus humilior est, quàm ut tantô quæratur laboris ac vigiliarum impendiô: sic contrà parva admodum dictio (quod sibi fatetur usu venisse *Os aureum*) etiam bene longum dicenti sermonem offeret. Peristromata complicata oculos sui spectaculo non recreant. Teramus aromata, ut nativam exspirent vim ac fragrantiam. *Emulge lac, & erit butyrum.* Negat enim Chrysost. vel syllabam aut apiculum sacris literis contineri, in cujus profundo non sit quod expectet fodientem, ut ditet invenientem.

Hom. 37. in Gen.

Prov. 30. Hom. 21. in Gen.

§. VI.

Sacrarum Amplificationum sedes, ac modi.

ILlustrari potest locus Scripturæ, Expensione singularium vocum, ubi vena thesauri delitescit, si præsertim earum ponderatio patiatur se figurâ aliquâ tractari.

Elegans & gratiosus etiam modus est, cùm plures ejusdem vocis in Scriptura significationes adferuntur & expenduntur; quæque magis accommodata themati videbitur, approbatur: ut, de *Lazaro*, & *sinu Abrahæ*, quis ille sinus? Demum alludendo ad quietem & securitatem æternam Sanctorum dicatur: infantibus omni carpento dulciorem videri matris *sinum*; ibi puer annonam, ibi currum, ibi securitatem invenit.

Præter collationem variarum Versionum: illustrabitur locus Scripturæ Evangelicis *Paradoxis*, *Contrariorum* ac *Dissimilium* conflictione, si quando *Exempla*, vel *Testimonia* prima fronte pugnantia occurrant, aut obscuræ quæstioni causæ reddendæ sint. Tum etiam variis SS. Patrum super eandem sententiam expositionibus, quæ deinde conglobatis definitionibus mirificè deservire possunt.

Omnium autem maximè amplificationi deservit *circumstantiarum loci*, *temporis &c.* consideratio, sine qua Oratores clingues essemus; Concionantisque curta supellex continuò à doctis animadvertitur, cum cernunt, quot, & quàm pulchræ cogitationes dicentem fugiunt?

Accedit, de Sacris Annalibus *Exemplorum* usus, quibus maximopere illustrantur virtutes, & vitia dedocentur; si accedat *Narratio* non perfunctoria, sed diligenter lucubrata adhibitis figuris *Interrogationis*, *Suspensionis*, *Exclamationis* Narrationi admirationem conciliantibus & plausum.

Eorum, quæ rem antecedunt vel consequuntur, accuratâ expensione, quæ, & quæstioni lucem affundunt, & energiæ deserviunt: id quod Commentariorum lectione atque ope consequemur.

Alicujus Totius eleganti *distributione in partes* maximè præcipuas & illustres; quô mediô ad actionem, quæ circa singularia versatur, & morali doctrinæ propositus finis est, nihil fructuosius.

Tum si ad illustrandam v. g. Psalmi pulchram piámque sententiam utatur Concionator *Aspirationibus*, *Soliloquiis* cum Deo, cæterisque id genus dicendi luminibus (quæ infra in

Epilo-

Epilogo dicentur) adhibitis oſtendat, dicatque ſuum ſpiritum affectúmque penitus incenſum eſſe, & ad tanti boni communionem invitet peccatores. Hic modus Auditori longè gratiſſimus eſt, & quàm ad commovendum efficax, tam induſtriam, ac otium requirit præmeditandorum affectuum.

Breviter: Amplificationes petentur ex iis omnibus Argumentorum ſedibus, quæ ad fidem faciendam Oratori deſerviunt, de quibus *2da Parte* dictum: cùm perſpicuum ſit, Themata ex iisdem locis ornari atque illuſtrari, unde deſumpta primùm confirmatáque ſunt.

§. VII.

Affectus, quibus locis inſpergendi?

HOc illud eſt Apoſtolicum rete expanſum in capturam: *In Verbo tuo laxabo rete.* Ut enim hominum mentes & affectus capias, & unde libet deducas, & quò non cogitabant impellas, complicatâ id ſagenâ non conſequêre. Et quemadmodum retia vagantur latiſſimè, ſic errare putandi ſunt, qui ſibi perſuadent non niſi *Epilogo* convenire commovendi artes; Cùm enim Cauſa ſit *Corpus* quoddam, ut illud ſit vividum, debent affectuum ſemina, ſanguis veluti quidam, & igniculi futuræ flammæ tum prænuncii, tum fomites; toto Orationis ambitu reſpergi, tametſi non pleno alveo, ut in Peroratione, tumeſcere. Id quod in SS. Patribus liquet certè, quorum Oratio nuſquam jejuna ac marcida, ſed qui perpetuò doctrinam cum animorum motione conjungunt; nec licere magis (ut verè dixit nonnemo) duas haſce animi facultates inter DICENDUM, quàm inter PRECANDUM ſeparare: ut enim precatione ſolo intellectu nixâ frigidius nihil, ac ad impetrandum inefficaciùs, niſi & voluntas in affectum erumpat, quem ſingultu & lacrymis prodimus: ſic niſi dicendo voluntates Auditorum igniamus ſenſim, gelida Oratio ægre ab his impetrabit victoriam. Hunc in finem in qualibet Concione locus unus altérve ſeponendus maximè illuſtris, ubi telum in primis nervoſum, potior amplificationi animisque ciendis locus; in quem tanquam metam collineando, repetendo, inculcando, obſecrando, inſtando, peccatores ſenſim vallis ac moenibus exuantur.

Affectus, non uni Epilogo, ſed & aliis partibus ſervandi. Anton. Balinghen, Præp. ad loc. com. p. 1. c. 12. n 3.

§. VIII.

De ratione movendi, quatuor aurea monita.

1mò. *Prædicet Chriſtum, & hunc Crucifixum.* Ei, qui hominum voluntatibus (quod donum Dei eſt maximum) cupit dominari, præter Orationis & Sanctitatis præſidia, quæ id efficiunt, ut inſtrumentum cum ſummo motore Deo conjungant, quocum quantò commercii plus habuerit, tantò majorem *voci ſuæ vocem virtutis* divinitus inditum iri: plenam populorum gratiam & affectum conciliabit opinio illa, quâ cenſebunt ipſum plenum Deo, non loqui niſi Deum, prædicare *Chriſtum, & hunc Crucifixum.* Quæ quemadmodum ſumma commendatio eſt noſtra, ſic eam non alio medio felicius apud plebem conſequemur, quàm ſi non noſtram, ſed Dei gloriam quæri per nos videant, quod inde colligent omnes, ſi non noſtra, ſed Dei verbum prædicari audiant, & quomodo non? Quando verbum æterni Verbi unicum ſexcentis Concionatoris vocibus præſtat; eſt enim (quod ſupra diximus) Verbum à tanto Numine profectum ejusmodi excellentiæ, ut omnes ei tribuendæ ſint ſermonis perfectiones: quas inter ea præcipua cùm ſit, ut qui illud audit, moveatur; habebunt profectò plenam Apoſtolica retia fiduciam, ſi *in verbo tuo* Domine Deus! laxentur, jaciantúrque in hoc *mare magnum, & ſpatioſum manibus.*

2dò. *Ardeat Orator, qui vult accendere plebem.* Neque enim fieri poteſt, ut alios inflammet, qui non prior divino amore ſit incenſus. Eum proinde, qui ad concionem iturus eſt, oportere prius atque ſuggeſtum conſcenderit, eundem induere ſpiritum, quem verba, quæ promet, poſtulabunt, itaque affici intus, ut affectus eſt is, qui eorum eſt author, parésque habere cum eò motus & ſenſus, qui dicentis etiam oculis atque ore prorumpant. Fruſtra ante tempus clamores! Fruſtra inconditæ voces! Fruſtra ſupploſiones & agitationes! Apud prudentes terriculamenta ſunt; *Ubi ſpiritus Domini, ibi libertas.* Vidimus nonnullos, quorum exilis licèt vox ac imbecilla, ex corde jam commoto atque charitate inflammato prorumpens provocabat lacrymas per ſubſellia; & quis tam ferreus, qui homini fundos pectoris ſui pervios non faciat, quem ſalutis ſuæ cupiditate conſpexerit æſtuantem?

3tiò. *Dum ferrum calet, cudendum eſt.* Videlicet, ut ne in progreſſu alicujus exornationis, quæ potiſſimum ad animorum motum dirigitur, ingerantur ea, quæ doctrinam continent. Credi vix poteſt, quantum ea res orſæ telæ, animorum cœptæ commotioni obſit, nec ſecus atque aqua vino adfuſa, voluntatis jam in reſolutionibus occupatæ æſtum, ac generoſi-

rositatem retundat, si repentè avocetur ad ingenii opus ab internis animi jam calefacti molitionibus, ut novi quidpiam discat, qui jam claves præsidii Deo victori portabat.

4tò. *Nequid nimis.* Hoc Divi Augustini in *4. de doctr. Christian.* monitum est: Cùm enim grande dicendi genus tractatur, ægrè diu tolerari potest. Commotio quippe animorum quantò impensiùs excitanda est, ut nobis assentiat Auditor, tantò minùs in ea diu detineri potest, cùm fuerit, quantùm satis est, excitata. Et idcircò cavendum est maximè vehementibus Oratoribus, ne dum volunt altiùs erigere, quod erectum est, etiam inde decidat, quò fuerat excitatione perductum. Interpositis verò his, quæ submissè dici exigunt, bene reditur ad ea, quæ opus est granditer dici, *ut dictionis æstus, sicut maris, alternet.* Ita ferè S. Doctor.

§. IX.

Qualiter excitandi sint populi, secundùm illud Apostoli: Omnibus omnia? *1. Cor. 9. 22.*

D. Greg. Magnus toto *lib. 3. Pastoral.* & post illum Augustinus Valerius Ep. Veronæ, de hac longè præstantissima officii nostri parte Octo & triginta Capitibus summa eru-

Rhet. Eccl. l. 2. à c. 4. usq; ad 42

ditione disseruit ad Clericos. Ante hos Philosophus *in libris Rhetoricorum* acutissima de moribus & affectibus puerorum, Juvenum, senum &c. lectúque jucundissima disseruit: quibus ex doctrinis diligentissimè explorandi mores, studia, inclinationes & habitudines eorum apud quos dicimus, ut quemadmodum ollæ suis ansulis: sic unaquæque ætas, sexus, ordo, ac status generi suo, mori, patriæ, dignitati convenientibus capiatur affectibus. Id quod sæpe faciendum, quoties sermo nunc ad hos, modò ad illos dirigitur, & Oratio pro audientium captu nunc attollitur, modò de industria deprimitur, ut hamus dum capitur, capiat.

Sicut olla suis ansulis, sic unaquæq; ætas tractanda suis affectibus. Isa. 8. 1.

Propheta jubetur sumere volumen grande, & scribere in eo *Stylô hominis.* Volumen de cœlo allatum est, in eo tamen charactere & *stylô humano* scribendum: quia cœlestis doctrina aliter ad hos, aliter ad illos promenda; alius in dicendo *stylus* adhibebitur ad viros, alius ad mulieres; alius ad viros Principes, alius ad Cives, alius in agris & montibus; alius ad pueros, alius ad ætate provectos. *Stylô hominis.*

Aliquando B. Jornandes ex Illustrissimo Ord. Præd. interrogantibus, quid sit, quòd Academici Philosophi Religionem plures ingrediantur, quàm Theologi? Scitè respondit: *Videmus*, inquit, *rusticos citiùs inebriari vino, quàm nobiles, qui vinum bibere consueverunt: ita Philosophi, cùm cœlestia audiunt sibi peregrina, mox animis incenduntur; Theologi, qui quotidie de Deo audiunt, ista cùm non perinde mirentur, nec multùm moventur.* Rem acu tetigisse videtur. Ollulæ admotæ igni mox bulliunt; magnæ ollæ seriùs fervorem concipiunt, sed diu retinent. Quocirca *Stylô hominis* alius sermo quadrabit rudibus divinarum rerum, alius doctis; alia ad avaros oratio, ad prodigos alia instituenda; dissimiles modi excitandi copiosos ad misericordiam, pauperes ad tolerantiam, conjuges ad mutuum amorem, dissidentes ad pacem, juvenes ad pudorem & verecundiam, ebriosos ad temperantiam, Principes ad justitiam & clementiam, milites ad amorem & obsequium patriæ, mœrentes ad gaudium, prostratos in spem: ut cum Apostolo *Omnibus omnia* facti, salutem operemur in medio terræ.

§. X.

Corporeæ species an, & quatenus ad motum adhibendæ?

QUonam gratiæ miraculo fieri dicam, ope Sacrarum Missionum hoc tempore per Regna, & Provincias tantos ubique animorum fieri motus, ut non Catholici populi minùs, quàm inimici fidei cùm innumerabilem frequentiam, magnásque in omni hominum ordine mutationes anteactæ vitæ morúmque conspiciunt, Sacrum Pentecostes diem in Ecclesia renovatum se cernere videantur. Enimverò mihi persuadeo, Apostolicis expeditionibus hoc tempore Spiritum Sanctum non aliter uti voluisse, quàm vento quopiam vehemente pestiferas auras purgante & transeunte cum sonitu, ad quem peccatorum aures, & pectora excitentur; quem in finem plurimùm facit ordo, ac divinum Missionum inventum, quòd uno in loco octo non amplius dierum spatio definiatur prædicatio; tum insolens ipse peregrinorum cultus exterior, quique pauperes deceat victus, cupientium gratis dare, quæ gratis acceperunt; octiduo item toto nunquam interrupta sacrarum operationum series, dum horis matutinis juxtà ac meridianis ferrum calens cuditur, summa Christianæ fidei capita, Creationis, Redemptionis, ac novissimorum memoria, quódque maximè ad motum facit, motiva ac formulæ contritionis saluberrimo repetuntur instituto, per salutem, & quidquid charum

rum, inculcantur, & id cum imperio, nisi pareant, divinarum minarum; tum demum grandi ac inæstimabili Indulgentiarum, quas hunc in finem Christi Vicarius (cujus sacratissimum in populo nomen) elargitus est, thesauro invitantur. Accedit fama incredibilium per emensa jam oppida fructuum reportatorum, quæ jam Missionarium præcedit, & quâdam tubâ ejus vulgat adventum, paratáque corda aut invenit, aut facit: ut mirum profectò non sit homines de ædibus suis, agris ac villis innumerabiles exciri novitate ad id temporis non visa, & jam pene antea victas dare manus, quàm sacra arma fuerint periclitati.

Ego autem pro instituto meo non negârim, Missionibus totius instar eloquentiæ ad concitandos mortalium animos deservire, eorum quæ grandi spiritu perorant, repræsentationes etiam corporeas, speciésque tristes admodum, qualis est de suggestu ostensio simulacri Crucifixi, vexillorum picturæ signáque sacratissima, flagellatio ad horrorem publica, & id genus portenta plebi perdomandæ accommodata: ut cum de morte disputabitur, sublata manibus Calvaria, quem propediem exitum habituri sint superbi illi & lascivi, oculo demonstratur; si cùm de Pœnitentia tractabitur, inter lacrymas & miserabiles voces Crucifixi vulnera manibus ostendens oret, obsecret per nomen Redemptoris & viscera! cùm pro dissidentium pace perorabitur, fortè in vexillo aliquo coloribus pictam septem gladiis pectori infixis dolorosam Matrem exhibeat spectatorum conspectibus, atque ardentes inter affectus pro Concione edicat: Agite Christiani! Et qui reconciliari Christo parati ac procincti SEX jam MUCRONES corde virginali eduxistis, dum vos cernit ad Filii pedes ruere, ac veniam exorare culparum: SEPTIMUS, Septimus inquam adhuc (digito ostendit) pectore demersus vestram implorat opem ac dexteram gladius omnium capitalissimus! Tum per suspensionem occultato aliquantisper argumento, simul aperit, quis ille mucro, quis ensis tot annos virgineum transverberavit sinum ac præcordia, & per illa, Filii animam; odia scilicet ac mortales inimicitiæ Patris in filium, conjugum cognatorúmque invicem discordiæ, vicinorum simultates, odia cruenta civium dissidentium, usu jam atque consuetudine inveterata. Quæ cùm ad horrorem amplificaverit de iis, quæ hanc in rem maximè faciunt, Scripturæ locis, & ante omnia exemplis mansuetudinis JESU Christi: demum ejus nomine rogabit, num fortè in Mediatoris nostri gratiam inimico dexteras dare atque in mutuam redire gratiam prompti sint futuri? Dubitabit primùm, atque adamante duriores animos fulmine periculi æterni feriendo: Obsecrabit per Agni, qui pro inimicis se hostiam obtulit, mansuetudinem ac modestiam! animos ad injuriarum oblivionem inducant, pacis ac societatis fœdera renovent in Christo JESU, aut Christianorum nomen deponant. Adhucne dubitabimus? &c. Eousque; dum subortis per omnia subsellia lacrymis, sublata in cœlum voce sanctè spondeant, se omnibus odiis ab hoc die æterna nuncia remissuros!

Habent ejusmodi ostenta portentosam in animos vim etiam muta atque elinguia; quo non gladio acutior extitit sanguine intincta vestis, cùm Jacobo monstrabatur: *Vide, utrum tunica filii tui sit, an non?* Hoc consilio nudata ad commovendam misericordiam pectora militum, exhibebant cicatrices pro patria acceptas, quæ sine alia oratione Senatum flexêre. Levites, dehonestatæ per summum scelus uxoris cadaver duodecim in partes dissectum, totidem Tribuum oculis spectandum misit, & Israëlem universum tristi spectaculo ad bellum accendit. Cùm alia præsidia spernerentur, non preces, non religio, non minæ apud Aquitanum Ducem conscleratissimum proficerent: non dubitavit Claræ-vallensis, manibus palàm deferre Christi corpus, & Principis (qui fors in Templo aderat) adamantinum animum orare per Filium Virginis, aliquando tandem pacem Ecclesiæ dilacerare desinat! dixit, & vicit. Ita cùm Populum Romanum in amicitias Friderici, qui tunc Ecclesiam cladibus & flammis vexabat, propendentem cerneret, Gregorius IX. ad eos placandos *Capita Principum Apostolorum* suis manibus deportavit orans, ut si minùs dignitatis & canitiei suæ, certè tantorum cinerum misericordiâ tangerentur, per quos propediem ungulæ hostilium equorum transituræ essent. Qua oratione moti Romani, pro aris & focis arma in *Fridericum* decrevêre.

Gen. 37. 32.

Judic. 19. 29.

Fulgos. l. 8. c. 10.

Quimos portenta adhibendi cùm *usu disciplinâque nostrâ familiaris nunquam* fuerit, dubitare non debemus Eloquentiæ (quâ nihil mortalibus divinius tributum est) vim plus multò valituram apud liberos animos, quàm mutam quamlibet effigiem ac scenam elinguem: quæ tametsi locô exhibitæ, mortalium conspectibus animísque incendendis subinde profuturæ sint, tamen nec diu vi ista pollebunt, ac tertium repetitæ vilescent. Nos porrò, quibus usurpare talia adminicula fas non est, in eo elaborare oportere, ut quidquid hac in parte adjumenti deest, id *ostensione spiritûs* & eloquentiæ nativo ardore compensemus. In campestribus

Missionibus quod manè oravit Apostolus, vespere jubet in effectum deduci, tam felici imperio, ut per subsellia inimicos suos quærant, ad genua ruant, filiique (quod mirum) super defunctorum Parentum Manes lacrymabili voce & quæstubus erratorum veniam exorent. Licebit & nobis sine Jubilæo (quis enim tunc ignorat mediis in Urbibus renovari Pentecostes miracula?) licebit inquam quæ dictione ardente persuasimus, eorum executionem imperare, ne sol occumbat super iracundiam, ne vesper lethali crimine obstrictos inveniat. Id quod nullâ vel mediæ gehennæ ostensione felicius arbitror, quàm sacræ eloquentiæ vi spirituque perfectum iri, nisi aut frigidi sumus, aut ignoramus armorum nostrorum virtutem, aut Alexandria de sua salute desperat, dum saxa ac bestiæ credunt; ut Magnus dicebat Antonius.

§. XI.

De tribus dicendi Tonis Oratoriis.

Sicut tria sunt Sacri Oratoris officia: *Ex verbo Dei docere, delectare, movere;* sic erunt totidem dicendi genera, quæ in arte nostra *Tres Toni* vocantur ob triplicem vocis moderationem: Oportet enim ex Ciceronis & S. Augustini placitis; *ut doceat, parva submissè; ut delectet, modica temperatè; ut flectat, magna granditer dicere.*

S. Aug. l. 4. de doctr. Christiana.

Primo Tono conveniet genus dicendi submissum, tenue, acutum, forma Orationis numerorum vinculis libera ac soluta, nimia diligentia, & omnis insignis ornatus removendus; orationem quippe naturam sequi ducem oportet, & à parvis ad majora crescere, non autem decrescere juxta effatum Psaltis: *Ascendunt montes, & descendunt campi.* Isto Tono explicabitur Thema, & illa explicatio ulteriùs elucidabitur narratione sacræ historiæ, earúmque rerum lumine, quæ instar solidi soli substernantur affectibus excitandis in sequentibus dicendi generibus.

Psal. 103. 8

Secundus ille est, qui adhibetur ad concitandos in Auditore moderatos affectus, quod fit confirmando nervosiùs & prolixiùs ea, quæ in primo Tono proposita sunt, eáque amplificando per figuras rerum, & verborum ad id accommodatas. Solet hic Tonus longior esse, voce gestúque liberiore procurrere.

Tertius Tonus, vehementiore impetu aggreditur animos, ut eos magis permoveat, inculcando rationes simul plures conglobatim, suprà relatas; nec non gravem sententiam Scripturæ, vel alicujus è SS. PP. instando, obsecrando, minando &c. per Figuras acriores ac vehementiores, voce concitatiore, gestibúsque voci accommodatis, de quibus paulò pòst.

§. XII.

Qualem unumquodque genus materiam requirat, & ornatum?

Genus dicendi *submissum* versatur in docendo, ut persuadeantur vera esse, quæ dicit Orator. Hoc genere veniunt ea, quæ fide divina sunt credenda, speranda, vitanda, timenda. Ornamenta ejus erunt, claritas, perspicuitas, soliditas, quæ paratur definitionibus, divisionibus, rerum apta partitione, exemplo, similitudine &c. Quanquam rectè monet S. Aug. *Documenta hìc, & non ornamenta quæri.*

Temperatum versatur in laude vel vituperio, cujus finis est, ut diligantur bona, devitentur mala; quô genere in Panegyricis cùm de laudibus charitatis, virginitatis, martyrii, cæterorúmque Christianæ justitiæ, vel misericordiæ operum commendatione tractabitur, utimur. Hoc genus ambit copiam, splendorem, gravitatem, & majestatem sententiarum, & talibus tractari verborum luminibus, quæ gratiam concilient, & venustatem: quatenus Oratio ipsa, rerum quas exorandas suscepimus, imago sit, ne quæ naturâ pulcherrima sunt, jejunè dicendo magis obscurentur. Proinde hic opus illustribus translationibus, allegoriis, hypotiposibus, reique sub aspectum subjectione, horum quæ motu sensúque carent, animatione; utendo crebrioribus superlativis, ejusdem rei definitionibus pluribus conglobatis, acutè item dictis, epiphonematis, similitudinibus: quibus sicut aromata cibo, sic figuræ sententiarum, & verborum servient instar condimenti; si interroget? si communicet, si percunctetur, si dubitet, séque ipsum corrigat; si idem verbum arte repetat, convertat, gradatione, amplificationibus, digressionibus, descriptionibus rerum, atque personarum scitè utatur.

Qui verò flectere animos (quòd 3tium est dicendi genus vehemens & incensum) eósque commovere sibi proposuit: ut de propria salute cogitent, necesse est monentis, hortantis, obse-

obsecrantis, irascentis, execrantis, desperantis personam induat. Demonstret vitia, pericula, præcipitia, & in quo jacent, cœnum pro quibus conditum est cœlum. Dicat: Mirari se vehementer, quempiam lethali cum peccato nocturnæ se quieti credere audere, nec illum divini Tribunalis imagine identidem excitari? Ecclesiam matrem orare eos per gremium quò eos portavit &c. ad duritiam exhorrescat, insultet impiis, & glorietur, lamentetur, minetur, terreat, desperet, Auditorum arbitrio permittat omnia deploratis veluti rebus, miretur, contestetur; speret nihilominus, & hujusmodi pauciſſimos in populo Dei affirmet reperiri; nôsse se eorum pietatem, fidem, Sacramenti Christo in baptismo dicti memoriam in ipsis vigere florentem &c.

Eleganter S. Augustinus, in triplici hoc genere munere suo qualiter functus fuerit, Ecclesiastis istud posuit signum: *Auditores*, inquit, *acclamationibus se doceri & delectari: flecti autem, lacrymis indicabunt.* Ad quem cordium sanguinem provocandum profectò patet, quæcunque in suo genere maxima sunt, & ad motum potentissima, in hoc tertio dicendi genere esse adhibenda. Quò pertinet maximè cùm de Judicio, morte, inferorum supplitiis, peccati lethalis gravitate, ingratitudine post tot Dei beneficia disputabitur: de quibus quia rarò dicitur; pauciſſimæ fiunt conversiones animarum.

AA. acclamationibus se doceri & capi: flecti lacrymis indicabunt.

§. XIII.

De Epilogo.

Qui est saxi de sublimi loco ruentis, Orationis par esse debet in fine impetus. Quocirca *Epilogus* etsi sæpe non eo, quem præmeditamur stylo, sed prout cœleste donum affectui suggesserit, corde incenso erumpit; operâ nihilominus singulari apparandus est, in eóque omnes eloquentiæ fontes aperiendi, ut aculeum, quem intendit Orator, altè animis infixum relinquat. Quamobrem debet ipso docere vultu, affectibus se penitus incensum permotúmque esse: uti *Cicero* perorando pro commiseratione erga *Milonem*, profitebatur se non posse lacrymas continere. Et *Chrysostomus*, cùm invitat Orphanos & viduas ad flendum secum non sua mala, sed opprimentium. Sic arguendo de tanta ingratitudine mortales, ac Dei beneficia commemorando, admirabitur mala pro bonis reddi posse! Bestias benefactoribus suis humaniores esse. Præ admiratione aliquantulo tempore conticesceret. Mox resumpto spiritu, urgebit majore vi, laterúmque contentione. Sic enim, quod ait M. Crassus apud Tullium: *Commoratio in una re permultum movet;* si nempe post iteratam ejusdem rei illustrationem, figuram sermonis convertat utendo Apostrophis nunc ad Deum, modò ad peccatorem, quos supra descripsimus obsecrationes, terrores & minas semper cum optima spe conjungendo.

Commoratio in una re permultũ movet. 3. de Orat.

Potest claudi Concio brevi aliquâ & nervosâ sententia, qualis illa Bernardi: *Manet anxietas non relictura, fugit voluptas non reditura.* Talis & illa P. Francisci Viszotsányi in M. SS. adversus persecutores Servorum Christi: *JESUS Christus hodie & in sæcula! Vivit in cœlis Dei Filius, vivit Ignatius, moriuntur Herodes.* Et S. Aug. in Panegyrico Martyris Cypriani, quem ita concludit: *Cùm enim* (inquit) *Galerius Max. decretum ex libello recitâsset: In Cyprianum gladio animadverti placet; respondet ille:* DEO GRATIAS! *Habentes igitur de re tanta memoriam præsentis loci, festivitatem solennissimi gaudii, propositionem saluberrimi exempli: omnibus medullis nostris dicamus & nos:* DEO GRATIAS.

Tom. 10. Serm. de S. Cypr. M.

Opusculum animadverto longiùs quàm optabam procurrit, nedum ut monita allata exemplis illustrare necessariis licuisset. Excusabit spero nos Titulus, quem *Præliminare* inscripsimus: utique ad Conciones Authoris, quæ nunc Deo auspice prodeunt è manibus; quòd confidam in iis non defutura Novellorum Concionatorum usui, exempla Sacrorum Thematum tractandorum ad mentem SS. Patrum: cum quibus & ipsi *è Verbo DEI Docendo, Delectando, Movendo operentur* (quod ex visceribus precor) *Salutem in medio terræ*, ac Patriæ suæ.

§. XIV.

De Pronunciatione.

Scripturæ textum ex omnibus mihi puero primùm fortuitò oblatum diu multúmque tacitus ruminabam: *Os justi meditabitur sapientiam.* Quæ oris cum Sapientiæ meditatione connexio etsi captum tunc meum fugisset, nunc posteaquam pro hac Rachele alterum ac tricesimum annum servio, vidi Oratoris ingenium cum *Ore* sic ubique permisceri, ut svasibilem

Psal. 36. 30

ſibilem ſapientiam vix aggrediatur animus arcano ruminare ſilentio, cùm ecce! imaginatione circumſedentis auditorii, Os jam verba ſuppeditat, oculi vibrantur, manus geſtibus ſubſultant, vultus ardeſcit, tota naturæ hypoſtaſis actioni proludere videtur. Atque hæc *oris meditatio*, ſeu (ut alio nomine vocemus) *Actio*, ſive *Pronunciatio*, conjuncta cum moderamine *Sapientiæ*, tanti ſemper momenti fuit habita, ut qui unâ hâc deſtituti eſſent gratiâ, cum omnibus aliis plauſum conſecuti non ſint, cum ea verò mediocres etiam ſummis fuerint prælati.

Sicut autem duo ſunt canales, quorum alveo naturaliter omnis in animos manat affectus: Oculi, & aures; iſtis *Pronunciatio*, illis *Actio* correſpondet; unde Orator dupliciter loquitur, ad aures *voce*, ad oculos *geſtu*. Utrumque quomodo è decoro, ac dignitate moderandum, paucis abſolvam.

Orator ille gratiſſimus, qui non præcipitanter diſertus. Quamobrem in fine periodi modica reſpiratio habebitur colligendo ſpiritui idonea. Vox ultra vires non urgeatur ne lædatur, vocisque ſplendor raucedine aſperetur. Uno ſpiritu continenter multa dicere extremæ orationis decus eſt, ubi *Ipſa contentio* (ut ait Herennius) *vocis eſt remedium*. Sed cùm ad ſingulas vocis mutationes & flexus, qui dicentis ab ore pendet Auditor, totidem intra ſe concipiat motus, quot illum ſonos viderit mutantem (ſcit enim non fruſtra illam pronunciandi formam in aliam, atque aliam variari, ac flecti) videndum pro qualitate materiæ, erecta vel ſubmiſſa; teres, an gravis, aut acuta ſit vox adhibenda; conſtat enim aliam *Expoſitioni, & Narrationi*, aliam *Argumentationi*, aliam denique *Amplificationi* vehementi deſervire ſermonis figuram, prout incenſiores aut remiſſiores extiterint affectus; quorum dux ac magiſtra optima erit mens Oratoris, prout enim animo ad res, quas dicit, affectus erit, ſic naturali vi ſua erumpent, & quàm veri motus ſunt, tam verè Auditorem afficient.

Ipſa contentio, vocis eſt remedium.

Geſtus, eſt *eloquens ſilentium*, & *muta eloquentia*. Hæc totius corporis vox eſt: ad gratam proinde varietatem corpus nunc hanc, modò illam in partem flecti debet, ut Orator à pluribus videri, audirique poſſit. *Geſtuum* porrò libertas, memoriæ ſuſtentabitur ope ac beneficio, quodſi, quæ dicuntur, è memoriæ utero depromantur, & non è Charta, quod *Lectorem* eſt agere; ut quoad fieri poſſit, populus nec ſciat, res quas dicimus, haberi in charta, ſed omnia è tabulis cordium intimis depromi credat. Quid in unoquoque geſtu è decoro & dignitate ſit, accipe è *Fabio Quintiliano*.

Aſpectus eòdem quò geſtus vertitur, niſi cùm averſamur & damnamus: *Dii talem avertite peſtem!*

Dominatur autem maximè *Vultus*; quem, antequàm dicamus, velut affectuum cynoſuram contemplatur Auditor. Vultus erit ſæpe pro omnibus verbis.

In ipſo vultu, *Oculi*, per quos animus emanat, plurimum valent.

Cùm cæteræ partes loquentem adjuvent, *Manus* ſunt, quæ ipſæ loquuntur. Siniſtra dexteræ ſociatur, quoties ad ſummos affectus aſcenditur. *Vocabit*, aut ſiſtet alium manu ſurſum elevata, & ad ſe inflexa; *repellet* manu averſa cum digitis explicatis. *Dolebit* manibus inter ſe invicem amplectentibus: *pœnitebit*, pectori admotis. *Obviabit*, *jubebit advenire*, *conſidere*, manibus utrinque exporrectis, & coëuntibus aliquantùm. Cùm à Viris ad fœminas ſermo dirigitur, geſtus corporis ad easdem reflectatur.

Quomodo verò unaquæque Figura tam verborum, quàm ſententiarum cum dignitate pronuncianda ſit, additis ubique Prophetarum, vel SS. PP. exemplis ac dicendi formis: laborem hunc occupavit ex Ord. Præd. ſummus ævo ſuo Eccleſiaſtes, *Ludovicus Granatenſis*. Quæ præceptiones nedum ab infantibus, Oratoribus etiam exercitatiſſimis conſuli poſſent. *Tolle*, *Lege*,

Eccl. Rhet. l. 6. c. 8.

VALE.

R. P.

PARS HYEMALIS SACRORUM SERMONUM AB ADVENTU, USQUE AD SEPTUAGESIMAM EXCLUSIVE:

THEMATA.

IN IV. DOMINICAS SACRI ADVENTUS.

DOMINICA I. ADVENTUS.

SERMO I. *Natali Domini præmittit Ecclesia 2di Adventûs, sive Extremi Judicii memoriam: ut ex compunctione cordium, sequatur vera præparatio gaudiorum.*

SERMO II. *Sic Mundo utamur, tanquam finem habituro. Sive, de Mundi interitu.*

SERMO III. *In Jubilæo Universali: pro auspicato Catholicæ Ecclesiæ Regimine, novo Pontifice inaugurato. De necessitate, & scopo Jubilæi præsentis.*

DOMINICA II. ADVENTUS.

SERMO I. *In Decretorio Judicii die, Confessio publica, vera, at sera pœnitentia: eáque quomodo prævenienda?*

SERMO II. *Christi Judicium rectum, ex his, quæ vidit ùt Deus, audivit ùt homo. Sive de recta, ac divina judiciorum forma.* Renunciate Joanni, quæ vidistis, & audîstis. *Matth. 11.*

SERMO III. *Cur Prædicatio ad potentes, non accenseatur inter Signa adventûs Messiæ?*

DOMINICA III. ADVENTUS.

SERMO I. *Sententiæ ultimæ denunciatio, ejúsque ponderatio.*

SERMO II. *Ad illa verba:* Tu quis es?
In Thesi parvula, capita judicii gravissima, & particularia conscientiarum proponuntur.

SERMO III. *Peccata operta, in apertum producenda, non in futura solùm, sed etiam præsenti vita.*

DOMINICA IV. ADVENTUS.

SERMO I. *Procrastinatio pœnitentiæ, summum salutis discrimen.*

SERMO II. *Ex duplici argumento Præcursoris Domini colligitur, Christi adventum, opportunissimum esse, perfectæ ad Deum conversioni tempus.*

SERMO III. *Ad Congreg. Agoniæ.*
Bethlehemi, & Calvariæ comparatio; ibi Orientis, hìc Morientis Salvatoris affectuosa recogitatio.

IN NATALI DOMINI.

SERMO I. *Pauperum evangelizatio, Divinitatis in carne demonstratio.*

SERMO II. Angelus pacis.
Pacem, esse donum è reconditissimis unum: ejus proinde viam requirendam esse in cælo, & in Bethlehem. Fiat justitia, & Pax coaluit.

DOMINICA INFRA OCTAVAM NATIVITATIS.

SERMO I. *An quis dicere jure queat:* Ruina mea est Christus?

SERMO II. *In Christi Incarnatione, & Morte, multorum cordium secreta revelata, tam odientium, quàm amantium: & hodie multorum cordium probator Christus.*

SERMO III. *Dulcissimum cor B. V. in Vita gaudia, an dolores habuerit plures? ubi Mysterium 5. Literarum Nominis MARIAni adumbratur figuris Heroinarum V. T.*

IN CIRCUMCISIONE D. N. J. C.

SERMO UNICUS. *Sanguis JESU,* arcus fœderis *in nubibus, salutis, ac pacis nostræ nuncius.*

DO-

DOMINICA INFRA OCT. CIRCUMCIS.

SERMO I. *In adversitatibus, DEI invisibiliter extensa manus, & voluntas adoranda, ne gloria Diabolo detur, & inimicis lætitia.*

SERMO II. *Parentum flagitia, transfunduntur in filios, quibus viis? sive: De hæreditariis criminibus.*

SERMO III. *Annus M. DCC. V. JESU Nomine auspicatus, quinque Literis, infinitis misericordiis locupletato.*

IN VI. DOMINICAS EPIPHANIÆ.

DOMINICA I. POST EPIPHANIAM.

SERMO I. Post triduum invenerunt eum in Templo. *Luc. 2. Thema:*
Dona, gratiásque Dei, congruis loci, temporisque circumstantiis alligari.

SERMO II. *Satis non est apparere in Templo, sed in Templo Deum oportet quærere, & rectè quærere.*

SERMO III. *Quomodo dicitur is,* In quo inhabitat omnis plenitudo; *profeciisse sapientiâ, & gratiâ?*

DOMINICA II. POST EPIPHANIAM.

SERMO I. *Conjuges invitent JESUM in nuptiarum deliberatione, continuatione, & finali epilogo, cùm per mortem invicem separantur.*

SERMO II. *De bono concordiæ in conjugio.*

SERMO III. *In Matrimonio bene, sanctéque viventes, sunt miraculum inter Christi signa primum.*

DOMINICA III. POST EPIPHANIAM.

SERMO I. *Quid faciat penuriam bonorum famulorum; nimirum: Dominorum rigor, & defraudatio pactæ mercedis.*

SERMO II. *Centurionis fides eminentissima: quia primus fructus ex gentilibus, ideóque gratissimus summéque admirabilis; dein ob charitatem Deo in servi persona exhibitam; denique ob humiliationem profundissimam ad præsentiam Salvatoris.*

SERMO III. *Septem Sigilla, & septem Tubæ: pro Anno sæculari 1700.*

DOMINICA IV. POST EPIPHANIAM.

SERMO I. *De Servorum Vocatione:* Ut sint
Tanquam Domino servientes, & non hominibus. *Colos. 3. 22.*

SERMO II. *De Vocatione Dominorum.* Præsint, *ut* Prosint.

SERMO III. *Sicut peccatis nostris somnum Deo inducimus: sic ejusdem Potentia precibus, & lacrymis suscitanda.*

DOMINICA V. POST EPIPHANIAM.

SERMO I. Peccata permitti, *ex parte Dei est occultum bonitatis, & longanimitatis ejus Sacramentum; ex parte Præpositorum, oscitantiæ vitium. Quæ secunda pars, sequenti Themate tractatur.*

SERMO II. *De obligatione, & modo correptionis subditorum.*

SERMO III. *Meritis justi unius, plurimos sæpe scelestos tolerari.*

DOMINICA VI. POST EPIPHANIAM.

SERMO I. *Ab impiis multò plus profundi sudorum ad consequendum Infernum, quàm ab Servis Christi pro Regno Cælorum obtinendo.*

SERMO II. *Tangit Hæreticos: quorum causâ regnum Cælorum cum Grano sinapis confertur, non quale in se est, sed quale opinione ipsorum: qui pro eo obtinendo parum, aut nihil soliciti sunt. Tangit & credentes negligentes. Tangit & Sanctos de meritis suis demissè sentientes.*

SERMO III. *Quibus viis res Christiana crevit è parva in magnam; & posterioribus iterum sæculis decrevit à prisca majestate: & quibus mediis restituenda sit?*

PARS HYEMALIS
AB ADVENTU, USQUE AD SEPTUAGESIMAM.

DOMINICA I. ADVENTUS.

SERMO I.

His autem fieri incipientibus, respicite, & levate capita vestra. Luc. 21.

SUMMARIUM.

Quidnam causæ sit, quòd Ecclesia tempore Adventûs *cupiens nos ad lætissima Christi Nati Mysteria comparare, decretorii Judicii tonitru per IV. Hebdomadas continuet?*

I. *Quia hoc* In capite libri *scriptum est, & in fine.*
II. *Quia sic provocamur clementiâ, ut terreamur justitiâ.*
III. *Quia ad expetendam Redemptionem, Judicii prædicatio efficax.*
IV. *Quia persuadere semel compunctis facile.*

Claudiopoli, 1693.

AD credenda VERBI Incarnati mysteria, ad conciliandas populorum mentes, ad permovendos affectus, ad redigenda in voluntariam captivitatem ingenia tam disparata, ad mittendas sub Christi jugum superborum cervices; si hominum more, stylóque volebat Ecclesia rem tantam conficere, oportuisset eam à *captatione benevolentiæ* inchoare sermonem: in qua tantum momenti nobilissimi quique Oratores posuerunt, ut quò graviores ad dicendum causas adferrent, hòc ampliùs Auditorum gratiam sibi expetendam judicaverint, ut verè dixerit Demosthenes in Oratione funebri: *Ipsam Orationis elegantiam, ac leporem Auditorum benevolentiâ indigere, quacum fietiam mediocriter dixerit, gloriam reportabit, nec non gratiam sibi conciliabit: citra hanc etiamsi benedicendo excellat, ab Auditoribus tamen negligetur:* Nedum sperare possit, ut in animos non antè sibi devinctos imperium, ac dominationem consequatur. Si verò divino procedere stylo cupiebat, habebat ab ore sponsi sui edictum humanitate plenissimum: *In quamcunque domum intraveritis, primùm dicite: Pax huic domui.* Et ecce! pro prima salutatione de sacro suggestu non Pacem precatur Ecclesia, sed clamorem belli, terrores, sonitus maris, elementorum fragores denunciat, & mundi collabentis impetum omnia permiscentem. *His autem fieri incipientibus.* Quasi hæc præliminaria quædam, ac initia sint dolorum: & si signa sunt usque adeò terribilia, quid erit res ipsa, quam jamjam venturam de-

Demosth. in Orat. Funebr.

Luc. 10. 5.

nunciant? Decretorium nempe diem ad-
Soph. 1. 14. esse, *diem Domini magnum, & velocem nimis; diem tribulationis, & angustiæ; diem calamitatis, & miseriæ; diem nebulæ, & turbinis; diem tubæ, & clangoris super Civitates munitas, & super angulos excelsos.* Jam jam stillat meditata dudum ira furoris Domini, ut dispердat peccatores; jam pendent *lucernæ* super Jerusalem, id est, justorum con-
Luc. 2. 35. scientias, *ut revelentur ex multis cordibus cogitationes;* jam ruinæ, jam cadentium fragores Stellarum, & boatus audiuntur. Vale ô Sol! Valete luminaria pulcherrima, eandem cum peccatoribus sortem subitura!

Quæ tam nova, tam inaudita, si alio tempore Catholica tractaret Ecclesia, nisi sine dubio posset Salomonis oraculo:
Eccle. 3. 5. *Tempus amplexandi, & tempus longè fieri ab amplexibus.* Nunc cùm è vicino ad desideratissimi, dulcissimique hospitis adventum, atque *amplexum* mundus invitetur ad oscula, ad lacrymas teneræ devotionis, ad gaudia spiritûs in Deo JESU nostro: facessant in hosticum tubæ! quæ quietem, & devotarum silentia mentium perturbent. Et quis, oro, Civium, adventum Principis illius expetat, qui denunciaret vastaturum se Patriam, & pedibus colla Senatorum calcaturum? non esset hæc Epistola, quæ Patriæ mœnia aperiret furenti, sed clauderet. Ut ut sit ea res, est tamen verissimum, quòd animæ desolatæ, & afflictæ, videntes nullam administrari justitiam, vel chariſſimæ patriæ excidiô, fortunarúmque suarum periculô atque jacturâ expectant adventum justi Judicis, & existimant ultione malorum suum alleviari dolorem. Ita illud commune dictum referri huc potest: *Pereat mundus, fiat justitia!* Tale mihi videtur votum multorum Exulum patriæ, ac justorum, cùm rabie mundi premuntur: *Fiat judicium, & pereat mundus!* Hæc sententia Prophetarum, hæc vota Patriarcharum. Palleant scelesti, torqueantur impii; at gloria Sanctorum ut toti illucescat mundo, exoptanda est dies una, quâ omnium mundi judiciorum examen terminetur. Quæ si ita sunt, jam desino mirari, si Catholica Ecclesia *Adventum* Christi prædicatura, non captet benevolentiam ab impuris, ab adulteris, à sanguinariis, sed eos terreat, sed compungat: justorum verò adeò non esse captandum favorem, ut ii quàm maximè diem illum præstolentur, ad quos dicitur: *His autem fieri incipientibus, levate capita vestra, quia appropinquat redemptio vestra.* Ego verò causas hujus rei plures allaturus, vestram in audiendo benevolentiam mihi necessariam imploro.

§. I. Nihil in Scriptura Judicio frequentius.

Si cui causas ex me scisciranti, cur hoc de *Judicio* legatur Evangelium? vellem me paucis declarare, responderem illud Evangelicum: *Quid ad te? tu me sequere.* Verùm, quia fideles Ecclesiæ summam habent ab Ecclesiæ authoritate dependentiam, rariùs indagant, cur hoc, aut illud prælegi curet Evangelium? Ne tamen sine aliquo mysterio id fieri putemus, satis est scire, Ecclesiam, quæ nos Christo peperit, errare non posse, cùm sit *Columna, & firmamentum Veritatis* 1. Tim. 3. divinitus sibi revelatæ; & ubique conformare mores, & studia sua doctrinæ, quam à Supremo suo Sponso accepit, & didicit, in cujus Oraculis, & Libris nihil extremo *Judicio* frequentius. Ecclesia ergo Decretum hoc de tremendo Judicio factum, quasi SUPREMA CANCELLARIA Decreti Divini, id quòd accepit sibi traditum, libens communicat, quòd efficaciùs præstare nunquam potuit, atque hoc tempore, quo Christi in mundum *Adventus* tractatur. Quid autem de hoc acceperit, audite:

Initium, & finem Decretorum Divinorum, utrumque in hac fatali periodo terminari, docent Scripturæ. Quomodo legis primum caput Decretalis? *In principio creavit Deus cœlum, & terram.* Gen. 1. v. 1. Hebr. legit: *In principio creavit ELOIM cœlum, & terram,* id est, Judex Deus. Volens jam tum innuere DEUS; Nolite putare, tam stultè operari Deum, & effectrice potentiâ tam multa, eáque pulcherrima cœlô, terrâ, marique opera produxisse, quasi ea in lutum projiceret; *Judex, Judex creavit* illa, sibique de omnibus, quæ usibus vestris clementissimè fruenda donavit, judicium reservavit. Ultimus pariter Decreti §. terminatur in Judicio: *Etiam venio citò, Amen.* Apoc. 22. *Veni Domine JESU.* Subaudi: ad judicium. Si quæras, eccur in creatione dicatur *DEUS*, & in tremendo Judicio JESUS? ratio est, ne quis arbitretur, propriam præcisè personam spectare Deum Patrem; judicium omne dedit Filio, ut per JESUM judicetur mundus eò districtiùs, ac subtiliùs, quò redemptio extitit beneficium Creatione nobiliùs. Necessitas, & magnitudo Judicii adumbratur & in hoc, quòd Deus omnia opera manuum suarum approbet, laudétque,

Homi-

Homine duntaxat excepto. Quid ita? Quoniam *in fine hominis denudatio operum ejus.* In Judicio apparebit ad lucernas, quis sit? laude, an vituperio dignus? amore, an odio prosequendus?

Eccl. 11. 30.

Psalmorum initium, & finis est in Judicio: *Impii in judicio non resurgent*, scilicet, ad gloriam, quâ æternùm exciderunt. Ultimus pariter terminatur sic: *Omnis spiritus laudet Dominum*, Dominum inquam, cujus majestatem dies Judicii declarabit, cum fuerit *Spirituum ponderator*, & *Judex*. Filius Davidis pariter concludit, & incipit Librum suum: *Vanitas vanitatum, & omnia vanitas:* quem librum sic rursus terminat: *Cuncta, quæ fiunt, adducet Deus in Judicium pro omni errato, sive bonum, sive malum sit.* Davidis, & Salomonis optimus Filius, Christus Passionem suam inchoavit à formidabili Judicio: *A modo videbitis Filium hominis sedentem à dextris virtutis Dei, & venientem in nubibus cœli.* Quid ita? tractabatur Judicium adversus Christum: justum erat, ut & Christus Judicii venturi proponeret memoriam judicibus, ne quid committerent in conscientiam, quæ olim ad Divini Judicii cataslam quæstioni sit subjicienda. Quid multis? vitam omnem suam, & abitum ex hoc mundo, saluberrima repetitione Judicii legimus conclusam: *Sic veniet, quemadmodum vidistis eum euntem in cœlum*, ut quemadmodum in circulo duo fines invicem nectuntur: sic Passionis principium, & finis Judicio, quasi diademate, coronantur, semperque ponderosissimi sermones sunt ultimi, & ad persuadendum efficacissimi, eorumque tenacior inhærere memoria consuevit. Ergo Catholica Ecclesia, secretorum Sponsi sui thesauraria, & magistra, fidelissimâque decretorum executrix, conscia, quantum in ea re momenti sit ad perterrendos peccatores, decretorii illius diei memoriam saluberrimam Sacerdotalium clangore tubarum hodie personat, quò cernerent populi, magnum aliquid, & ineffabile isthic latére, quod jam à sæculis prædicatum, ab Evangelistis confirmatum, Apostolicis oraculis inculcatum nihil, aut parum curatur. Et nî hoc faciat, imitabitur nempe Dominos, ac Reipub. Rectores, quibus arma pulcherrima suppetunt, sed nunquam extrahunt ad castiganda peccata, & hostes. Ne itaque reperta in armamentario Sponsi mundi domitoris, ac toties de Orco triumphantis arma rubigine exedantur, quot annis ea ex umbra in solem, in armilustrium producit, tubámque intonat fidelibus: *Omnes stabimus ante tribunal Christi.*

Psal. 1. 5.

Psal. 150.

Prov. 16.

Eccle. 1.

Eccle. 12.

Matth. 26. 64.

Act. 1.

Rom. 9.

§. II. Ecclesia, sic provocat ad fiduciam in Dei clementia: ut simul justitia terreat delinquentes.

Habetis AA. Christiani, Ecclesiam suspicione liberatam, habetis fidelissimam mysteriorum Dei dispensatricem, habetis in ea Matrem tenentem manu panem, quô nutriat; & virgam, quâ feriat. *Quem non allicit hæc, terreat illa manus!* Enimverò hac denunciatione extremi, ac tremendi Judicii, officium, quod accepit divinitus, Matris optimæ, prudentissimæque, exequi Ecclesiam nemini dubium est, consideranti, sic eandem suadere in Dei clementia fiduciam ac spem collocandam, ut simul severitate justitiæ compungat, terreatque delinquentes. Quod canticum in *Adventu* Domini quàm maximè peccatoribus iterandum: *Misericordiam, & Judicium cantabo tibi;* ut peccator intelligat, habere se in Deo & compassionem Matris, ut diligatur; & authoritatem Patris, ut corrigatur, bonóque ejus consulatur. Hoc Canticum naturam Dei explanat, & peccatorem illuminat, dum animum sic temperat inter utrumque, ut cum redire in gratiam cum Deo contendit, rigore justitiæ non terreatur; & cum frænos concupiscentiis laxare cogitat, de misericordia non præsumat; ut & vulnerata conscientia clementiæ spe erigatur, & ad peccandum audacia timore judicii compescatur. Solum *Judicium* cantat Deo, qui horrore conscientiæ confusus, trepidus, exul, à facie Dei fugit, majorémque iniquitatem suam, quàm ut veniam mereatur, agnoscit. Hoc barathrum fugiamus! caveamus, ne incidamus in aliud, qui solam Deo *misericordiam* cantant: & hi sunt, qui in profundum peccatorum ruunt potiùs, quàm feruntur, fiduciâ summæ bonitatis totius mundi delictis non exhauriendæ. Si rectè deberemus argumentari, oportebat Christianum rigidiorem potius viam, quàm faventem amplecti: cum enim naturâ ita comparati simus, ut magis contineamur pœnis, quàm moveamur præmiis, præ oculis semper ferenda erat bilanx, cataslæ, secures, flammæ æternæ, non morituri vermes peccatorum; quæ fuit sententia M. Basilii: *Cùm* (inquit) *te appetitus invaserit peccandi:* hâc positâ hypothesi, quid expectabas dicturum? ut præ oculis feras gloriam Dei, recogites cœli præmia, gratias, amores, quibus te complexus? Hæc, & his plura alibi diceret, ubi amor, & præmia pondus habe-

Rom. 9.

S. Basil. in Psal. 33.

haberent. Loquebatur ad animam in lapsus proclivem. *Cùm te*, inquit, *appetitus invaserit peccandi, velim cogites horribile illud, & intolerabile CHRISTI tribunal.* Ad cujus pedem aliquando stabis contremiscens, eorum, quæ in vita gesseris, rationem redditurus. Ergo prudentissima quoque Mater Ecclesia cernens, quantum ea in re momentum sit positum, si peccatoribus memoria tremendi Judicii ingeratur: tempori *Adventûs* severitatis accommodare materiam non dubitavit. Et quænam illa ventura tempora sunt? *Nativitatis D.N.J.C.* Tit. 3. tempora sunt, quibus *apparuit benignitas, & humanitas Salvatoris nostri Dei;* tempus clementiæ, tempus misericor- Joan. 1. diæ, *plenum gratiæ, & veritatis.* Quid igitur faciat Ecclesia? Habebit interim habebit illa thesaurum hunc in præsepio reconditum, quoad peccatorum arbitria ad illum dignè recipiendum disponat, ac præparet. Nativitas Christi quid est? nisi gloria nostra, exultatio nostra, salus, & corona nostra. Bene est AA. nequis excellentiâ doni, tanquam jam possessi, superbiat, Ecclesia ex adverso allegat majestatem & gloriam Dei in nube venientis; quô sic utrumque attemperet, ut dum Filii Dei humanitas quæ *apparuit*, nos ad communionem lætitiæ invitat, ejusdem Divinitas ad Judicium festinantis compungat; & si redamamus ut hominem, timeamus ut Judicem. Cantat Deo *misericordiam*, invitando nos *ad thronum gratiæ* cum fiducia: cantat *Judicium*, severè admonendo peccatores, conscientias suas excutiant, cubilibus, & impudicitiis valedicant, abjiciant opera tenebrarum, pro quibus tremendum non effugient Judicium. En, ut in tanta gaudiorum congerie læta tristibus, jucunda utilibus miscet. Si quis est *Achab*, cervices humiliet Deo; siqua *Maria* in Civitate, præoccupet faciem Domini in confessione, & lacrymis; siquis *Moyses* etiam religiosissimus, non appropinquet, nisi calceamentis rejectis, quantolibet venialium macularum pulvere excusso; ut sic cantaturi Deo, in compunctione cordis *Judicium*, in spe gratiæ, & veniæ, *Misericordiam*; ex utroque sempiternam animæ securitatem consequamur.

§. III. Ad Christi adventum convenit præparari corda hominum: ad quod nihil Judi-

Quæ dum lege, institutóque Sponsi sui facit Ecclesia, nolite cogitare, salutis nostræ cupidissimam aut cum Elia hodie ultrices de manibus Sponsi flammas expetere, quibus mundum incineret; aut fulminatrices ab Arca fœderis mutuari Tubas, quibus Jerichones clausas, atque munitas subvertat, deleat. Dum enim hodie Judicium, & pœnas prædicat, facit hoc pro *potestate, quam Dominus dedit ei in ædificationem, & non in destructionem.* Mater est, minatur, ut corrigat; terret, ut emendet. Ipsa sacratissimorum festorum majestas sibi jure deposcit, corda in adventum tanti Hospitis disponi, & digna in nobis habitacula præparari. Aderit, Dilectissimi, aderit *AGNUS DEI, qui tollit peccata mundi*, & idcirco erigite corda, *levate capita vestra, quia appropinquat redemptio vestra.* Quomodo verò appropinquabit redemptio, nisi destruatur perditio? *Destruatur* ergo *corpus peccati!* solvatur catena, & jugum vetustatis, ut dominatio, quæ colla nostra vinxit, Christi assertoris adventu profligetur. Quid autem ad destructionem peccati efficacius juvabit, ac memoria tremendi Judicii? cujus intentum est evertere, punire, plectere, purgare peccata. Si igitur vitiorum plenus est mundus, agite ô flammæ! ô ignes! ô incendia Gehennæ! illuminate mentes, calefacite pectora, languentes animos ad servitium Divinum suscitate! Si animæ in corporibus mortuæ jacent, age decretoria Tuba, quæ totum aliquando mundum, populos, nationes, Exercitus, Reges, & Principes suscitabis; insona hodie auribus verbum salutis: *Ecce nunc* 2. Cor. 6. *tempus acceptabile, ecce nunc dies Salutis!* Nunc *hora est de somno surgere, quia* Rom. 13. *appropinquat redemptio.* Felices, qui ad Tubam illam jam nunc præparatoria ad diem judicii, quæ Deus ordinavit altissima mente, ponderant, mentémque accurata Judicii extremi consideratione sic defixam tenent, ut in fronte quædam æternitatis imago refulgeat: vultûs compunctione effecti *similes hominibus expe-* Luc. 12. *ctantibus Dominum suum.*

Atque ita fiet, ut animabus salutari timore semel imbutis, ac docilibus, etiam mediocris postea doctrina magnum habeat ad persuadendum momentum. Sed nunquid crebra personant Evangelia per annum? clamatur è rostris, & pulpitis; per totum orbem audiunt Reges Evangelium, & quis fructus? audiunt Magnates, & Judices, & quæ conversio? At ubi hodie per totum Orbem Tuba Evangelii personuerit, & imago extremi Judicii, ferendæque in impuros, in sanguinarios, in oppressores pupillorum ultimæ sententiæ fulmen audietur, ubi patentibus foribus gehennæ ejulatus, & incen-

cii memoriâ efficacius.

2. Cor. 13. 10.

§. IV. Quia semel compunctis, facile est persuadere.

incendia pæne oculis cernentur; fallar! nisi Auditoria integra ex tam funesto viso spectaculo, lacrymis obruantur, personent suspiriis, gemitibúsque ex alto pectore obortis. Sic quondam *de castitate, & de Judicio* disputante Gentium
Act. 24. Doctore, *Tremefactus FELIX*, & cum Felice hodie tot Inimici Crucis Christi, tot avari, tot adulteri, salutari timore Dei percussi, atque compuncti exclamabunt: *Verba Dei, non hominis!* Ita hactenus, ô Præco verbi! ita factum fuit, sic egimus, sic viximus. Fixum est, vitam in melius emendare, fixum est voluntati Dei parére. Tres adhuc Dominicæ supersunt ad Domini Natalem. Dic jam timore repletis, quidquid vis, sequemur; En victas manus, quà ductu-rus es, ibimus, ut habeamus ad illud Tribunal faventem, quem adoraturi sumus in præsepio jacentem.

En quanti interest supremi, decretoriique illius diei hodie memoriam præoccupari! Supereſt, ut pietate, quâ fidelem decet, prudentissimæ Christi Sponsæ Judicium adorem; vos quoque mecum Matri optimæ gratias, quantas potestis maximas referatis, quæ salutari terrore corda vestra *calefecit*, hodierno die tot pectorum gelu inveteratum solvit, tot spiritu mortuos Evangelicæ clangore tubæ suscitavit ad adventum Domini nostri JESU Christi. *Levate capita vestra, quia appropinquat redemptio vestra.*

AMEN.

IN EADEM DOMINICA
SERMO II.

Cœlum, & terra transibunt. Luc. 21.

SUMMARIUM.

Si igitur Cœlum, & terra peritura sunt, ad quid creata sunt?

I. *Ut per visibilia gradum faciamus ad invisibilia.*
II. *Mundus creatus est in gratiam Justorum, ut corona duplicetur.*
III. *In metum scelestorum, ne prosperitate extollantur.*
IV. *In solatium pauperum, ne tribulatione frangantur.*

Claudiop. 1698. QUid mirer, peccatores rerum in fine mundi futurarum provisos, ac circumspectos fieri, quando vel ipsos Apostolos tenebat hoc desiderium, dicam an metus? Metum dico, portenta etenim tam inusitata, ac naturæ formidabilia à Christo prædicta quatiebant aures etiam justorum, & innocentium: ut non immeritò Gentium Doctor vel post diligentissimum conscientiæ examen exclamare
1. Cor. 4. 4. non dubitaverit: *Nihil mihi conscius sum, sed non in hoc justificatus sum: qui autem judicat me, Dominus est.* Ex alia parte tangebat illos consideratio præmiorum; cùm enim audirent finiendum mundum, sciebant post suos labores se ad præmia, & coronas evocandos, & in duodecim thronis consessuros judices orbis terrarum: inde est, quòd rerum horridarum mentione à Christo audita, quærebant:
Matth. 24. *Dic nobis, quando hæc erunt? & quod signum adventûs tui, & consummationis sæculi?* Seditiones, prælia sanguinaria, terræ motus præcessuros inquit, ac demum concludit: *Prædicabitur hoc Evan-*
ibid. *gelium regni in universo orbe, in testimonium omnibus gentibus: & tunc veniet consummatio.* Cur non priùs, quàm Evangelii sonus orbem percurrat? In testimonium hoc fit gentibus, ut sciant, quòd sit Deus Judex, & vindex malorum, *terribilis in consiliis super filios hominum;* sed & misericors, neminem volens silenter punire, & quasi ex insidiis obruere; præmonitos voluit, mundi finem instare; ut qui ei affectu adhæresceret, tempus haberent colligendi sui; ut quem, velint nolint, brevi dimissuri sunt, spontaneâ fugâ deserant, & ad desiderium collium æternorum curas, affectúsque traducant. *Cœlum, & terra transibunt.* O felix nuncium, & omnibus Christi amatoribus longè desideratissimum! quibus finem & consummationem sæculi hujus nequam prædicare, est regna cœlestia patefacere, invitare à bello ad pacem, è fluctibus ad portum, ad tranquillam stationem, ab exilio ad regnum. *Cœlum, & terra transibunt; verba autem mea non præteribunt.* Qui autem aliud Evangelium habent fundatum in carne,

Cur Judicii diem necesse est, ut præcedat prædicatio Evangelii?

& rationibus humanis: quærent fortaſſis ex me: Quid igitur, ſi mundus hic perire debet, ut quid creatus eſt? Hoc eſt, quod ad nos inſtruendos hodie deſerviet, AA. Chriſtiani: quò omnes ſic mundo utamur, tanquam finem habituro. Hic dictionis hodiernæ ſcopus.

§. I. Oratoris formido mundi interitum prædicentis.

Vereor AA. ne, dum ego pulcherrimæ hujus machinæ rerúmque conditarum interitum, ac finem ex ore Dei mei propheto (ut quondam Jeremiæ accidit) totius populi adversùs me clamor erumpat, & fremitus dicentium: *Morte moriatur! Quare prophetavit in nomine Domini dicens: Sicut Silo erit domus hæc, & Urbs iſta deſolabitur, eò quòd non ſit habitator?* Quodſi enim adversùs unam Civitatem regalem prædicatio prophetica generale populi concitavit incendium, ut eum capitis damnari peterent, qui contra Patriam prædicaret; ego, qui non unam Civitatem, gentem, nationem, ſed mundi totius Imperium, gentes multitudine innumerabiles, opes, gloriam, divitias interituras prædico, conteſtórque, brevi pòſt, ne veſtigium quidem omnium ſuperfuturum: vos Eccleſiæ Dei Principes, & Miniſtri Regni ejus, niſi me auctoritate veſtra fulciatis, ac tueamini, ab amatoribus ſæculi in cervices meas hodie impetus fiet, meóque ſanguine Templi pavimenta reſpergam. Ita Principes, & Seniores terræ Jeremiam jam pro tribunali ſtantem defendebant ab comparatione Michææ: *Michæas*, inquiunt, *de Moraſthi fuit Propheta in diebus Ezechiæ Regis Juda, & ait ad omnem populum Juda dicens: Hæc dicit Dominus Exercituum: SION QUASI AGER ARABITUR: & JERUSALEM IN ACERVUM LAPIDUM ERIT, & mons domûs in excelſa ſylvarum. Numquid morte condemnavit eum Ezechias Rex Juda, & omnis Juda? Numquid non timuerunt Dominum, & deprecati ſunt faciem Domini?* Certè quidem vobis, ô amatores mundi! ſalutique veſtræ expedit, in tanta mundi interituri evidentia, ut æterna veritas prædixit; agere potius, ac in eo elaborare, ut quamprimum periculo tanto vos ſubducatis; aut enim mundus iſte vobis, aut vos illi diu ſtare hic non poteſtis. *Cæterùm qui utuntur hoc mundo, tanquam non utantur: præterit enim figura hujus mundi.* Et numquid Paulus propter iſta dicta lapidatus eſt, quæ & interitûs mundi vaticinium continent, & documentum ſaluberrimum, ſummæque ſapientiæ plenum edicunt: ut ne in hoc mundo perennitatem aliquam nobis polliceamur, ſed eô utamur, tanquam perituro; ut ſit domicilium, non patria noſtra; medium, non finis, ac centrum; gradus denique, per quem aſcendamus ad gloriam per bona opera, non per quem, & cum quo præcipites cum omnibus armis in gehennam migremus. *Qui utuntur, tanquam non utantur*, quaſi omni tempore valedicturi. Sic enim generi humano Eccleſiaſtis ore indicitur migratio: *Ibit homo in domum æternitatis ſuæ.* O Æternitas! ô domus habitationis æternæ! Cùm ergo in hoc mundo nihil ſit ſtabile, nihil æternum, ſignum eſt certiſſimè interiturum hunc mundum, & ſuccedere æternitatem: nec qualemcunque, ſed *ſuam. Ibit homo in domum æternitatis SUÆ:* quam ſcilicet extruxit vel peccatis ad infelicem, vel virtutibus ad æternitatem felicem; huc ibit, huc migrabit.

Jer. 26. §.

Ibid. ℣. 18.

1. Cor. 7.

Eccle. 12.

§. II. Creatus eſt mundus, 1mò, ut per viſibilia aſcendamus ad Creatoris notitiam.

Bene habet. Numquid autem hæc omnia fieri, decerníque poſſunt, ſine deſtructione mundi hujus? Numquid poteſt præmia & coronas largiri Divina juſtitia bene merentibus, & ſupplicia ſceleſtis decernere, quin deſtruatur mundus? Ita ſanè. Cur ergo tunc cum deſolatione terrarum orbis? & ſi hæc omnia deſtruere decrevit, cur creavit? Hæc Quæſtio conducet ad eruendum pulcherrimum de divina bonitate documentum: voluit ſumma illa bonitas per conditionem mundi oſtendere 1mò. quibus mediis tentaverit hominem ad ſe attrahere, ac beneficiis devincire. Numquid enim Conditor Deus potuiſſet hominem creare in ea confuſa caligine, in qua fuit mundus in initio? proponere ei incolendam vaſtitatem terrarum, ſolitudinésque horridas, nondum creata luce, ſtellis, ſole, floribus, aquis, cæteróque naturæ ornatu? hæc omnia præmiſit, & hominem tanquam ad pulcherrimum palatium introduxit. Quid ita? Ut viſis apparatibus divinæ magnificentiæ, ex viſibilibus ad inviſibilem Creatorem mente aſcenderet, & ita argumentaretur: Si Deus in terris tam copioſum ac munifi. cum ſe nobis exhibet, quid faciet in cœlis? ſi hæc in exilio, quid erit in patria? Regius Vates componens terram, & hoc ſæculum cum cœlo, dicebat: *Quid mihi eſt in cœlo? & à te quid volui ſuper terram?* quaſi dicat: Multa Domine dediſti mihi in terra, ſed *quid mihi eſt in cœlo?* illa omnia nihil ſunt in comparatione iſtorum,

Pſal. 72.

rum, quæ abscondisti diligentibus te. Illis ego utor, tanquam mediis, & si hæc mihi tribuisti peccatori, quid dabis mihi, si ad te convertar, fiámque æternæ dulcedinis fonti vicinior? Nemo igitur præsumat, aspectabilem hunc mundum propterea datum esse, ut in eo mentes, desideriáque nostra defigamus tanquam in termino, & scopo: ostensa sunt hæc, ut majora danda concipiamus; quia *si sic fulget Roma terrestris; quid erit Roma cœlestis?* Hoc caput spectat ad sanctos, pariter & sceleſtos. Ad Sanctos, qui spe futurorum præsentia contemnunt, & calcant, hinc meritum summum. Ad sceleſtos, ut in transitoriis his non defigant cor: etsi enim pulchra, ac delectabilia sint, finem tamen habent, & *figura mundi præterit;* quod satis est, ut non collocetur ibi animus, sed in cœlis. *Sursum corda*, Christiani! *ubi Christus* vester *est in dextera Dei sedens: quæ sursum sunt sapite, non quæ super terram.*

Coloſ. 3. 1.

§. III. adò. Creatus est in gratiam justorum, ut eorum corona duplicetur.

Altera ratio creati mundi pendet ex superiore veritate, mundum videlicet conditum esse in gratiam Dei servorum, ad gloriam eorum duplicandam, quos Dei sapientia prævidit mundo bene usuros: ut eos non solùm in æternitate coronaret, sed etiam in terris redderet felices. Felices planè, qui sic transierunt per bona temporalia, ut non amitterent æterna; deque ipsis visibilibus scalas sibi, gradúsque disponerent in cœlestia. Qui talis est, eum non dubitavit scriptura jam in terris canonizare: *Beatus* inquit, *dives, qui inventus est sine macula, & qui post aurum non abiit, nec speravit in pecunia, & thesauris.* Non idcirco *beatus*, quia *dives;* stylus hic est mundi, ubi *Beatum dixerunt populum, cui hæc sunt;* sed beatus verè, quia cum divitiis innocentiam fœderavit, ut coram oculis Dei inveniretur sine macula: *Inventus est sine macula;* & ideò dignus, in cujus sinum olympus se exoneraret, in quem benedictiones plueret, & qui non *post aurum* iret, sed aurum post ipsum, etiam in inviti sinum penetraret. Patet id exemplis sæculorum omnium; jam inde à condito terrarum orbe erant Imperatores mundi, & Principes, de quibus Sapientia Divina loquitur: *Per me Reges regnant, & potentes decernunt justitiam;* gloria hæc est jam in terris inchoata, ut post terrenos triumphos, & victorias ad æterni Regni aditum invitentur; & in terris felices, qui opes & gloriam, quantam alius sperare nec auderet, nec posset: ipsi cœlo delatam acceperint; & in cœlis, quia terrestribus sic usi sunt, ut unde alii æternam sibi ignominiam, & catenas fabricant, ipsi ex venenis sanitatem, ex tot pestibus gloriam, è cœno cœlum sibi præpararent. Quocirca tametsi (quod ego non dico) pauciſſimi in omni Imperio, ac natione reperirentur hujuscemodi Divites, quos jam in terris Scriptura Catalogo Beatorum adscripserit: propter illos tamen paucos *inventos sine macula*, meritò potuit Cœlum & terra, id est, mundus iste condi, ad eorum gloriam duplicandam, qui non solùm in æternitate beati, sed & in terris *Pii, Felices, Augusti* salutarentur, ipséque æternus Creator operis sui fructum non pœnitendum ex eorum salute virtutibúsque reportaret.

Eccli. 31.

Pſal. 143.

Prov. 8.

§. IV. Sed magis fortè & plus in gratiam sceleſtorũ. Matth. 13.

Tertium Caput solos impios concernit: mundum videlicet impiorum gratiâ conditum fuisse. Mysterium dico; quale eructabat Verbum Patris, assimilando Regnum cœlorum *sagenæ missæ in mare, & ex omni genere piscium congreganti.* Clarum est, profundo maris claúdi utiliſſimos pisces, corallia, gemmas, margaritas, sed & monstra innumera: sic in mundo boni inveniuntur, & mali, qui tantum abest, ut fructum Deo dignum aliquem reddant, ut potiùs sint *clavi in oculis, & lanceæ in lateribus* Christi Dei Dominique sui; & tamen indubitatum ponimus, mundum, ipsorum magis gratiâ conditum esse. Quid ita? In præmium occultarum aliquarum virtutum: ut, quibus daturus non erat vitam æternam, haberet de terrenis præmiis, unde servitia eorum aliqua bona remunerari possit. Prævidit quippe eos æternùm damnandos; prævidit & illud, fore, ut ab ipsis servitium Deo præstaretur non omnino indignum, sive cùm ad vindicandum ejus honorem *flagellum Dei* manibus ipsorum creditur; sive cùm justitiam in subditos, misericordiam in egentes, benignitatem in delinquentes exercent: hæc facta bona politica æterna remuneratione nequit præmiare; habeat ergo saltem aliqua in terris, unde justum Numen congrua eorum virtutibus dona largiatur terrena; quo pacto fiet, ut quemadmodum justiſſimus vindex nullum opus malum impunitum reliquit, sic æquiſſimus arbiter nullum virtutis actum irremuneratum abire patiatur.

Deus nullum bonũ finit impræmiatum.

COELUM ergo SCELESTORUM, est *Mundus* iste; est inquam minus, ac *stipen-*

Mundus iſte, eſt cœlum

eorum, qui non habent, quod expectent in Regno Dei.

ſtipendium Atheorum, quod ipſis, qui ſuâ pravitate Deum non noſcunt, res tamen gerunt interdum etiam ſtatuâ dignas; ſtipendium permittitur. Mundus hic eſt *gazophylacium Gentilium*, quibus ob miſericordiæ quædam opera (in eorum præmium) victoriæ, opes, terrenæ dominationis triumphi conceduntur. Eſt *cornu-copiæ* deſertorum veræ Religionis, non habentium conſeſſum in regno Dei; *offa & eleemoſyna* exiguæ ſervitutis illius, quam Deo præſtare noſcuntur; quando cœleſtis filiorum hæreditas, tanquam ex alia matre progenitis, atque alienis jure neganda venit, terrena hæc bona miſeris diripienda permittuntur, ſicut videmus divinæ diſpoſitione providentiæ Chriſtianis accidi plurima, & Turcici juris fieri; vim auri, opes, divitias convolare ad manus eorum, & Regna, in quibus proſtrata Religione, nomen Domini blaſphematur, & ſancta omnia conculcantur. Cœlum ergo impiorum, Mundus eſt. O poſſeſſionem non invidendam! ô cœlum calamitoſiſſimum, quando ipſæ mundi deliciæ, ac roſæ tot ſpinis plenæ ſunt, tot aculeis refertæ! ſit tamen cœlum eorum Mundus iſte, ſed quamdiu? uſque *ad conſummationem ſæculi*. Datô ergo, quòd totius orbis Imperium quis poſſideat, quid prodeſt, ſi finis venit, ſi *ad ictum oculi claudentur omnia?* Vera germanâque hominis felicitas non fundatur in deliciis, quæ corpus concernunt, ſed ea ſita eſt in immortali animæ felicitate, quam quia mundus iſte nequit dare animabus, utpote quia improportionatus animæ æternæ; hæc vita mors potiùs venit dicenda, quàm ſalus. Ad rem hanc dixit Veritas æter-

Matth.1.6. na: *Quid prodeſt homini, ſi mundum univerſum lucretur, animæ verò ſuæ detrimentum patiatur?* h. e. datô, quòd in manus unius hominis convolarent ea omnia, quæ mundus tanti facit; quid lucrabitur, ſi anima careat beato ſtatu? non poteſt autem anima habere beatitudinem ſuam, niſi habeat æternam. Ne autem ſceleſti omni beatitate priventur, ecce munificentiſſimus Dominus condidit pro eis mundum, ornavit, ditavit, uſibus eorum fruendum donavit, ut in eo ad tempus modicum *ducant in bonis dies ſuos*, antequam in infernum deſcendant. Hoſtibus tuis eveniant, Domine Deus! hujusmodi præmia; ſiquos habes inimicos throni tui *Medos, Perſas, Othomannos*, Principes & Reges nomini tuo infeſtos: iis felicitatem hanc impertire! nos *hic ure, hic ſeca*, auſer omnia, dum ne æterna filiorum hæreditate excludas.

Ex hac veritate fidei documenta practica eruuntur: imò pro Divitibus, ne ſe extollât in proſperitate.

Ex hoc principio deducant filii Adam, omnésque ſcelerati in hoc mundo felices: turbam illam, atque frequentiam clientelarum, à quibus eorum limina modò teruntur, genua populorum, à quibus adorantur; vectigalia, munera, quibus honorantur; calamos, quibus familiæ decora, res geſtæ, literarum monumentis conſignantur, & (ut falsò dicitur) æternitati transmittuntur: hæc omnia Eleemoſynas eſſe quarundam bonarum actionum politicarum, & virtutis præmia temporalia; ut, quibus æterna vita nunquam reſponſura ſit, debita in terris merces obtingeret; quibus aliquando oculos ſuos in cœlum levaturis, aliud non reſpondebitur, quàm quod Epulonі factionis hujus Principi dictum fuit: *Fili, recepiſti bona in vita tua*, quid ha- Luc.16.25 bes, quod amplius ſperes? Vides, non ideò felices futuros in cœlo, qui ſunt feliciſſimi in mundo. Unde & illud conſequitur: ex hac ipſa proſperitate impiorum, non ſe infelices exiſtiment paupe- 2dò. pro Pauperibus, ne deſperent in æres, afflicti, & abjecti plurimi, quibus dignus non erat mundus: qui vix rorem cœli deguſtant, ubi alii inebriantur ab ubertate cœli. Ratio dicti eſt: ſi felicitas mundi non eſt felicitas, quia conſummato mundo & hæc felicitas finem accipiet: *Cœlum, & terra tranſibunt*; ergo pariter infelicitas in mundo non eſt infelicitas, quia hæc ipſa infelicitas conſummato mundo finem habitura eſt. Sola, unicáque felicitas eſt, vel infelicitas ea, quæ, *Cùm conſummaverit homo*, Eccli.18.6. *tunc incipiet*, videlicet quæ cum mundo finem non accipiet, ſed initium; quæ eſt commenſurata æternitati, & non tempori; cœlo, non mundo; inferno, & non ſæculo. Videte nunc veri Pauperes, an ſuam Divitibus ſortunam invideatis, an potius ſorti veſtræ gratulemini: ut qui pauperem quidem vitam geritis, ſed multa habetis bona in cœlo repoſita, ſi Deum timueritis, ut ajebat B. Tobias filio ſuo. Sed & vos Divites timete, dum auditis, quia *Cœlum, & terra tranſibunt*. Quare ſi in viſibilibus fundatis veſtram felicitatem, proſperitas tota cum mundo tranſibit. Legite in cujuslibet Libri ultimo folio, additum videbitis: *Finis*. Quod idem eſt: in hoc Tractatu nihil ultra eſſe, quod legas, nihil quod quæras; ſive bona fuerint ſcripta, ſive mala, ad ultimum apicem deſiiſſe.

Matth. 13. fiisse. *Sic erit in consummatione sæculi*, inquit Christus. Quo verbo significari voluit idem, ac: Et sanctitatem Electorum eò perveniſſe, ut patientiæ, ac pugnæ finis venerit: & improborum felicitatem ad ultimum ſulcum pertigiſſe; pompæ, gaudiorum *finis*, dominationis *Finis*. In ictu oculi clauduntur omnia. *Cælum, & terra transibunt.*

§. V. In pœnam tot scelerum, mundum cum habitatoribus suis perire necesse est.

Quarta ratio conditi, & in interitum vergentis Mundi, eſt in pœnam, & ſupplicium amatorum mundi; quoniam *infecta eſt terra ab habitatoribus ſuis*, Iſa. 24. 5. juſto Dei judicio neceſſe eſt ipſum mundum deſtrui, & hac deſtructione peccatores tabeſcere. Nec ſolùm mundum, nec ſolos ejus dominos, id eſt, homines: ſed utramque partem

Sap. 5. 21. atteri eſt neceſſe. *Pugnabit orbis terrarum contra inſenſatos.* hoc eſt: totum mundum, & omnia elementa armabit Deus in hominem, & concitabit in pugnam. In pugna autem ſcitis, quòd ab utraque parte confligentium magnæ ſunt mutationes, & eventus. Primùm ubi in ſecreto conſilio decernitur abſolutè pugnandum, ante omnia à belli Imperatore militibus exponuntur vires, & robur hoſtium; deinde agitur de fine Victoriæ, quantum ſibi, Regi, & Patriæ decus, opes, theſauros aſſerent, ſi fortiter dimicaverint; aut contrà ſi ignaviâ ipſorum, hoſtes ſuperiores extituri ſint, æternam nomini ſuo ignominiam, exercitui cædem, uxoribus, liberisque captivitatem, & vincula ſcirent parata. Salutem publicam in eorum dexteris eſſe collocatam. Ad quid hæc? nisi ut pugnæ neceſſitatem, gravitatémque ob oculos deſcribant. Poſt homines natos nullam Annales gentium memorant decretoriam pugnam, qualis futura tunc eſt. In conflictibus mutuis gentium nunquam ſolet eſſe finis abſolutè, ſed ſi alea belli infeliciter ſuccedat ſemel, reparantur animi, & vires, iterúmque ab ipſis vulneribus acrius redintegratur prælium: *Vir fugiens rurſus pugnabit.* Sed cùm venit ſumma dies, & ineluctabile fatum: committetur pugna memorabilis, ex qua nulli integrum erit reverti, omnes manebunt ibi alii ad gloriam, ad ignominiam alii, terrarum orbis habitatores delebuntur. Ex una parte conſiderate ſuperbiſſima orbis terræ ædificia, hortos, ſtatuas, palatia urbium, munimenta fortiſſima quanto impetu ſubruantur, & corruant quæ Regnorum viribus ſumptuoſiſſimè ædificata ſunt; ſpectabitis illic Romam funditus everſam, deletos Pariſios, de ſublimitate ſaxorum detractam in pulverem Budam, celeberrimas urbes mundi ſepultas, atque concuſſas, nec lapidem ſuper lapidem oſtentare. Ab alia parte tragici hujus theatri conſiderate homines! igneis pluviis, ruentium fragore elementorum, inſolitis terræ motibus concuti, deleri, nudari, ſpoliari omnibus, miſerabiles inter ejulatus animas efflare nocentes. Inter hæc ardere mundum, hominúmque delicias omnes in cinerem, & favillas redigi. Et quid, ô Domine Deus! quid iſti muri? quid lapides, quid montes iſti peccaverunt tibi, ut pari cum hominibus clade involvantur? Quid Cœlum, & terra deliquerunt, quòd illis ſupremus interitus inſtet, & opera manuum tuarum cardinibus evertas, atque deleas? *in cunctis deliquimus, in cunctis ferimur;* hoc eſt, & non aliud. Pulcherrimis Dei beneficiis abuſi ſumus ad offenſam Creatoris OPT. MAX. neceſſe eſt media ipſa, & auxilia, quòd occaſionem prævaricationis amatoribus ſuis præbuiſſent, in eorum conſpectu occidione deleri, conſumi divitias flammis, interire animantia, everti camporum, & pratorum amœnitatem, cremari ſegetes, ſubrui palatia, ac ſuperbiæ nidos omnes deleri, finiri ſæculum; ſiquidem peccata finiri nequeunt, finiatur mundus, generis humani nomen, & memoria deleatur. *Sic erit in conſummatione ſæculi. Cælum, & terra tranſibunt.*

S. Greg. hom. in Evang.

In hac peroratione mea de ruinis mundi, & conſummatione ſæculi, quonam cogitationes veſtræ vergerent, imaginabar mihi, AA: Optaretis enim ex me ſcire, ac diſcere. Quid igitur poſt *conſummationem ſæculi* futurum? R. Non propoſui hanc quæſtionem me tractaturum; ſed meum erat dicere: Quòd iſte aſpectabilis mundus finietur aliquando tandem; & hoc ſatis eſt Chriſtiano, ad bene utendum mundo, tanquam Dei dono, ſeu in felicitate, ſeu in afflictione. Ut *qui utuntur mundo, tanquam non utantur;* & vivamus tanquam brevi exituri.

2dò R. Superfluam hanc eſſe Quæſtionem: quid enim utilitatis accipies in hoc te torquendo? Deum bonum! ecce *omnes morimur, & quaſi aquæ dilabimur in terram, quæ non revertuntur;* & quid prodeſt mihi, quid erit hìc, vel alibi in mundo? Hoc erit poſt tuam mortem, quod fit poſt mortem aliorum. Hoc

2. Reg. 14.

unum quære, & hoc est saluberrimum: Quid demum animæ meæ fiet consummato hoc sæculo? & quorsum mea peccatrix anima ibit, si in hoc diversorio ultrà commorari nequit, num ad dexteram, an ad sinistram? an auditura sit ITE, an VENITE? utri Ordini adscribenda: an *Benedictinorum*, an verò *Male-*
Eccle.11.3. *dictinorum*? Quocunque ceciderit arbor, *ad Austrum*, *vel Aquilonem*; ibi erit. Vis scire, quò casura sis ô Anima! Arbor, cùm jam securis ad radicem posita est, plerumque cadit ad eam partem, ad quam propendebat, sive *ad Austrum*, sive *ad Aquilonem*: vide anima Christiana, in quam partem propendeant affectus? quò inclinent mores tui? utrum ad innocentium, & electorum meridiem, quos imitari delectaris; an verò ad *Aquilonem*, & impiorum vias, vitæ, morúmque similitudine contendas? In examen voca desideria, actiones, habitus tuos: ex illis forma judicium prudens futuræ stationis tuæ; & dum tempus est, & porta cœli patet, in manu tua est eligere, & transire ad sortem feliciorem Sanctorum. Dic proinde ad Christum: *Dirige me in* Psal. 26.11.
semitam rectam propter nomen tuum. Amen.

IN EADEM DOMINICA
SERMO III.

Levate capita vestra, quia appropinquat redemptio vestra. Luc. 21.

SUMMARIUM.

De Jubilæo universali, pro auspicato Catholicæ Ecclesiæ regimine sub novo Pontifice inaugurato.

De ejus scopo, necessitate, ac mediis obtinendi divinam hoc tempore misericordiam, per Orationem, Jejunium, Eleemosynas.

Act. 3. 6. ECclesia Catholica, quæ cum Petro dicere potest: *Argentum, & aurum non est mihi* (quæ enim habet, patrimonium sunt JESU Christi, & alimentum pauperum) potissimos, meliorésque thesauros, quorum ipsa domina, thesaurariáque divinitus instituta est, reconditos habet in supremas fidelium necessitates erogandos ab illo summo Capite visibili, cui in Petri persona dicitur: *Tibi dabo claves Regni Cælorum.* Thesauri isti fundantur in nomine, ac meritis JESU Christi, ejus pretioso sanguine acquisiti, & parti, Ecclesiæque Sponsæ suæ curæ, atque usibus relicti tam liberaliter, ac prodigè, ut pretia salutis nostræ, ac redemptionis thesauri nullo tempore, & nullis acceptionibus exhauriri possint, sic, ut quantiscunque inde profusis gratiis & fidelium ditetur inopia, & Ecclesiæ nunquam deficiat copia, quoties pondus, ac periculum, quod Ecclesiam foris, & intus premit, exposcet, iterum iterumque aperienda. Propterea Petrus, qui *argento, & auro* non abundabat, ait: *Quod*
Act. 3. 6. *autem habeo, hoc tibi do: In nomine JESU Christi Nazareni surge, & ambula.* Dixit! & in virtute ejus nominis, clauditi plantas solidavit, erexit; in virtute ejus nominis multò plures in anima erexit, pœnitentibus veniam promisit, & cœlum aperuit, & quæcunque solvit in Matth. 18.
terris, erant soluta & in cœlis. Ita ho- 18.
die Pontifex Max. tenet manu sublimem virgam illam imperatoriam, quâ in virtute ejusdem *Nominis JESU Christi Nazareni*, peccata dimittat, percuti- Exod. 14.
atque judiciorum Dei mare, illud divi- 16.
dendo, ut credentibus & pœnitentibus liberum ad cœlestem promissionis terram transitum aperiat; & peccata demergat in profundum, *ut gradiantur filii Israël in medio mari per siccum*; quod fit, dum ex eodem thesauro potentiæ, ac meritorum JESU Christi non solùm peccata, excessus, crimina, ac delicta quantacunque, cuicunque in terris potestati reservata, per quemcunque Christi Ministrum pœnitenti remittuntur, sed etiam pœnæ pro iis debitæ plenissimè condonantur.

Atque ego hodie cum Apostolo, summa cum cordis exultatione hìc exclamo: *Mihi omnium Sanctorum mini-* Eph. 3. 8.
mo data est gratia hæc: evangelizare investigabiles divitias Christi, & omnes præsentes Christi fideles exhortari ad tan-

tanta ſpiritualia lucra per opera bona, ac pœnitentiam capeſſenda, obtinendáque; quos ſpirituales theſauros neceſſariò hoc tempore Eccleſia aperuit, erogandósque decrevit, ut operibus pœnitentiæ ira divina, quæ jam jam in nos ſtillat, placetur quamprimùm; occurratur regiminis ponderi, graviſſimóque periculo, quod Eccleſiam Dei premit ex hoſtibus, & à filiis (proh dolor!) ipſismet; unitis votis precando Patrem totius conſolationis, ut qui novo Eccleſiæ ſuæ Paſtori tanti fuit honoris capeſſendi author, fore non dedignetur adminiſtrationis adjutor, ac ne ſub oneris gravitate ſuccumbat, *ſupponat manus ſuas*, virtutémque largiatur, qui contulit dignitatem. Quocirca Evangelicis Chriſti verbis ſeriò monemur omnes, qui tot periculis indormimus: *Levate capita veſtra*, & videte Eccleſiæ Matris veſtræ, *facîæ quaſi viduæ plorantis in nocte, lacrymas in maxillis ejus!* quotidie ſcinditur, quotidie laceratur; conſilia foris hoſtes eudunt, virésque reparant; intus ex filiis ſolatium non videt, ſupernè Sponſus minatur vigilante in manu ejus virgâ. *Non licet homini loqui*, ubi jaceant *capita* noſtra! ubicunque jaceant, & in cujuscunque alterius, quàm Dei ſinu: *Levate*, *Levate* inquam ad hunc ſonum, *quia appropinquat redemptio veſtra.* Et quoniam ex omnibus Scripturis novimus ad Deum placandum plurimum quatuor hæc Media prodeſſe: *Pœnitentiam*, *Orationem*, *Jejunium*, & *Eleemoſynam* inBulla Jubilæi præſcripta: dico ab his pendere tum noſtram perfectam converſionem ad Deum, tum gratiam ad temporalis pariter, & æternæ redemptionis fructus maximos Jubilæo mediante conſequendos; quod erit dictionis argumentum. *Levate capita veſtra, quia appropinquat redemptio veſtra.*

Scopus hujus Jubilæi, ac media indulgentiam conſequendi per Jubilæum ſanctificata.

Luc. 21.

Thren. 1.

§. 1. Eorum præclaræ utilitates.

Bene ſecum conſideranti vias peſſimas, quibus unusquiſque noſtrûm à Deo elongatur cum prodigo filio, atque à ſalutaribus JESU Chriſti veſtigiis procul deviat: videlicet (quod primo loco ponendum) grandem rerum divinarum neglectum, & oſcitantiam; propenſionem in commoda carnis, *quis enim carnem ſuam odio habuit*; imò uſque ad Dei offenſam non amavit? Bonorum deinde temporalium immoderatum amorem, affixionem cordis ad tranſitoria iſta, cum oblivione vocationis ſuæ ad cœlum, & manſura gaudia Paradiſi; conſideranti inquam modos hoſce, quibus & ab Evangelii norma, ac ſemitis longiſſimè deviamus, Deúmque aſſiduè offendimus, & animas perdimus: mirum nemini videbitur, quod ſi ad perfectam Chriſtiani populi converſionem ad Deum, quatuor hæc maximè ſalutaria remedia: *Pœnitentiam*, *Orationem*, *Jejunium*, & *Eleemoſynam* Eccleſia non proferat ſolum, ſed conſtituat tanquam media ad cœleſtes ſpiritualium gratiarum theſauros (quos nunc largè aperuit) conſequendos.

Hæc erat illa *Pœnitentia*, quam glorioſus Præcurſor Domini in eremo prædicavit ad adventum *AGNI, qui tollit peccatum mundi*, & quam paulò pòſt idem ipſe Dei Unigenitus ad dignitatem Sacramenti extulit, clavésque Eccleſiæ contulit, ac reliquit. Hæc illa *Oratio*, quam Chriſtus procidens in faciem ſuam exemplò præivit; ad quam, tanquam ſupremam ſacratiſſimámque anchoram Eccleſia tribulationibus preſſa ſemper confugit, & vicit; Illâ portam carceris, quò Petrus tenebatur, aperuit & vincula ferrea diſrupit; illâ Saulum, ex Perſecutore fecit Paulum; illâ terrarum orbem Chriſti jugo ſubdidit. Hoc illud eſt *Jejunium*, quod Ninive prædicavit *ex ore Regis*, & *Principum*; & abſtinentiæ generalis remediò ſententiam Dei mitigavit, evaſit. Quò Militiæ noſtræ Dux Chriſtus Diabolum in deſerto ſuperavit, quò Apoſtoli adventum Spiritûs Sancti de cœlo accelerârunt; quò denique Eccleſia omni Dæmoniorum inſtructo apparatu mundum liberavit. Hæc ad extremum eſt illa *Eleemoſyna* ſanctificans animas, peccata redimens, flagella manibus Dei irati extorquens, & provocans miſericordias reciprocas; quâ Chriſtianorum charitas, dum etiam inimicos fovit, amicos Chriſto reddidit; quâ multi hodie per pauperum manus opes in cœlum præmittunt, & dilapidando, veras divitias acquirunt; quam denique peccatores dum in ſinum pauperum abſcondunt, illâ perorante peccatorum veniam conſequuntur.

Et neceſſitas hoc maximè tempore.

AA. Chriſtiani! Si quando ad horrificos Divini Judicii terrores expergiſci, & *caput levare* debuimus; ac hodierno Salvatoris noſtri monito *Fugere ad montes* Pœnitentiæ & Orationis, nec inde *deſcendere*, ut aliquid de priſtinæ converſationis attingamus operibus: neſcio profectò, an unquam acerbior mœſtitia atque conſpectus Matris veſtræ Eccleſiæ, Luc. 21.

Thren. 1. *quasi viduæ plorantis in nocte*, salutémque communem vobis commendantis ante oculos vestros imago adstitit. Enimverò quid esse putatis, quòd Pontifex Summus Jeremiæ verbis Ecclesiam Dei hoc tempore ita compellet: *Facta quasi vidua, & lacrymæ ejus in maxillis ejus?* ut etiam reliquam Prophetæ sententiam addere piguerit, *Quasi vidua domina gentium;* vetusti abolitique splendoris etiam commemoratione relictâ. Nec immeritò compellat *Quasi viduam;* quæ tametsi *Vidua* dicenda non sit, quæ Sponsum de cœlo habet immortalem, sempérque regnantem; quia tamen cœlestis ille Sponsus vultum suum, in quem desideramus prospicere, avertere videtur ab ea, & iracundiæ suæ magnos undique terrores ostendit; hinc à filiis pæne deserta, inde Sponso quodammodo orbata, sedet circumsessa periculis. *Quasi Vidua, & lacrymæ ejus in maxillis ejus.*

Nec ignorat, quibus ex fontibus ista tot malorum scaturigo in dies erumpat; parum esset in regiam Christi Sponsam à Barbaris, quotidie nefaria cudi consilia; parùm esset conjuratos in ejus perniciem armari Hæreticos, qui per ipsius latus Sponsum confodere quærunt Christum: nisi & *multorum filiorum suorum* (verba sunt Pontificis) *à salutari Christi norma graviter deviantium* excessibus assiduò feriretur; ut optaret fortasse eos gremio nunquam tulisse, maternisque paviisse uberibus, & cum Rebecca dolenter dicere possit: *Si sic mihi futurum erat, quid necesse fuit concipere?* Ad hos Matris vestræ gemitus *Levate capita vestra* quotquot estis filii! Unde hæc perturbatio? unde metus iste, & consternatio Ecclesiæ Dei? Unde pericula & flagella, ut *Judicium à domo Dei* incipiat? Erit ergo alicubi *anathema in medio* tui Israël? erit aliquis Achan prævaricator divini mandati, propter quem non poterit stare Israël ante hostes suos, & ideò hostes peccatis nostris potentes sunt. Erit aliquis Jonas conspectum Dei fugiens, ob quem hæc tempestas ingruit, & *Navis periclitatur conteri?* erit aliquis Jeroboam, qui vitulos erexit, & auro Religionem vendidit Christianam; qui extendit manum in Prophetam Domini, & in ejus persona Deum contempsit, Christúque alapam impegit? Erit aliquis adulter, & homicida, propter quem *non recedet gladius à domo* veri Davidis in sempiternum; qui Absalones provocat, & in Ecclesiam linguas & gladios inimicorum armat? Hic si unusquisque nostrûm conscientiæ suæ secreta introspiciat, dixerit fortasse illud: *Numquid ego sum Domine?* Ac aliquis repentè obortis intus lacrymis inter dolentis animi suspiria hìc reatum suum agnoscens dicet: *Tollite me, & mittite in mare, & cessabit mare à vobis: scio enim ego, quoniam* PROPTER ME TEMPESTAS HÆC GRANDIS *venit super vos.* Nec dubitare porrò debemus, peccatis nostris in dies flagellari, quotidie scindi, quotidie conteri Ecclesiam Dei; peccatis nostris effici hostes potentes, & quia cœlestis Sponsus vultum suum avertit, velut navim sine gubernatore, sursum deorsum rapi Religionem Christianam, sítque non vanè metuendum, ne, quod Salomonis Templo accidit, vitiis nostris in tanto mundi turbine Dei Ecclesia si non conteratur, periclitetur.

Gen. 25. 22.

Quò Christianorum peccatis Ecclesia Dei periclitatur.

Jon. 1. 12.

Profectò ad hunc metum, ac universalis Ecclesiæ Matris nostræ periculum gravissimum tempus est AA. Christiani, ut levemus aliquando capita nostra, levemus inquam de cœno peccatorum sursum ad cœlum, unde *appropinquat redemptio nostra;* ut eam dignis operibus pœnitentiæ, Sacratissimis his Adventûs Dominici feriis Jubilæo durante accelleremus, perfectáque animorum conversione Dei iram nobis placatam, propitiámque reddamus. Fiet istud præclarissimo *Orationis* medio, quô & Deus placetur, & vita anteacta mutetur in melius, & thesauris in hoc Jubilæo cœlestibus ditetur; si nimirum unusquisque nostrûm satis non putet, *ex tribus designatis Ecclesiis* aliquam semel frigidè introire orationis causâ, nisi & secum firmiter decernat, ex hoc tempore, anteactæ vitæ magnum rerum divinarum defectum reparare velle, æternámque Veritatem sequi dicentem: *Oportet semper orare, & non deficere.* Quod nisi effectui demus, fiet certissimè cum Salomone, qui unum Templum ædificavit Deo, at Idolis plurima: nos pariter post transactum Jubilæum, post pœnitentiam, toti rursus sæculi vanitatibus immersi adorabimus, quæ prius incendimus; amicitias renovabimus cum his, quibus in Baptismo renunciavimus; erigemus, quæ quondam ad pedem Crucis defodimus. Fallar! si non istud in præsens luget Dei Ecclesia, *Multorum filiorum suorum à salutari Christi norma*

§. II. Ac primùm de Oratione: ejus neglectu quantâ spiritualis damni incurritur.

Luc. 18. 1.

GRA-

GRAVITER DEVIANTIUM *vitiis se fœdatam!* Quis enim graviùs deviat à Christo? quis elongatur remotiùs à Deo, quàm qui non orat Christianus? Vultis scire, ubinam versentur, qui ab oratione elongantur? dico, eos in gravissimo salutis fundamento deviare à Dei notitia, fide, & amore. Memini Doctorem Angelicum alicubi scripsisse: Primis Mundi conditi sæculis nulla fuisse Idola, ob recentem Creatoris memoriam. Quamobrem cùm inter cætera, quæ à precandi studio habemus emolumenta, illud præcipuum sit, quòd Oratione conservemus recentem florentémque in nobis Dei Opt. Max. memoriam, ejúsque beneficiorum gratam recordationem: *Os meum aperui* (ait Propheta Regius) & *attraxi spiritum*; quasi sicut aura hæc vitalis corporibus, sic ejus animo tota gratissimáque foret respiratio in uno, ac solo Deo, quem corde, & ore assiduò venerabatur; sic contrà precatione sublata necesse est sensim etiam memoriam Dei interire, ac in ejus locum (ut antiquior mundus experientiâ tristissimâ dicit) succedere paulatim bona transitoria jam Dei vice æstimata, & quæsita; paulatimque fieri, ut Christiani ipsi dum obligationem tam sanctam, tam cœlestem pro parvo habent, & in cogitationem omnia alia citiùs, quàm Deum admittunt, fit, ut & *principii* à quo creati sunt, obliviscantur; & *finis* ad quem conditi sunt, immemores, nulla cœpta, nulla consilia ad Deum dirigant, vel cum eo conferant; in omnibus agendis suæmet innitantur prudentiæ: quæ dum divina luce non regitur, necesse est eam impingere, & labi gravissimè, & à vera Christianáque innocentia deviare procul in semitas sæculi. Quare quemadmodum Horologiis evenit, quorum nisi quotidie attrahantur pondera, delabuntur, motúsque omnis desinit: sic dum oratione quotidiana mens ad Creatorem non elevatur, oportet eam ad terrena defluere, brevique mirari se ipsam retento nudo Christiano nomine, ad mores, vitámque deveniſse gentilem. Christiani! *Levate capita vestra!* circumspicite pericula, videte barathra profunda, in quæ rerum divinarum neglectus præcipites agit tot animas! Vos quoque *Lapides Sanctuarii dispersi*, qui in Sanctuario non manetis, & *in capite platearum* non quadratis; recolligite Vocationis dignitatem! Estis Ministri Sanctuarii! vestris orationibus, quibusdam veluti humeris, nisi fulcitis Ecclesiam, oneri succumbit. Estis *Lux mundi!* exemplo vestro docete, debere Christianum *semper orare*, & *non deficere*, hoc præsertim tempore aperti Jubilæi: quô Oratio elevatur ad immensos Christi meritorum thesauros aperiendos, ut fiat clavis ad ærarium regni, virga ad divisionem, & transitum maris; denique pugnantibus contra Diabolum arma regalia, & defensio.

Quod de *Oratione* dixi, quâ & Deum placare possimus, & alia emolumenta consequi: multò magis id assequemur præsidiis *Jejunii*, & *Eleemosynæ conjunctis*. Angelico ad Tobiam præconio discimus: *Bona est Oratio cum jejunio; & Eleemosyna magis, quàm thesauros auri recondere; quia Eleemosyna à morte liberat, & ipsa est, quæ purgat peccata, & facit invenire misericordiam, & vitam æternam.* Et ideò Nabuchodonosori fluctuanti datur consilium: *Peccata tua Eleemosynis redime.*

Utriusque porrò hujus remedii maximè salutaris non ille solum fructus existet, quòd in cinere & jejunio Deum placabimus cum Ninivitis, & Eleemosynis ad reciprocam capiendam misericordiam flectemus: verùm multa alia inde consequemur emolumenta, maximósque progressus; discemus enim hinc vitam anteactam commutare in aliam, ut qui priùs aliena rapuimus, incipiamus jam & propria largiri, & ante omnia regnum Dei quærere, & justitiam ejus, & nec universi mundi lucro animam nostram commutare. Deinde qui meminimus (meminimus autem cuncti) nos per gulam, pérque carnis illecebras felicissima Paradisi possessione depulsos in hoc exilium deveniſse; discemus per jejunium eò reverti, unde ejecti sumus; atque cœli aditus, quos gula obstruxit, abstinentiâ reserare. Triduanum pro hoc Jubilæo vobis prædicamus Jejunium, Dilectissimi, *Quartæ*, & *Sextæ* Feriæ, & *Sabbathi:* Quæ etsi præsentibus lacrymantis Ecclesiæ temporibus convenientissima fore præsidia non dubitem, ut iræ divinæ terrores abstinentiæ generalis remediô mitigentur; in aliud tamen majus aliquid intendere puto S. Matrem Ecclesiam, cùm Jejunia, cùm Eleemosynam nostram facit veluti claves cœlestium in hoc Jubilæo gratiarum; nimirum ut præmissa isthæc remedia fugent genus illud Dæmoniorum, quod *non ejicitur, nisi in Oratione, & Jejunio*, mortificetur

Luc. 18. 1.

§. III. Jejunii, & Eleemosynæ utilitates.

Tob. 12. 8.

Dan. 4. 24.

Et quod sint dispositio ad veram pœnitentiam, & gratias spirituales.

Marth. 17. 20.

Psal. 118. 131.

Christiani non orans, obliviscitur, à quo, & ad quid creatus sit?

Simile.

Thren. 4. 1.

tur nempe laſciva caro, & illius rector animus ad veram Confeſſionem peccatorum præparetur; deinde ut quod ori noſtro ſubtrahimus, fiat alimentum pauperum, & utriusque, *Jejunii & Eleemoſynæ* meritò ad gratias majores diſponamur; tum verò ut imminentibus Dominici Natalis gaudiis Eccleſia jejuniis purificetur, ſanctificetur Eleemoſynis, roboretur precibus, humilietur ciliciis; erubeſcant multi in his, in quibus antea conſtituebant gloriam, & de longinquo revertantur, qui *à ſalutari JESU Chriſti norma graviter deviârunt*; denique omnes per veram pœnitentiam, Sacratiſſimi Corporis Chriſti devotiſſimam ſumptionem, facti participes æternæ redemptionis Chriſti, Vocationis ſanctitati reſtituantur, & conſerventur.

§ IV. Cohortatio ad rectè utendū mediis, ex quibꝰ tanta bona pendent.

Quocirca Dilectiſſimi, *Levate capita veſtra, quia appropinquat redemptio veſtra!* Vos oro per viſcera Chriſti, vos inquam, qui in ſinu mortis, & deſperationis reclinâſtis *capita veſtra, levate* ad gaudioſiſſimum Jubilæi ſonum, ac nuncium, quò invitamini ad generalem veniam operibus parvis, & paucis conſequendam, ſupplentibus omnia Chriſti meritis infinitis. *Venite! emite abſque argento, & auro* paratam ſalutem, & multiplicem redemptionem.

Venite, & cum Propheta Regio dicite: *Ego autem in multitudine miſericordiæ tuæ introibo in domum tuam, adorabo ad Templum ſanctum tuum in timore tuo.* Semper introimus domum Dei, & eximus cum aliqua *miſericordia*: at non ſemper ſic, ſicut nunc: *In MULTITUDINE miſericordiæ* ad omnia peccata etiam reſervata, & enormia; ad omnes pœnas alterius vitæ parvo labore redimendas. O laborem felicem, qui tanto commodo collocatur! *Qui ſeminat* IN BENEDICTIONIBUS, *de benedictionibus & metet*; ſeminemus lacrymas, ut æternam redemptionem metamus. Fundamus Orationem ſerventiſſimam, ut Deus pacis, qui Reges in throno collocat, dies noſtros in ſua pace diſponat, ac Chriſtianorum Principum animos uniat vinculo charitatis, Turcarum, aliorúmque Infidelium vires & conſilia conterat. A magno Patrefamilias ſupplices petamus, ut vineam ſuam, quam plantavit electam, cuſtodiat; Hæreticos & Schiſmaticos ad Catholicæ Fidei Unitatem reducat, populúmque ſuum protegat, & ab iracundiæ ſuæ flagellis, & terroribus miſericorditer liberet; Deóque imprimis Summum commendemus Pontificem, ut *benedicat Coronæ anni benignitatis ſuæ*, induatur ſalutari ex alto, viribúsque cœleſtibus tanto regimini paribus ſuſtentetur, atque fulciatur.

Pſal. 64. 12.

Orationi ſociemus Jejunium ex imperio Eſtheris Reginæ Eccleſiæ noſtræ: *Congrega omnes quos in Suſan repereris, & orate pro me. Non comedatis tribus diebus, & tunc ingrediar ad Regem.* Interea eleemoſynis redimamus peccata, ſi fortè ad reciprocam miſericordiam flectere poſſimus iratum Eccleſiæ Sponſum Regem. Meminerimus denique, quia ſicut nemo de ſua juſtitia præſumere, ſic de Dei miſericordia diffidere nemo debet; ideóque plenâ fiduciâ arripienda tabula Pœnitentiæ, humilique, ac ſincera pœnitudine, & confeſſione præoccupandum Tribunal Chriſti, ad quod ſtabimus aliquando. Tum verò providendum eſt, ut hi cœleſtium gratiarum dies ſint ſemen perfectæ ad Deum converſionis noſtræ, ut quisque tantæ redemptionis effectûs particeps mutetur in alium virum; ut poſt hoc Jubilæum appareat in Civitate major diſciplina morum, in domibus peccatorum cautela, ſolicitior ſervitus Dei, ferventior in Templis & Sacramentis Eccleſiæ frequentandis pietas fidelium, totius denique Eccleſiæ alia facies in ſanctitate & juſtitia coram ipſo, cujus læti adventum, gaudioſiſſimúmque Natalem celebraturi ſumus. Quod ſicut æquum eſt polliceri de talibus filiis, qui Matris Eccleſiæ imperiis libentes morem gerunt, ſuæque ſalutis curam habent maximam: ſic Sacerdotes, Domini myſteriorum diſpenſatores, æquum pariter eſt in tanto divinæ miſericordiæ Sacramento omnia charitatis viſcera in peccatores exerere, exerere inquam poteſtatem in abſolvendo, doctrinam in inſtruendo, dulcedinem oris, & cordis in conſolando, ac ſanando vulnera; denique non parcendo pro tribunali ſudoribus; ne hi in Chriſti JESU theſauris expetendis, quàm illi in erogandis promptiores inveniantur, quod abſit! ſive Sacerdos es, eroga non tua, ſed Chriſti; ſive es Ovis Chriſti, expete, quæ tibi præparavit Chriſtus ſanguine ſuo. Qui eſt benedictus in ſæcula.

Eſth. 4. 16.

AMEN.

Pſal. 5. 8.

2. Cor. 9. 6.

DOMI-

DOMINICA II. ADVENTUS.

SERMO I.

Tu es, qui venturus es? an alium expectamus? Matth. 11.

PARTITIO.

I. *In damnatis cognitio peccati, confessionem faciet veram, sed seram.*
II. *Justis, excutiet lacrymas: quas Gratia absterget ab oculis eorum.*
III. *Et his, & illis remedium, futura prævenire, induere judicem, tribunal, ordinémque Judicii commutare.*

Tyrnaviæ, 1707. in Ecclesia Cathedrali.

QUos Judicii extremi memoria non deterret, ut hodie multos falsos Christianos; Ecclesia non habet medium eos porrò reducendi, ut adeò *Fides ex auditu*, quæ Gentes moribus barbaras, multitudine innumerabiles convertere potuit, hodie in multis Christianis locum non habeat; quando emergente è profundo maris, ac velut ex abysso judiciorum Dei remeante Prophetâ, certissimámque Urbi ruinam prædicante, contremuit Ninive. Talia fecit Jonæ adhuc madidi vox apud Gentes. Isti Christum audiunt, & rapiunt; Apostolos legunt, & inebriantur. Propter hos, Vox Domini Joannes de carcere mittit ad Christum: *Tu es, qui venturus es? an alium expectamus?*

Quæstio Joannis de quo Domini adventu loquitur?

Quæstionem hanc hactenus semper existimabam motam esse de primo Christi adventu, verum ubi subtilius perspexi, deprehendi eam fuisse factam de Christi secundo adventu, hoc est de Judicio extremo: utrum in eo Christus ipse præsidebit, an alius aliquis, cum potestate mundum judicandi, & condemnandi? Joannis Legatis respondet Christus qvantumvis occultè, oculatè tamen; responsum enim Christi hoc erat: *Renunciate Joanni, quæ audistis, & vidistis. En mortui resurgunt!* Sine dubio ego sum, qui venturus sum: quod facio modò cum paucis, idem tunc præstiturus sum, ex omnibus sepulchris *mortuos* evocando. Quæstioni satisfactum est. Sed cùm non dubitaret Joannes, eum esse Judicem venturum, cur adhuc interrogat: *Tu es, qui venturus es?* Fecit hoc ideò, ut & alii scelerati, & in Christum non credentes persuaderent sibi, illum ipsum venturum Judicem, & in tribunali sessurum, in cujus innocentia modò scandalizarentur; quódque ipsissima incredulitatis peccata, & quæ inde promanant, crimina producturus esset coram toto mundo, justissimámque sententiam pro qualitate, & numero peccatorum prolaturus; quô quid terribilius dici possit ad vos ô peccatores! qui non jam in Christo, sed in quorum moribus, & vita Christus scandalizatur?

Ex prædicto principio deducitur; Si Christus Judicium celebrabit, & quidem coram universo mundo, necesse est adduci omnium mortalium peccata, & secundùm ea sententiam decretoriam pronunciari. Sic Ecclesia Catholica: *Liber scriptus proferetur, in quo totum continetur, unde mundus judicetur.* Quæ voces desumptæ sunt ex Job: *Scribis contra me amaritudines, & consumere me vis peccatis adolescentiæ meæ.* Quid enim vel in humano judicio probrosius cogitari possit, quàm reo audire sua peccata longa serie, & catalogo prælegi? à foro unius Urbis facite transitum ad orbis terrarum conspectum; ad Angelorum, ad Judicum, ad Christi consessum ignominiosam lectionem cogitate, & perhorrescite! Istud ego voco summum tormentum in Judicio: Dolor, & pudor de commissis; & quod maximum, nullo fructu,

Job. 13.

ctu, quantumvis graviſſima cum pœnitudine. Hoc poſito:

In compendio, diem illum hodie: Generalem *Confeſſionem*, an *confuſionem* appellem? graviſſimam, & infructuoſam Pœnitentiam dico. Quam ut, dum tempus habemus, emendemus, lucrosè præoccupemus ea, quæ in illa cogemur inviti facere; ſic dies illa perfectæ abſolutionis erit, & non damnationis.

§. I. Confeſſio publica, confuſio publica.

Confeſſionem eo die futuram, & quidem generalem, & ſecundùm omnes circumſtantias peccatorum, *loci*, *temporis*, *qualitatis*, *numeri*, *ætatis*, *manſionis*, *moræ*; & hoc coram toto mundo; Chriſtianis probare ſuperfluum videri poſſet. Sat eſt dicere: *Nunc judicium eſt mundi.* Credamus dictis Dei, ſic enim Job de Impio: *Revelabunt cœli iniquitatem ejus.* Quis autem faciet hoc, ut cœli revelent iniquitates, niſi ſolus Deus? *Ecce ego ad te, dicit Dominus exercituum: & revelabo pudenda tua in facie tua, & oſtendam gentibus nuditatem tuam, & Regnis ignominiam tuam.* Æterna Veritas loquitur: *Nihil eſt opertum, quod non revelabitur.* Et ratio evidentiſſima eſt: nam ſi publicum inſtituet Deus judicium, & ſuper duodecim thronos delecti à Chriſto Judices conſidebunt cum eo judicaturi duodecim tribus Iſraël, id eſt, univerſitatem generis humani; neceſſe eſt de omnibus delictis haberi quæſtionem, antequam ſententia promatur; ita nullum delictum ignorari debet, neque poteſt Deo præſente, qui ſcrutator eſt cordium, & renum. Materia ergo Confeſſionis hujus generalis erunt, à conſtitutione mundi cuncta cunctorum peccata etiam arcaniſſima, quæ ſecundùm omnes circumſtantias apparere debent. Quid autem magis horret peccator, quàm peccata occulta manifeſtari? Ut enim virtus amat lucere, quia naturam Solis habet: ſic peccatum, quia tenebrarum opus eſt, quærit tegi, & occultari, dicente Chriſto: *Omnis, qui malè agit, odit lucem, ne manifeſtentur opera ejus.* Sed ad Divinitatis radios, & lucernas, quæ cordi uniuscujusque tunc admovebuntur, hoc evitari non poteſt. Hanc confuſionem (peccatis ſuis publici juris effectis) dico tam incredibilem vim doloris allaturam, ut (quæ multis antea ignota fuit quæſtio) dies demum ille famoſiſſimus tunc veniat, in quo, optione data, nullus Damnatorum cuperet è gehenna egredi. *Confuſionem futuri Judicii* (loquitur Archi-Epiſcopus Ravennas de illo, qui diffamatus erat de peccato dilapidationis apud Dominum) *pertimeſcit, in quo jam non pœnitendi tempus eſt, ſed pœnarum, & ubi reus plus de conſcientiæ, quàm de gehennæ ERUBESCIT incendio.* Quippe primus, jam inde à Paradiſo, peccati fructus fuit, *denudatio*; ut enim generis noſtri principibus à peccato perpetrato aperti ſunt oculi: ſic dies ille multorum aperiet cæcorum oculos, tum primùm viſuros majeſtatem, quam vilipenderint; bona, quæ amiſerint; tartara quæ incurrerint; gratiam, & amicitiam Numinis, quibus æternùm exciderint. Et proh dolor! ob quid? *Plus de conſcientiæ, quàm de Gehennæ* ERUBESCENTES *incendio.* Atque ut manifeſta peccata, eorúmque numerus ſoli Deo notus, nullo colore, ſumma ſinceritate recitabuntur: ſic, quibus hominum oculo impoſuerunt, actionibus pallium detrahetur, & vera, germanáque reſtituentur nomina: quod fuit charitas, vocabitur carnalitas; tot nomina obſequii publici, Cæſarei, deſinent in privatas rapinas, crudelitatem, & avaritiam; ut detractis larvis cùm apparuerint, qui ſint, *Plus de conſcientiæ, quàm de Gehennæ* ERUBESCANT *incendio.* Et fortaſſe tantopere dolendum non erit à Diabolis videri peccata, & à ſcelerum ſociis inſpici: ſed ab Electis non modò conſpici, ſed cum eorum ſanctitate noſtram componi impietatem; impuritates noſtras cum illorum caſtitate; ſomnum, cum Sanctorum vigiliis; crapulas cum eorum ſobrietate conferri; id demum erit, unde ignominiæ horrore dejectis, quos quondam extulerant, oculis, demiſſo capite, convicti, ac deprehenſi: *Plus de conſcientiæ, quàm de Gehennæ* ERUBESCANT *incendio.* Erit negare impoſſibile, apparere intolerabile. Hoc erit in Judicio, hæc materia *confeſſionis* dicam, an *confuſionis?*

S. Chryſol. Ser. 125.

Nahum. 3.

Matth. 10.

Ex quibus capitibus reddatur intolerabilis.

Joan. 3. 20.

Et quoniam mortui OMNES è ſepulchris evocabuntur, procul dubio in duplici differentia, & claſſe comparebunt judicandi: unam claſſem conſtituent in peccato ſuo mortui, & nunquam converſi; alteram, qui de peccatis pœnitentiam egerunt. Scrutemur Scripturas, primùm de infelicibus illis, quid iis demum fiet, qui mortui in peccato, & damnati ſunt? ſine dubio facturi ſunt, quod priùs non fecerunt. Quid illud? *Mirabuntur* (inquit Sapiens) *in ſubitatione inſperatæ ſalutis, dicentes*

§. II. Duplex judicandorũ claſſis: ima, eorũ, qui in peccato mortui, ſine pœnitentia.

Sap. 5. 2.

tentes intra se, & pœnitentiam agentes, & præ angustia spiritûs gementes. Mutatio equidem hæc mira, quòd ii, quos aliquando Concionatores, Præpositi, Episcopi exhortabantur ad pœnitentiam, nihil minus, quàm de pœnitentia cogitârunt; & nunc, tacentibus omnibus, agere volunt *pœnitentiam?* Ratio est: priùs nunquam viderunt propria peccata, etsi tam intimi, tam vicini sibi essent, nunquam introspexerunt in conscientias suas, & vias suas, manticam de collo utrinque pensilem gestabant (ut Anachoretes ille verissimè dicebat) in anteriore pendebant maculæ aliorum, in quas erant ferè lynceis oculis; in remotiore post tergum maculæ ferebantur propriæ, verùm quia non videbantur, etiam dissimulabantur; at nunc, quia in Judicio invertitur mantica, & propudia omnia, labes, ignominiæ non suis duntaxat, sed hominum omnium, & Angelorum oculis proponuntur, tot Draconum conspectu moventur plurimum, séque ipsosmet perhorrescunt, fitque, ut veris lacrymis *pœnitentiam agant*, creberrimisque singultibus lamentur. *Qui lugent* (omnis luctûs seu de temporalibus, sive de æternis) *hæc est causa, quia seipsos vident, & agnoscunt. Videns se quid aliud habere potest, nisi lugere seipsum, cùm nihil in se inveniat, nisi mortem, & abyssum peccatorum.* Celeberrima inimici Diaboli ars hæc est, in omnibus peccatis occludere oculum mentis, ut non videatur peccatum, & turpitudo in actu, quò ad eum licentius inducat ignorantem; commisso deinde peccato alia praxis est, peccatum ab ipso, qui peccavit, abscondere. Ita ut verè de omni peccatore dici possit illud: *Quæretur peccatum illius, & non invenietur.* Utraque hæc praxis jam in Paradiso successum habuit optatum, & si unquam verum dixit Diabolus, tunc certè verissimè effatus est, cùm ad peccandum alliciens: *Nequaquam* (inquit) *moriemini, sed aperientur oculi vestri.* Oculi carnales aperti sine dubio fuêre, sed clausi erant oculi mentis, ac judicii, non prius, atque comesto pomo fatali aperiendi ad fugam, verecundiam, metum, dolores, ad gemitus, & lacrymas. Ut tunc prophetia Diaboli completa est in principio mundi: simili modò fiet conclusio mundi. Heu quàm multi erunt in die Judicii, qui in omni vita clausos habuêre oculos, dum peccarent! & quando tandem aperientur? tunc, quando ad tribunal Christi *Cæci videbunt, surdi audient, mortui resurgent*, eò scilicet, aperiente oculos mentis, qui tabernaculum suum in sole ponet, & *illuminabit abscondita cordium*; unde necesse est, ut patefacta peccati turpitudine vel ipsi damnati ad *pœnitentiam*, gemitúsque convertantur.

In Judicio invertitur mantica.

S. Hugo in cap. 5. Matth.

Psal. 10. 15.

Gen. 3. 4.

Matth. 11.

Augebitur etiam dolor hic summè ex alio capite. Nam purè agnoscere iniquitates, & propalari, quid est? Quid novi accidet, si unius peccata, nempe adulterii, impuritatum, injustitiarum publicè nota fiant, quando similibus peccatis integras Urbes, Regna, Nationes laborare non nesciant? quid etiam erubescat aliquis crimine furti sibi objecto, quando Principes viderit *furum socios?* Hoc, meo judicio, non gemitus deberet, sed ex societate solatia elicere. Et quot sunt, qui de peccatis se publicè jactantes adeò de his non erubescunt, ut etiam glorientur, timorisque arguant, quibus ad peccandum audacia desit? Hæc facit peccator tamdiu, donec depictam in pariete imaginem DEI offensi videt. Quòd sic fiat vitâ durante, & in hoc exilio, transeat. Sempérne utroque oculo captus erit populus meus, inquit DEUS? Veniet, veniet dies, quâ revelabitur gloria Domini, auferetur caligo de oculis, & tunc *videbunt, in quem transfixerunt, & plangent eum planctu, quasi super Unigenitum, & dolebunt super eum, ut doleri solet in morte primogeniti.* Nimirum per speculum in ænigmate usurpâsse faciem Crucifixi, sed eam jam clarè, & intuitivè videre in majestate, & gloria judicantem, tam differentes in peccatoribus excitabit motus, ut dedecore admissi flagitii montibus tegi, & collibus operiri exoptent, ne oculos in pulcherrimam Christi faciem attollant, cujus adeò indignè habiti memoria veras, maximásque lacrymas, singultus, gemitúsque quasi *in morte primogeniti* uberrimos excitatura sit. Hoc illud est tormentum, hic silex ille percussus, ex quo sanguinem elicuerunt, *Unigenitus*, super quem *plangent omnes tribus terræ*; ipsissimus, qui lacrymas extorquebit cordibus etiam adamante durioribus. Quæ mors Christiano? quò non supplicio amarius objectum, videre in Crucifixo tot renovata vulnera? toties, & talem mortem illatam ab impiis, *Rursus crucifigentibus Filium Dei, & ostentui habentibus?* Hoc illud est commissum, quod dico in Judicio, & in illa

Zach. 12. 10.

Joan. 19. 37.

Matth. 24.

Hebr. 6. 6.

Confessione Generali veras, sed seras damnatis lacrymas exciturum.

§. III. 2da classis, bene mortuorũ per pœnitentiam.

Vertatur nunc scena tragica in amœniorem; à viventibus malè, sed conversis bene, argumentemur, quid in iis efficiat agnitio sui, & cognitio peccati efficax; quid operetur bonus usus temporis, & gratiæ; quid dolor? quid lacrymæ in tempore fusæ, jejunia, pœnitentiæ? *Stabunt* (inquit Sapiens) *Justi in magna constantia, adversùs eos, qui se angustiaverunt.* Justi ergo stabunt confidenter. Si ita; ergo damnati, qui, quantum in ipsis fuit, maluerunt æternùm ardere, quàm amare; ergo tot falsi Christiani, qui Conciones irriserunt, sacras Evangeliorum minas vilipendentes respondebant: *Nec infernum destinari bestiis, sed hominibus;* ergo isti Libertini manicis jam, & catenis revincti, positâ audaciâ trementes, pallidi, exsangues metu, ex adverso gementes, ac verme conscientiæ lancinante intima præcordia, attoniti stabunt? an corruent? mortuis similiores, quàm vivis. Ubi interim Justi fiduciâ roborati cœlesti, & jam timore in amorem verso, ad illum mundi collabentis interitum *Levabunt capita sua*, quondam ad Sacerdotum pedes prostrata, brevi stellis inserenda, æternóque cingenda diademate; ad Redemptoris sole micantiora vulnera, & amabilissimam faciem non aliàs unquam faventiorem adtollent.

Sap. 5. 1.

Flebunt & hi, & cur?

Verum quidem est, tam pulchrum Divini oris conspectum, Justis ipsis excussurum lacrymas, cùm primùm animos eorum subibit offensi ab se summi boni, Opt. Max. Creatoris memoria, cò etiam vehementiùs, quò æterni amoris fonti viciniores effecti sunt, cui ut quisque vel propiùs jungitur, vel elongatur remotiùs, iisdem gradibus aut fervet spiritu, aut tepet. Sed nihil tunc expectate mediocre, nihil non summum, maximúmque, dum de offenso Deo tractabitur. Si enim status Justorum tunc luctûs, atque tristitiæ capax sit, recordatione peccati velut adacto mucrone, præcordia Sanctorum scindentur, quòd extiterat aliquando hora tam infelix, quâ amare potuissent Deum, quem ferventiùs non amârunt; quid? quòd fuerit inter horas Anni aliqua tam infausta, quâ Deum Sancti offenderint; nec eos tunc aut mundi collabentis fragor, aut Judicii terrores, vel publicæ confessionis ignominiæ cohibuerint? Sed quia scriptum est de iis, qui in Domini osculo moriuntur: *ABSTERGET DEUS omnem lacrymam ab oculis eorum.* ABSTERGET? Anne igitur etiam Beati, & sanctè mortui illacrymaturi infelicitati suæ, & horæ, quâ aliquando DEUM offenderint? Anne Jobi vultus novo verecundiæ sanguine suffundendus? Anne Davidi sanctissimo, quasi ex adverso adstitura labes diversis formis, jam sub ratione offensi summi boni, jam sub reatu summi mali, quæ tamen misericorditer condonata sit? Anne & Petro trina negatio sat erit, ad non jam Galli cantum, sed tubæ decretoriæ clangorem terrificum, ut in uno de duodecim thronis primario *fleat amarè*, & immadente vultu sese ad judicandum accingat? Sed nunc *consolare, consolare* ô populus justorum, *dicit Dominus.* Qui perennes ab oculis vestris lacrymarum sulcos, quodam veluti consolationis linteo candidissimo detergat, ipse Deus est. *ABSTERGET DEUS.* Nec alia manus venam dolorum sistere poterat, & claudere, quàm Divina; amor Dei lacrymas provocavit, idem etiam sistet; & qui author fuit vobis pœnitentiæ, idem erit attributor lætitiæ, ut ne stilla quidem, & ros genas vestras tota maculet æternitate. *Absterget Deus OMNEM LACRYMAM.* O felix Pœnitentia, quæ tantam securitatem promerebitur! ô incredibilem lacrymarum, jejuniorum, eleemosynarum fructum! ô sapientiam Justorum, qui redimentes tempus, eo bene usi sunt; & donec portæ cœlorum patebant, ingredi satagebant in Regnum. Stultissimi, quibus nisi mittatur aliquis Nathan, qui de secretis cordis arguat: *Tu es ille:* Nisi aliquis mittatur Jonas, adhúcque à pelagi fluctibus madido clamet gutture: *Ninive subvertetur!* aut ipse Dominus JESUS singillatim aspectabilis unicuique compareat, & dicat: *Tu es, qui me prodidisti?* non convertuntur, neque agunt pœnitentiam, nisi illam inter damnatos infelicissimam; veram, sed seram; gravissimam, at infructuosam. *Pœnitentiam agentes, & præ angustia spiritûs gementes.* Sed ecce!

Apoc. 21. 4

2. Reg. 12. 7.

Sap. 5. 3.

§. IV. Utriusque salutare remedium est prævenire.

Pulcherrimum, & utilissimum utriusque remedium adinvenit Christus, quâ arte, ac medio tum publicam illam coram toto mundo Confessionem: cùm etiam diei illius luctuosissimi pœnitentiam gravissimam, inutilissimámque possimus reddere lucrosam, fructuosam, solatiosam; si nempe utramque saluberrimè

mè præoccupaverimus, donec portæ
Matth. 4. 17. cœlorum patent: *Pœnitentiam agite, appropinquavit enim regnum Cœlorum.* Cogitate Christiani! quanta circa vos Dei providentia? Nolens in silentio punire nocentem mundum, ipse facit potestatem evadendi, si quis se se sub asylum Pœnitentiæ velit recipere. Atque hæc causa videtur esse, cur tam nominatim fiat mentio *pœnitentiæ in Judicio:* quam si præmisissent in vivis, non ad eam recurrerent in Judicio, & quia in vita non præoccupârunt ad evitandam Judicii severitatem, faciant tunc, quando inutilis erit omnis damnandorum conatus, ac pœnitentia. Quomodo autem hæc præoccupatio instituenda? dicam.

Induere Judicem. 1mò. Si illud Judicium est? Præveniat Judicium Christianus. Si Christus tunc judicabit? præveniat Judicium Christi; erigat sibi Tribunal, judicet semetipsum, accuset, condemnet, sine ulla misericordia ferat in se se justam sententiam; si se deprehenderit nigrum, dicat nigrum; si furem, si raptorem, agat contra se eô rigore, quô credit adversùm se propediem acturum æternum Judicem, palam toto mundo. Modum hunc præveniendi Judicium, & Examen, innuere videtur Gentium Do-
1. Cor. 11. ctor: *Si nosmetipsos dijudicaremus, non utique judicaremur.* Non? & quomodo inevitabile judicium, immutabili decreto statutum, possibile erit evitatu? Erit omnino; si enim privatas cum conscientia nostra rationes ineamus, stabit in arbitrio nostro modus, & limitatio Divini Judicii. Quis autem nolit judicari quàm mitissimè? Et quanta hæc esset gratia in tribunali humano, si reo concederetur potestas, & optio, eligendi sibi Judicem quem mavult; & pœnam, quæ ipsi commodior toleratu; locum, tempus, circumstantias determinandi; dummodo legitimè constet, Reum nulla in re sibi pepercisse, sed ex animo culpam in semetipso vindicâsse.

Mutare Tribunal, & ordinē Judicii. Talis est causa nostra, AA. Christiani. Indicitur nobis Judicium extremum, præsentia Christi, & Angelorum, revelatio & manifestatio omnium peccatorum, confusio, perturbatio, pœnitentia in facie solis, in orbis terræ conspectu. Tribunal cogitate, quale? quantúmque istud? in quo si causâ ceciderit reus, damnabitur æternùm. Jam si commutetur locus ille, *Vallis Josaphat*, ad locum aliquem, quemcunque tu volueris, sive in Templo, sive in sacrario: stat in tuo arbitrio; si præsentiam orbis terræ, ad præsentiam unius Sacerdotis; si manifestationem publicam, ad forum amoris, ut nemo præter Deum id sciat, & illum, quem Judicem elegisti; pœnas pariter ibi potestate Tribunitia dictandas, in pœnas alias suaviores; hæc omnia in tuo stant arbitrio. Quæ si sincero pectore, ac resolutione tu quocunque tempore acceptabili obire decreveris, causam tuam *ab irato Deo ad mansuetum* appellando: fide-jussor tibi sum, & animam meam oppignoro, quòd ultimum illud Dei Judicantis Tribunal nihil tibi oberit. Cur? quia *Dominus* 2. Reg. 12. *quoque transtulit peccatum tuum.* Et quò? ad Tribunal quidem æquè regium, sed nullo Judicum, ac Ministrorum præsente, si unum excipias Dei vices gerentem. Paratus erat Judex te condemnare, sed quia prævenisti judicio tuo (inquit Deus) Judicium meum; commutâsti tribunal meum in tuum, *Non morieris.* Apparebunt equidem peccata tua & in judicio meo, sed ad misericordiæ meæ in te completæ testimonium, ut laudetur Deus, non quia peccavisti, sed quia ejus gratiæ ope peccatum vicisti, delevisti, Tribunal commutâsti.

Christiani, & miseri Peccatores! rigidum propediem instare Judicium, si Christiani estis, creditis, ac pæne palpatis. O utinam non verbo, sed metu, sed tremore, sed vestræ emendatione vitæ id loquamini! Cum hoc Judicio appropinquat in orbis terræ conspectu *Confessio Generalis* (hoc erat, nî fallor thema Concionis) & simul inutilis illa *pœnitentia* & angustia spiritûs, & post hæc omnia vel Cœlum, vel Inferni tormenta nunquam finienda. Adhuc non sumus citati, evocati ad Tribunal illud; nondum classicum terribile intonuit: *Surgite mortui, venite ad Judicium!* Illud commutare licebit in aliud Tribunal multò faventiùs, ut sic succedat tunc, prouti nunc volumus. Quis autem tam vecors, tam demens Christianus, qui securitati suæ tali remedio non consulat? Quare animam, salutem, cùm potestis, in tuto collocate, agite pœnitentiam, sed talem, qualem olim ad Tribunal Christi optabitis peregisse; facite tales Confessiones nunc, quibus æternam securitatem vobis partam aliquando gratulari possitis.

AMEN.

IN EADEM DOMINICA
SERMO II.

Renunciate Joanni quæ audîstis, & vidistis. Matth. 11.

SUMMARIUM.

Christi Judicium futurum divinum, & rectum:

I. *Quia nec visu solo, nec solo auditu, sed ex utroque.*
II. *Quia ex visione divina, & conscientiarum interrogatione.*
III. *A Christo judicari præoptandum.*
IV. *Sex grandia pericula in humano Judicio.*

Claudiop. 1695.

QUò rarior est in mundi gubernatione Justitia, eò carior, pretiosior, & optabilior est hæc virtus: quæ ideò *Cardinalis virtus* dicitur, quòd revera in ea fortunarum nostrarum, salutisque privatæ, ac publicæ, temporalis, & æternæ *cardo* vertatur. Cogitavi pridem cum Divo JOANNE, cogitationibus meis, tanquam Legatis ad Christum missis, excipere, & audire ex ipso notam Divini Regentis, unde infallibiliter concluderem, venisse DEUM, & cum eo descendisse felicitatem in terras. Hodierna demum luce, quod quærebam, inveni. Cum enim Joannes, qui etiam carcere tentus non sibi, sed aliis prodesse cupiebat; discipulis adhuc incredulis legationem mandaret ad Christum, juberétque diligentissimè ex ipso tot mirabilium patratore edíscere, num verè ipse esset Deus, qui est expectatio Gentium, in cujus diebus *orietur justitia, & pax* toties suspirata terris! *Tu es, qui venturus es, an alium expectamus?* Respondit Christus: *Renunciate Joanni quæ audistis, & vidistis; cæci vident, claudi ambulant.* Hoc est, nisi fallor; vultis facere judicium venisse Christum in mundum? testimonium hoc erit: *Audistis, & vidistis.* Hoc est infallibile Judicium de Christo jam in mundo existente. *Hoc erit nomen* (inquit Propheta) *quod vocabunt eum: Dominus justus noster.* Quod *Dominus* erit, scimus; sed unde *Dominus justus?* unde Regens, & Judex justus? Habetis infallibile signum, & notam Divini Regentis in hoc, quòd ipse judicaturus orbem terrarum, solùm ex iis, quæ *vidit, & audivit*, judicabit, itaque verè est Dei Filius; & *nomen, quod vocabunt eum: Dominus justus noster.* Quid genuini solatii ex hac recta judicandi forma, quidve terroris habituri simus, liquidè colligemus ex iis, quæ de Christi divino procedendi modo dicturus sum, & authoritatibus divinæ Scripturæ comprobaturus. Quô denique pateat, Christum esse, quem ex omnibus unicum sibi Judicem quisque optet, ac eligat, utpote integerrimum; & ex omnibus unum timeat, utpote incorruptissimum, liberrimúmque. An ita sit, videamus.

Judicare ex iis, quæ vidit, & audivit: est signum, quod talis judex sit Deus.

Jer. 33. 16.

Sicut Judex nemo Christo dignior: sic nemo formidabilior.

§. 1. Nec sola visio, est divina, nec solus audi-tus: sed utrumque simul judicium efficit divinum.

Fateor magnam, & mysteriosam hanc esse combinationem signorum pro Christo, quòd sit verus Deus, ex eo, quòd judicabit ex iis solùm, quæ *vidit, audivit. Videre*, probat divinitatem, *audire* planè humanitatem; sic tamen, ut nec primum satis sit ad legitimè judicandum; 2dum verò judicium videlicet in auditu fundatum, secundum se cum sit fallibile; oportet visioni conjungi, ut judicium fiat divinissimum, & à toto mundo approbetur. Quod ipsum Isaias, cum tractaret de subtili, ac divino procedendi modo Messiæ venturi, negabat illum, cùm de fortunis alicujus animæ, & sempiterna salute agetur, crediturum vel oculis tantùm, vel auribus præcisè: *Non secundùm visionem oculorum judicabit, neque secundùm auditum auium arguet:* quamvis oculorum illius *visio* sit visio divina, visio lucidissima, quâ visitat *Jerusalem in lucernis*, & scrutatur intima cordium, & renes, cogitationésque omnes, sicut sunt in se, perspicit, & scit: quia tamen ista visio est Deo interna, & nobis incognita, ad *publicum mundi* judicium non sufficit, ut dicatur Christus verissimus Judex, & omni exceptione major. Quodsi autem de anima aliqua judicaret ex relationibus, fama, & allegatis tantùm, dici posset judicium claudum, & infirmum, & contra illud posset excipi, dum statur ad Dei Tribunal, agitúrque omnium negotiorum maximum & gravissimum, salus

Isai. 11. 3.

lus aut periculum animæ immortale, quod deberet pendere ex judicio *auditûs aurium*; fit, ut ad Tribunal Chriſti utrumque neceſſariò conjungatur; id quod pro reſponſo curavit hodie renunciari Joanni, & dici: vel ex hoc manifeſtum eſſe veri Meſſiæ adventum in terras, quia *Non ſecundùm viſionem oculorum judicabit, neque ſecundùm auditum aurium arguet*; ſed viſioni adjunget auditum, atque ita diviniſſimum & infallibile faciet judicium. *Renunciate Joanni, quæ audiſtis, & vidiſtis.* Probemus dicta.

Hoc utrumque conjunxiſſe Deum oſtenditur.

Suppoſito, quòd *Pater omne Judicium dedit Filio, ut omnes honorificent Filium, ſicut honorificant Patrem.* Joan. 5. pertinebat ad dignitatem Chriſti, ſervare in Judicio æquitatem proceſsûs illi ſimillimam, quam tanquam divinitati propriam refert Scriptura in modo procedendi cum conjuratis Angelis, & aliis peccatoribus à condito genere humano. Habemus de Deo puniente Angelos, qui erant in cœlis; homines, qui erant in terris. Cur tam velociter damnavit Angelos, & ſerius homines? Damnavit Angelos, ſic tamen, & non prius, quàm
Iſa. 14. 13. hæc duo præmitteret: *Viſionem*, & *auditionem*. Cogitationes Angelorum erant: *Aſcendam, & ſimilis ero altiſſimo*, hoc eſt, Deo incarnando. Ipſiſſimæ cogitationes erant verba, & reſponſa mul-
Pſal. 11. 3. torum cordium: *In corde, & corde locuti ſunt.* Uno momento vidit Deus cogitata iſta, & tanquam reſponſa auribus percepit; *vidit*, *audivit*; in eodem puncto cauſa examinata, deciſa, ſententia prolata; dilatavit Infernus os ſuum, & conjuratos abſorpſit. Paullò aliter in peccato Adæ accidit. *Vidit* Deus delictum Adæ, & Evæ, quid enim poſſit latére Deum? Cur ergo deſcendit de cœlo? Quomodo vox auditur deambulantis in Paradiſo, & clamantis: *Adam ubi es?* Deprehenſi ſunt peccatores, factum examinatur, neuter negat; & poſtquam ambæ partes delictum confeſſæ ſunt, utrique parti edictum mortis denunciatur. Sufficiebat cognitori cordium Deo patrati peccati viſio, ſed non ſufficiebat Judici, qui etſi factum oculis ſpectaverit, debet tamen ſecundùm allegata, & probata ferre ſententiam, hoc eſt, debet etiam *audire*. Quem autem audire potuiſſet in illo caſu? ibi nemo erat, niſi Adam, Eva, & Diabolus; diabolus utpote inimicus, erat perſona ſuſpecta, ſi tantum allegatis ejus ſtetiſſet Deus, quis acquieviſſet accuſationi? itaque audiatur Adam', audiatur Eva; *habent ætatem, loquantur*; Siquid pro ſe legitimæ excuſationis adferre poſſunt, bene quidem; Deus eſt, qui non vult mortem, ac perditionem ullius, ſed vitam; ſi non; viſione Dei, & teſtimonio conſcientiæ propriæ convictis, edictum mortis proferatur.

Contrario modo factum in aliis caſibus. Hic *vidit* Deus, ideò deſcendit, ut audiat. In duobus caſibus, quos narrare volo, *audivit*, deinde ut *videret*, deſcendit. Jam fraternus cruor in ipſo parricidii clamore clamabat in cœlum, & vociferabatur vindictam apud Tribunal Divinum: audiebat ſine dubio Deus, & vocem ſanguinis innocui cognoſcebat; voluit tamen locum, & tempus relinquere etiam oculis; deſcendit, vidit, interrogavit de Abele fratre, ubinam eſſet? *Quid*, inquit, *feciſti? vox ſanguinis fratris tui clamat ad me de terra.* Audiebatur clamor vocis ſanguinis de terra, palpabatur facinus, quærebatur excuſatio, nec inveniebatur defenſio: primùm tunc fit judicialis definitio. In alio caſu, quem Pentapolis divino damnata judicio ſubivit, legimus Deum vociferationes horrendorum criminum probè audiviſſe, noſtro tamen modo quaſi non vidiſſet, dicebat: *Clamor Sodomorum venit ad me.* Ecce quàm efficacia ſunt peccata in cœlum clamantia! *ponunt in cœlum os ſuum*, ſed an impunè? Parata jam ſtabant fulmina, & igneus imber impendebat palatiis, & turribus, quocunque momento Deus juſſiſſet, infamem obruturus Civitatem. Quid igitur mora trahitur? Deus eſt, qui clamorem audivit, cur moratur ſupplicium? Audivit, ſupereſt ut etiam videat. An ex auditu aurium continuò arguet? nequaquam. Audiamus, quod ait Scriptura: *Deſcendam, & videbo, utrum clamorem, qui venit ad me, opere compleverint.* Res ſtupenda, & admirabilis! nonne de cœlo eas ipſas abominationes vidit? Ita eſt; ſed homines erat judicaturus, & contra homines erat ſententiam laturus, & ſimul homines docturus exemplo, quod deinde Spiritus Sanctus relicturus erat ſcripto documento: *Priuſquam interroges, ne vituperes quemquam: & cùm interrogaveris, corripe juſtè.* Græca legit: *Priusquam exquiras, ne accuſes: intellige primùm, & tunc reprehende.* Non erat contentus Deus audire, niſi etiam videret. *Deſcendam, & videbo*; oculos, & aures

In aliis caſibus priùs audivit, & deſcendit, ut videret.

Gen. 4.

Gen. 18.

Pſal. 72.

Eccli. 11. 7.

accommodabo. Duæ istæ potentiæ in Judicio adeò sunt necessariæ, ut *quantumvis æquum quis statuerit parte inauditâ alterâ, æqui tamen justique Judicis* nomen non sit relaturus.

§. II. Christi judicium ex visione divina: & conscientiarum interrogatione conflatur.

In casu, quo Christus rectum Judicium formare jubebat Joannem Baptistam in puncto præcipuo de adventu Messiæ, & de justitia, quæ in diebus ejus erat oritura: tota doctrina recidit in hoc: *Renunciate Joanni, quæ audistis, & vidistis.* Divinissimè combinat utrumque, & significat idem: Vos *vidistis* cœcos illuminatos, leprosos mundatos, mortuos susciatos; bene est: sed hoc satis non est; *audire* etiam oportet, quid homines alii de Christo loquantur, & ita unum ex altero confirmare. Ad nostrum thema: apparet Christi Judicium rectissimum, ac divinum, quia in visione conjuncta auditui collocatur, ex eo, quòd Judicium Christi non procedat ex relationibus, conjecturis, ac suspicione, sed ad realitatem facti, & veritatem; sic, ut visioni, quâ omnia videt, conjungatur auditus, qui fit per responsum conscientiæ; Deo enim pro tribunali interroganti, responsum edit omnis anima, & conscientia; respondent anni pueritiæ, juventutis horæ, dies, menses, anni; respondent circumstantiæ, numerus, species peccatorum; commissionum & omissionum actus: quos antea vidit, ut Deus; jam confessionis catastâ exprimit, ut Judex. An ita sit, videamus. Lego Christum in Judicio exprobraturum reprobis: quia, inquit, Matth. 25. *Esurivi, & non dedistis mihi manducare; - nudus eram, & non me cooperuistis; hospes eram, & non collegistis me;* & deinde sententia. Notate bene: Non dixit Christus: Ego audivi, sic accepi, quòd vos &c. sed absolutè dicit: *Non collegistis, non cooperuistis &c.* Aliud quod notatu dignissimum est, quamvis in negotio omnium delicatissimo, ubi agitur de animæ immortali salute; negare absolutè factum non audent, sed interrogant: *Domine, quando te vidimus nudum, & non cooperuimus te &c.* benignissimus Judex ad quæstionem, in qua parabatur æterna sententia, ait: *Amen dico vobis, quod uni ex minimis meis fecistis, mihi fecistis.* Iterum confirmat æquitatem, & auctoritatem Judicii sui in sublimissima sua visione, & conscientiarum responso fundatam, non ex conjecturis probatam: *fecistis, fecistis.* Deus dicit, conscientia non contradicit, sententia fulminatur, ab orbe approbatur, à nemine reclamatur. O divinam judicandi formam!

Confirmatur id tribus aliis exemplis. Psal. 10.

Formam istius Judicii non ex suspicionibus, & conjecturis emanantis, sed propria conscientiæ fassione expressi, præmisit Dominus, qui *Interrogat justum, & impium*, utique, interrogatione conscientiæ veritatem exprimens: præmisit inquam in servo illo, qui talentum abscondit; in Samaritana, quæ ex interrogatione conscientiæ Christum *Prophetam* esse conjecit. Sed exemplum illustrius præmisit in Davide Rege post ejus lapsum. Ad formandum de tanto casu processum, quamvis in cœlum usque clamaret innocentis Uriæ cruor, non tamen ipse descendit, ne putaret peccator oportere ipsum visibiliter à Deo corripi: expedit Prophetam, satis est; specie violati juris proximi in ove surrepta proponit facinus Regis occultum. Et quia semper proniùs in alienum caput dictamus sententiam, Rex David acerbitate tantæ injuriæ commotus continuò edicit: *Vivit Dominus, quia filius mortis est Vir, qui fecit hoc. Ovem reddet in quadruplum.* Lentiùs ô Rex! & noli festinare! quid enim si fors ex necessitate ovem illam surripuit? quid si suam putaverit esse? quidquid sit, pereat ovis, & vivat homo. Si verò tam grande facinus est ovem abstuliisse, quidsi tu eris ille vir, & multò gravius aliud prodibit, si parabola ventiletur? Nec Propheta diu occultum dissimulavit telum. *Tu es ille vir.* Confitetur peccatum. Deus dicit, David non contradicit; supereat, ut divina visione, simul & conscientiæ auditione expressa delicti notitia Tribunali divino reservetur, & quidquid Deus decernat in reum, aliud reus dicere non habeat, quàm quòd omnia justè. *Justus es Domine, & rectum judicium tuum. Omnia in vero judicio fecisti.* Jam redeamus ad thema.

Conscientia Davidis: occulto equuleo attracta, scelus confitetur.

2. Reg. 12.

Psal. 118.

§. III. Soli ex omnibus Christo competit hoc judicium.

Quodsi itaque *Pater omne judicium dedit Filio*, Joan. 5. & Filius ut Deus omnia probè videt, & ut Judex interrogat, & audit conscientias: ad rectum judicium formandum duobus istis, *visione*, & *auditione* requisitis instructum, dico, rectissimè constitutum esse Christum Judicem vivorum, & mortuorum, eúmque esse, quem ex omnibus unicum sibi Judicem quisque exoptet, utpote integerrimum, & sanctissimum; & simul quem ex omnibus unum maximè vereatur, utpote justissimum, liberrimúmque.

que. Quod erat, si meministis, thematis hodierni caput.

Diabolo judicandi potestas cur non sit tradita?

Quodsi quæras: cur Deus illam notitiam circa omnia peccata non dedit deputatis vel hominibus, vel Angelis, vel Diabolis? si justitiam voluit exercere in decretorio Judicii die commisisset Diabolo. Non ita factum est. 1mò Diabolo istud Judicium committendum non putavit, ne homines dicerent: *Inimici nostri Judices*, vel maximè in puncto, ex quo pendet uniuscujusque felix, aut infelix æternitas. Deinde siquis damnatur judicio justo, saltem in hoc aliquod levamen habet, & cum Latrone dicere potest: *Nos digna factis recipimus*, & ubi justitia viget, aliter fieri non potest, nisi ut corona probis, supplicia impiis decernantur. Quare cognitio causæ capitalis, non debet *Patri mendaciorum* committi, ne diceret mundus, Sacrosanctas Leges conculcari, periisse justitiam, & à quo nec cuperent absolvi, ab eo se præcipitatos, damnatos. Accedit, quòd etiam innocentissimus quisque habeat quod sibi metuat à Judice inimico simul, & furente. Ad tribunal Dei stamus, inquient: si peccavimus, puniamur ab eo, qui nec in sua cognitione decipi, nec in perspicacitate, ac judicio falli, nec personarum acceptione possit corrumpi: quidquid is statuerit, Dominus est, sanctus, & justus est, quod bonum in oculis suis, faciat, *omnia in vero judicio* acturus.

§. IV. Homines, per homines judicari æquè periculosum, ob sex grandes defectus in judicio humano committi solitos.

Hoc postremum videtur etiam contra homines, & Angelos exceptionem facere. Et, ut de Angelis in præsens nihil dicam: homines hominibus committere judicandos in puncto tam delicato exitii sempiterni periculosum. 1mò, Quia sicut cœlum à terra: sic judicia hominum elongantur à judiciis Dei. Deus judicat secundùm leges intellectûs, qui est in Deo rectissimus: Homines sæpe secundùm solam voluntatem, quæ naturâ suâ cœca est, & cum præterea sit tam imperiosa, ac despotica, fit, ut tota ratio, cur aliquis damnetur, recidat ad voluntatem: *Sic volo, sic jubeo.* Quod ipse Christus expertus est cum corruptissimis Tribunalibus, & Judicibus, & qui eorum videbatur innocentior, Christo pro sui tutela silentium adhibenti, re-
Joan. 19. 11. spondit minaciùs: *Mihi non loqueris? nescis, quia potestatem habeo crucifigere te, & potestatem habeo dimittere te?* Jam si ad summam potestatem accedat voluntas, etsi Christus sit, debet mori. Certissimum est, homines magis æstimare suum honorem, quàm Deum, præterea esse velociores ad vindictam, quàm Deum, & difficiliores ad veniam; quæ causa fuit Sancto Regi Davidi constituto in angustiis eligendi de tribus Dei flagellis, quod placuisset, aut pestem, aut famem, aut bellum & inimicos: non diu deliberans dixit: *Melius est mihi in-* 2. Reg. 24. *cidere in manus Domini, quàm hominum.* Quid ita? *Multæ enim sunt misericordiæ Domini.* Si cadendum est, satius est cadere in manus, quas intellectus gubernat, & misericordia temperat, quales sunt manus Dei; ab hominum manibus, quas voluntas & furor armant, erue me!

Homines judicant ex apparentiis.

Et ratio est 2dò: Quia Deus non potest aliter judicare, nisi prout res sunt in se, & in conscientia: homines judicant ex apparentiis, informationibus, & fama; siquis apud hominum tribunal propriâ se tueri velit conscientiâ, esset defensio parvi momenti, quæ apud Deum est maxima. Deus neminem punit, nisi ad qualitatem, & proportionem culpæ, quæ verè culpa sit: homines judicant culpam, ubi nulla est, aut ex parva efficiunt magnam, quia homines sumus, & opinionibus regimur.

Bona pro malis damnant.

3tiò: In Judicio divino sola opera mala: in Judicio hominum etiam bona nos accusant, & condemnant. Christo plus nocuerunt miracula, quam sua Barabbæ flagitia; iste cum omnibus latrociniis pronunciatur liber, Agnus Dei cum omni innocentia, & miraculis crucifigitur. Cujus typus extitit Abel: usquedum Abel communis vitæ rationem cum Caino sectabatur, erat inter fratres pax alta, & concordia; ut primùm Abel Creatorem cœpit sacrificiis honorare, & ad victimas ejus saventiore vultu cœlum respicere: omnia statim turbari cœpta; Abeli cœlum applaudebat, Cainus paricidale facinus animo designabat, nec destitit, donec perficeret meditata. Sæpe satius esset sacrificiis abstinere, & miraculis, seque continere sub modio, quàm lucere, quando ipsa lux, & bona opera mortem suis pariunt authoribus. Et hoc apud homines. Elias dum amplificando Dei cultui studet, & zelo flagrat pro domino Deo exercituum: perturbatoris Patriæ nomine notatur. *Tune es, qui conturbas Israël?* Quot, quantaque flagitia Patronos acquirunt? Defuitne Diabolo tempus, locus, occasio ad firman-

dum

dum Imperium ſuum? Nunquam; ſed ſiquis pro Deo, & Eccleſia conſurgat, agátque fortia; patietur fortia, amicos perdet, lucrabitur inimicos, & propter
Pſal. 61. 10. miracula debebit mori. *Mendaces filii hominum in ſtateris!* Quantò ſatius ad Dei tribunal ſtare, ubi ſcio, ſi patiar, ſi perdam, opera bona non me condemnabunt.

Commini-ſcuntur quæ neque cogitata ſunt.

4tò. Deus cogitationes judicat, ſed veras: homines etiam in his, quæ nunquam cogitâſti, te condemnabunt. Diabolus ipſe in Judicio arguet nos in dictis, & factis; cogitata ad Deum remittet, cujus eſt illa *ſcrutari.* In quo multò Diabolus mitior eſt accuſator hominibus, qui præſumunt de ipſis ſecretiſſimis cordium formare judicia, & te-
2. Reg. 21. merè ſuſpicari de proximo. In domo Achimelech Sacerdotis verſari obſervatur David, igitur conſilia contra Regem, & Patriam cudit. Chriſtus in convivio recipit peccatricem, ergo aut non eſt Sanctus, qui talem admittit; aut Propheta non eſt, qui perſonam, qualis ſit, ignorat. De quot Sacerdotibus, perſonisque ſacratis talia comminiſcimur judicia, & quæ nunquam fuerunt cogitata, in humano tribunali pro veris damnamus. Quis tales Judices non metuat?

Semel commiſſa, indelebilia ſunt.

5tò. In Judicio divino deleta ſemel peccata non reviviſcunt: apud homines omnis macula, & character eſt indelebilis. Anima dealbetur in ſanguine Agni, apud homines non delebit famam, quæ ſemel de ipſa percrebuit; exuerint frater, ſoror, *veterem hominem*, & induerint *novum*, *qui ſecundum Deum creatus eſt in juſtitia, & ſanctitate Veritatis:* vetus macula apud Deum obliterata eſt, ſed apud homines ùt ùt in cineribus ſopita, primo injuriæ flatu reviviſcit; mox miſerorum aures habebunt quod audiant; vera, dubia; recentia, vetera; ac ſepulta dudum, tanquam heſterna ad eorum famam denigrandam producentur: Scimus qui fuerint; eorum fama apud quæ tribunalia, & qualiter, quamdiu agitata? In publicum quænam narrabantur &c. O! qui invicem tam rigidi Judices ſumus, ſi pari ſeveritate tractemur in terribili Judicio Dei! niſi Propheta tantam diverſitatem poneret inter humanum, & divinum Judicium, ut intuitu primo diſcerni poſſit, quisnam pro Tribunali ſedeat, Deus, an Homo? *Cogno-*
Pſal. 9. 17. *ſcetur*, inquit, *Dominus judicia faciens;* quemadmodum applicanti *Quinque puncta* modo allata, clarum puto eſſe. Addamus, ſi placet, & ſextum, & finiamus.

Judicant ante tempus.

6tò. Judicium Dei non fit priùs, quàm in fine finali; *Statutum eſt hominibus ſemel mori: & poſt hoc Judicium.* Et: *In fine hominis denudatio operum illius.* Sic etiam in arte factis ſuſpendimus Judicium, donec finiatur opus: ac tum æſtimare conſuevimus. Hic contrà accidit; proximos judicamus ante tempus, pluribus lectum in gehenna ſternimus, qui adhuc probabilius convertentur ad Deum; & aliquos in ſtellas referimus, & canonizamus, ſors æternùm perituros. Chriſtiani, *nolite ante tempus judicare,* 1. Cor. 4. *quoadùſque veniat Dominus!*

Quemadmodum ex omnibus judicibus nemo Chriſto dignior: ſic nemo formidabilior.

Veniet ſine dubio Dominus, & utinam veniat! & ipſe judicet cauſam noſtram, & diſcernat Judicio Sancto, ſicut ipſe Sanctus eſt. Unicum reperio AA. Chriſtiani punctum fateor notabile, in quo Judicia Chriſti quemadmodum maximè præeligenda ſunt, tanquam divina, recta, ſancta, & in geminis juſtitiæ cardinibus, *viſione, & auditu* fundata, & idcirco rectiſſima: ita ſunt etiam terribilia, & præ omnibus humanis judiciis formidanda. Et quod illud punctum? Quia proceſſus, quos mundus format ex veris & fictis, dubiis & incertis, tanquam ſæpe in glacie opinionum fundati, ab cordatis facilè contemni, & rideri poſſunt, & cum Apoſtolo dicere licebit: *Mihi pro minimo eſt, ut à vobis* 1. Cor. 4. *judicer;* neque enim (inquit) aut tantâ hujus vitæ cupiditate teneor, aut gloriæ, famæque tanto ſum amore incenſus, ut judiciorum veſtrorum metu à cœpto curſu retarder, & manum ab aratro removeam, ac reſpiciam retro. Judicia veſtra ſi me ſanctum proclamaverint, an propterea Sanctus ero? aut ſi reprobum, ero reprobus? Opiniones veſtræ ſi bonæ, ſi faventes ſunt, vobis grates refero; ſin adverſæ, utrumque *mihi pro minimo eſt; nec laudes veſtræ me æternùm beatum efficient, nec vituperia infelicem. Qui me judicat, Dominus eſt.* Ecce! hæc illa judicia ſunt, quæ non licet ſpernere, non licet ridere. Recta ſunt, quia in divina viſione, & reſponſo conſcientiæ fundata; ſancta ſunt, ſicut ipſe Deus Sanctus eſt; juſta ſunt, nulli exceptioni obnoxia, non auro, non precibus corrumpenda, non favoribus flectenda, nec minis. Bilancem habet in manu juſtam *terribilis in conſiliis ſuper filios hominum.* Hæc timeamus, hæc præ oculis ſemper feramus; & quem metuimus judicem, lacrymis, & confeſſione præoccupemus Salvatorem. Qui eſt benedictus in ſæcula. AMEN.

IN

IN EADEM DOMINICA
SERMO III.

Tyrnaviæ in Cathedrali, 1701.

Euntes renunciate Joanni: Cæci vident, claudi ambulant, leprosi mundantur, surdi audiunt, mortui resurgunt, PAUPERES EVANGELIZANTUR. Matth. 11.

SUMMARIUM.

Cur prædicatio ad Potentes non est signum Adventûs Christi, sicut Vocatio & Evangelizatio pauperum?

I. *Quia ad hanc requiritur gratiæ virtus omnipotens, charitas, suique victoria, ac libertas: quia apud pauperes* non est alligatum Verbum DEI.

II. *Ad prædicandum Potentibus ultrò itur: sed vel frustra itur, quia non se permittunt Evangelizari; vel, si audiunt verbum, non custodiunt illud.*

Exordium à Persona Baptistæ, qui divitibus prædicando caput amisit.

AUdîstis ex Evangelio isto, quod prælegimus, Angelum à Diabolis vinctum, Prophetam à Tyrannis carcere constrictum; Joannem à sceleratis, castum ab impuris pro veritate, dicendique libertate patientem. *Joannes in vinculis.* Pridem ominabar exitum istum, adhuc dum natalitia inter gaudia, faustásque acclamationes cognatorum, audiebam aggratulantium sermonibus ac votis mutuò quæri? *Quis putas, puer iste erit?* Jam tum inquam, dicebam, nihil ex isto *Puero* futurum, ut qui quondam dicendi libertate Reges offensurus esset, & concitaturus in se multorum odia, & potissimum talium, quibus nihil est in Aulis potentius; felix! si illud *NON*, aliquando convertere in ITA, aut saltem reticere didicisset! Sæculi stylo quidem ita. At numquid infelicem ideò dicemus Joannem, quòd veritate carcerem emerit? immò verò felicissimum, qui sicut paulò antè capitis sui periculo Herodem admonuit errantem, ne damnaretur: sic nunc è carcere non quasi suæ dubitationi, sed multorum saluti consulturus, ad Christum Legationem adornat, qui interrogarent: *Tu es, qui venturus es, an alium expectamus?* Quem enim Joannes adhuc matris in utero prophetabat, de ejus non poterat dubitare præsentia, præsertim cum non multò antea salutâsset *Agnum Dei*, quisnam ille de millibus esset, digito demonstrans: *Ecce Agnus Dei! ecce, qui tollit peccatum mundi!* Ipsis interrogantibus, totique per hanc occasionem consultum est orbi terrarum, quocunque olim fama responsi Christi perveniret: *Euntes*, inquit, *renunciate Joanni, quæ audistis, & vidistis: Cæci vident, claudi ambulant, leprosi mundantur, surdi audiunt, mortui resurgunt, pauperes evangelizantur.* Quæstionem, & maximam quidem, oraculum istud Christi inexpectatum, & admirabile mihi commovit; quò vocatio, illuminatio, evangelizatio miserorum hominum statuitur pro signo indubitato adventûs, ac præsentiæ Christi; soli igitur *pauperes* habent hoc testimonium, hoc signum: & Principes non habeant? si fors (inquit) super tali responso obstupescat Joannes, & hæreat: *Euntes renunciate illi*, quid carcer? quid illa vincula? quid captivitas innocentis, quid odia inimicorum pro veritate perferenda, & à quibus? Nónne à Potentibus? Nónne à Divitibus, qui renuunt evangelizari? *Cæci* sunt, nolunt illuminari, solémque excludunt; *claudi* sunt, erigi in bases justitiæ docendo non ferunt; *leprosi* sunt, & mundari fugiunt; *surdi* sunt, immò *mortui*, & vitæ auctorem erubescunt. Ex divitibus igitur, & Potentibus argumentum duci non potest, quòd jam *Filius Dei* in terras advenerit; qui ita vivunt, quasi Christiana lex evanuisset, ut proinde necesse sit ad argumentum Incarnationis Dominicæ miracula cum pauperibus facta adducere. *Euntes renunciate Joanni, quæ audistis, & vidistis; cæci vident &c. & pauperes evangelizantur*: Divites, & Potentes non. Res tanti momenti petit accuratam sanè discussionem, summámque considerationem meretur, qualis est salus æterna Divitum, Magnatum, ac Reipubl. Rectorum. Quid porrò ex hac sententia Christi ad hos, illósque concludi possit, & in veritate dici etiam temporibus nostris; vos pro affectu, quo salutem omnium

um vestrûm prosequor unicè, differentem benignè audiatis, ut parem cœlestibus monitis fructum referatis.

§. I. Pro miraculo est Evangelizatio pauperum. 1mò: A difficultate.

Discutiamus 1mò, quibus ex capitibus censeatur instar *Miraculi*, *evangelizatio pauperum*, & in quo sensu? Utrum ex parte *Evangelizantium*, an verò eorum, qui *evangelizantur* teneat se miraculum, & consequenter signum adventûs, ac præsentiæ Christi? Dico, ab utraque. Quia prædicare pauperibus, est charitas maxima; prædicationi credere, & salvari, felicitas & raritas summa, quia tanta, quanta resuscitatio *mortuorum*, aut illuminatio *cæcorum*. *Cæci vident, mortui resurgunt, pauperes evangelizantur.* Tanta difficultas debet intercedere inter evangelizantem, & evangelizandum *pauperem*, quanta inter resuscitantem, & mortuum: sic, ut ex sententia Christi, ab utraque parte impotentia naturalis intervenire debeat, & ordine naturæ superior virtus adesse. Sic dum Moyses elicit ex petra ficcissima aquas, aut virgâ dividit mare, tam ex parte operantis Moysis, quàm ex parte petræ, aut maris interveniat necesse est stupenda vis, ac difficultas ad operationes illas, quæ naturaliter non conveniunt. In mortuis eodem modo: nam ut quis mortuum excitet, ex parte sua necesse est habere talem potentiam, quâ vitam det; & ex parte mortui tales intervenire dispositiones, quibus factis, & inditis vita velut postliminio redire possit, & anima. Quod quia humanis viribus haberi nequit, ideò virtus humanâ major, divina nempe accedere debet, vel per substantiam, sicut in Christo; vel per communicationem, uti in Apostolis, & Sanctis. Hinc cùm *Evangelizatio pauperum* ex sententia Christi sit æquè admirabilis factu, ac resuscitatio *mortuorum*: oportet, ut ex parte exangelizantium, & evangelizatorum grandis intercedat distantia, ac difficultas; quâ superatâ, si denique fiat prædicatio, & evangelizatio, *miraculi* loco habendum est, & pro signo evidenti adventûs Christi, próque præsentiæ testimonio divinæ.

A magnitudine charitatis.

Miraculum hoc fundatur 2dò, in magnitudine & excellentia charitatis; ut commiseratione pauperum, idiotarum, ac rudium descendatur ad evangelizationem. Acutè Divus Hier. super hæc ipsa Christi verba: *Cæci vident, pauperes evangelizantur. Pauperes*, inquit, *evangelizantur; quod præmissis non minus est. Pauperes autem evangelizatos intellige OPIBUS PAUPERES.* Et quare? *Ut nulla inter nobiles, & ignobiles; inter divites, & egenos in prædicatione distantia sit. Hoc magistri rigorem, hoc præceptoris comprobat veritatem.* Mortuos excitare, & hoc facere, utrinque par miraculum, inquit S. Hier. Et quare? quia nullo discrimine divitum, & omni ope destitutorum spargere verbum Dei, hoc propriè divinum est, & signum, quòd advenerit *Emmanuël, nobiscum Deus!* Nempe nec propter lucrum, & ob gratiam divitum currere, nec inopiâ pauperum deterreri à prædicatione; indiscriminatim Christianam exercere charitatem ad omnes; ponderare animas ad Deum, & non ad corporis sexum, ad vestium ornatum, ad divitias, ad splendores externos; pari alacritate pergere, cùm opus, ad *Insulas*, ac ad *Insulas*; in aliquo miserabili corpore & jam vivo sepulcro agnoscere animam Christi sanguine redemptam, sicut in uno Regnante: vos oro, date! date mihi hujusmodi argumenta, & ego inclamabo cum Christo: Dicite, *Renunciate Joanni*; immò dicite hodie Christo, dicite SS. Trinitati, dicite Angelis! *Cæci vident, mortui resurgunt, pauperes evangelizantur!* Et ecce Dei Filii adventus in mundum alio non indigebit argumento; dicemus omnes, quod Cives Samaritani ad Mulierem: *Quia jam non propter tuam loquelam credimus: ipsi enim audivimus, & scimus, quia* HIC EST VERE SALVATOR MUNDI. Joan. 4. 42.

A victoria sui & ponderatione animarum ad Deum. 1. Reg. 14. 15.

3tiò. Id, quod accidit factu rarum, vocari *Miraculum*; quale fuit Heroicum facinus Jonathæ, & armigeri ejus castra Philisthiim invadentium: *Et accidit, quasi miraculum à Deo*, ut duorum Juvenum virtute conturbaretur fortissimus hostium exercitus. *Pauperes evangelizari* tam est acceptum Deo, & charum, quàm rarum: *Quis putas* (inquit Christus) *est fidelis servus, & prudens, quem constituit Dominus super familiam suam? Hic jam quæritur* (verba sunt Apostoli) *inter dispensatores, ut fidelis quis inveniatur.* Quis, & non Qui? Quantò rarior, tantò beatior, qui invenitur, *quia super omnia bona sua constituet eum.* O grande prædicantium, & evangelizantium munus! Domini bona gratis distribuere, & quàm fideliter in Dominum, tam liberaliter dispergere in subditos. Jam tunc præmonebat cœlestis Paterfamilias, sine pretio ambito Matth. 24. 1. Cor. 4.

minus,

minùs tormentis emuncto, distribuenda esse dona Dei. Illud Mercenarii est, & Tyranni: hoc Pastoris. Habent Evangelizantes cur suæ gratulentur vocationi, abscissam sibi esse mundi fortunæ spem; sed simul reservatam grandem in cœlo mercedem: *super omnia bona sua constituet eum.* Et numquid etiam in terris *Dignus est operarius mercede sua?* Dignus sanè, & ideò Christus ad eos: *Manducate, quæ apponuntur vobis;* sed notate mysterium: *Quæ apponuntur*, non quæ abstrahuntur, non quæ oppressione pauperum extorquentur. Si *pauperes evangelizantur*, agnoscantur pauperes Christi, & præponderet semper Ecclesiæ decus, animarum honor,& lucrum, non quæstus marsupiorum, elevatio Familiarum; & domesticus splendor. Intolerabilis avaritia, dona Dei, & verba vendere! *Sacerdotes ejus in mercede docebant, & Prophetæ ejus in pecunia divinabant, & super Dominum requiescebant.* Et quid tum? Avaritiæ, ferè hujus omnia desolantis fructus audite: *Propter hoc Sion quasi ager arabitur, & Jerusalem quasi acervus lapidum erit, & mons Templi in excelsa sylvarum.* Quanta animarum jactura, reique Christianæ clades avaritiâ nostrâ secutæ sint, dum ministerium Dei sic venditur, docet Germania, exemplum est Anglia, index universus propemodum Septemtrio à Catholica fide laceratus; docent florentissimæ Ecclesiæ, Sacerdotia amplissima, quæ nunc *sicut ager arantur*; tantúmque avaritiâ perdidimus,quantum vix ullo unquam Apostolatûs sudore recuperaturi sumus. *Jerusalem quasi acervus lapidum erit, & mons templi in excelsa sylvarum.* Miraculum sanè, sed luctuosissimum Christo. Tunc, tunc reviviscent illius Miracula, quando *Pauperes evangelizabuntur* sicut pauperes.

Miche. 3. 11.

A Libertate prædicandi. 2. Tim. 2. 9.

Denique Quarta ratio *Miraculi*,quæ habetur in *Evangelizatione pauperum*, est Libertas prædicandi Evangelium: quia apud pauperes *Verbum Dei non est alligatum*, sicut alibi, quia ab his nec speratur, nec metuitur, & nullum impedimentum favore, aut gratiâ ponitur Evangelio; non Christo Os obstruitur & clauditur, ne recta, & ad salutem necessaria cùm vult, proferat. Qua in re clarissima (ut ut longior sum) reticere tamen non possum, incredibili genere beneficii nos affici *à Pauperibus*, quibus inter cætera debemus Apostolicam dicendi libertatem; his enim in acceptis referre debemus, quòd sub eorum pallio,ac nomine multa libere dicamus. Ubi enim ad aures sublimitatum terrenarum nemo audet de peccatis gravissimis loqui, objicere impietates, scelera sole meridiano clariora: sub titulo *pauperum* currit veritas, & quasi illi impiè prensâssent Coronas, alienis inhiâssent facultatibus, conturbâssent Regni pacem, felicitatem extinctum ivissent; audiunt, & capilli stant! ut si hi non essent, aut tacendum omnino esset, aut Evangeliorum stylus liberrimus in Templi parietes convertendus, quasi malorum omnium auctores: Vos (diceremus) Vos lapides! Vos Basilicæ saxa marmorea ac dura! quot Conciones vos, quot fulmina auditis? auditis inquam tantùm, nec ad pœnitentiam scindimini, ut ex vobis filios Abrahæ generemus? Talium sæpe lapidum vicem nobis sustinent *Pauperes*, dum *evangelizantur*: & iis grates referimus, quòd & nos loqui possimus, & Evangelii gladius acutus per innocentium latera feriat Potentes.

Pauperibus gratiæ habendæ, cur?

§. II. Prædicationem ad Potentes, non accensere miraculis, & signis:

Atque ex his habetis & Miraculum, & Signumadventûs Christi, si prædicetur Evangelium pauperibus: habetis inquam, ex parte Evangelizantium summam charitatem, & libertatem; ex parte Pauperum audiendi patientiam, optimam voluntatem, & profectum. *Pauperes evangelizantur.* Et non potentes? siccine Divites non dabunt testimonium adventui Christi? Nullóne signo docebunt quòd Sanctus Sanctorum adsit? Miseret me vestri de Christi *miraculorum* catalogo deleti Principes! Discutiamus tantisper causam, &, si fieri possit, emendemus. *Pauperes evangelizantur.* Et cur? Quia illi audiunt, & credunt, illorum fides est lucrum, & fructus Christi; sæculi Potentes non audiunt; & si quis miratur me hoc dicere, digito illi monstrabo *Joannem in vinculis!* Ecce ille Prædicator in deserto tot animarum lucris ditissimus, tot palmis decoratus,& victoriis,ad cujus fulmineam vocem contremiscebant, quos Inferni metu prosternebat, ut traheret ad Deum: ille inquam, totâ Eremo clarissimus Prædicator semel ingressus Aulam, paulò post se in carcere reperit. Unica veritas dicta quantumvis ab ore Angeli, & plùs quàm Prophetæ sanctificati in utero matris prolata, quâ manifestat peccatum Regis jam publicatum cœlo, notum Aulicis, foro pervulgatum omni, tantùm abest,ut patienter exciperetur, ut eam

Quia hi non permittunt se evangelizari.

capite

capite luerit, multísque Prædicatoribus metum incusserit aut tacendi, aut caput periculo objiciendi. Primum hoc punctum est gravissimum omnibus Prædicatoribus, annunciare peccata: *Annuncia populo meo scelera eorum.* Ecce thema prædicationis, & tubæ Sacerdotalis: *Annunciare* peccata! Et quemadmodum ad eos, qui profundiùs dormiunt, excitandos, vocem levare consuevimus: sic ad expergefaciendos animos peccatorum lethargo consopitos, *exaltare vocem* jubemur: *Exalta in fortitudine vocem tuam, qui evangelizas Jerusalem!* nisi Deus, qui dat *verbum evangelizandi virtute multa*, ipse conterat petras, omnem montem & collem humiliet; dicendi libertas si non carceris, certè portas Urbis aperiet in exilium, & Chersonesum aliquam: ad quam dum ob similem causam edicto Principum deportaretur Divus Patriarcha Joannes Chrysostomus, populus ingemiscens dicebat: *Satius fuisset solis radios condi, quàm Os illud aureum tacere.* An verò credetis, sanctissimam illam Linguam solis inclamâsse Regibus illud Baptistæ: *Non licet?* Immò verò antequam arguisset coronatos vertices, avaritiámque, ac luxuriam, & scandalosas delicias Magnatum sermone attigisset, pauperes judiciorum Dei, & inferni metu terruit, formidinémque eis malorum omnium proposuit; sed quia isti compungebantur, & flebant, & iterum talia audire expetebant, unde salvari possent: Potentes autem cupiebant os illius claudere, ne ipsorum cupiditatibus molestas ingereret cogitationes; clarissimum & hìc testimonium præbuerunt, solos *Pauperes evangelizari* verè; Potentes verò, qui veritatem oderunt, excludi à professione adventûs Salvatoris: ut si eos vel à concionibus absentes ut plurimùm videas, vel Evangelicis sermonibus offensos egredi; dubites, an quæ prolata sunt, Dei verba sint? incutiatúrque pusillis metus, an verè Deus in terras advenerit? Quæ ratio proposita fuit Spiritui Sancto, ut in humana Salvatoris nostri Genealogia expungeret trium Regum nomina media inter Joram, & Oziam, scilicet, Ochoziam, Joas, & Amasiam: *Qualem enim* (inquit Rupertus) *locum habere deberent inter parentes carnis Domini hi, sub quibus nec saltem loqui licuit Prophetis verbum Domini? Atque isti soli de memoria præsenti, de Libro Generationis JESU Christi repulsi sunt, qui verbum Dei, vel præcones verbi Dei vivere passi non sunt.* Cætera peccata dissimulavit Deus multorum, à quibus descendit secundùm carnem, quia donec Dei verbum auditur, spes adhuc est salutis; contemptum Prophetarum, horum cædes, exilia non dissimulavit, & non secùs, quàm Dei veri hostes catalogo expunxit, de cognatione talium erubuit, de quibus olim dicturus erat: *Propterea vos non auditis, quia ex Deo non estis.* Et: *Quicunque fecerit voluntatem Patris mei, ipse meus frater, & soror, & mater est.*

Isai. 58. Isai. 40. Ex Genealogia Christi tres Reges omittuntur, & cur? Rupert. Joan. 8.

Ex quo postremo Christi dicto, de *facientibus voluntatem Dei*, alia ratio priore terribilior adfertur, cur *Evangelizatio pauperum*, non item Divitum, sit signum adventûs Christi: quia videlicet *Pauperes* audiunt, & faciunt voluntatem Patris, & Christi: Divites, ac Potentes, etsi audiant, non faciunt, & consequenter *Sic vivunt, ut eorum VITA non sit Signum adventûs* Salvatoris nostri, & completæ redemptionis argumentum. Vel si Verbum Dei audiant, non custo diunt illud.

Ad quod meliùs intelligendum, sciendum est: Et miraculorum, quibus innotescere debebat Christi in terras adventus; & institutæ Evangelizationis primam causam fuisse, ut agnoscatur Dei Filius esse, cum quo vita æterna advenisset, peccati destructio, credentium salus, ac felicitas æterna. Ad hanc persuadendam dirigebatur *Evangelizatio*, totáque prædicationis Christi dispensatio, & si parva hæc persvasibilitas fuit, hanc confirmabant *Miracula* maxima, & inaudita, quæ etiam tacente Christo enarrabant terrâ marique gloriam Dei: ut rationabilissimè dixerit Christus ad Judæos: *Si sermonibus non creditis, operibus credite.* Quibus illis? Ecce *Cæci vident, surdi audiunt, mortui resurgunt!* Aut vos verè cœci, surdi, ac mortui estis, qui ad tantum lumen, ac sonum non expergiscimini. Christiani & Pauperes, & Principes omnes dicunt jam cum S. Petro: *Ad quem ibimus? verba vitæ æternæ habes, & nos credimus, quia à Deo exîsti.* Verùm an hoc satis sit, videamus. Joan. 6.

Evangelizationis, & Miraculorum 2da causa & finis erat non solùm ut audirent, & crederent advenisse Messiam, & Filium Dei, sed etiam ut doctrinam salutarem, quæ ab eo annunciabatur, sequerentur, & opere implerent; quoniam *Regnum Dei* (ut inquit Paulus) *non in sermone, sed in virtute;* & idem 1. Cor. 4.

Apo-

Apostolus: *Non auditores legis, sed factores justificantur apud Deum;* quia quod Deus jubet, omnino faciendum est. Animadvertite quæso admirabilem sententiæ Christi combinationem, quam fecit inter miracula recensita: *Cæci vident, surdi audiunt, leprosi mundantur, mortui resurgunt;* & demum *Pauperes evangelizantur.* Evangelizari pauperes, dicit Hieronymus, æquale esse prodigium, cum cæteris allatis. Bene quidem. Quemadmodum ergo in cæteris miraculis, quibus Christi gloria coruscabat, vera, & non ad oculum tantùm fuêre signa, ac prodigia; quia revera ad hoc ut *cæci videant, claudi ambulent, leprosi mundentur, mortui resurgant,* & resurrexisse dicantur, necesse erat, ut à præterito statu transierint repentè ad novum ac meliorem: sic ad hoc, ut quis dicatur *Evangelizari*, auditis verbis Christi necesse est, ut transeat ad ea facienda, quæ cœlesti audit magisterio prædicari, & nisi audita Evangelizatione efficiatur melior, & castigatior in vitæ actionibus usque ad imitationem Christi, qui est *via, veritas, & vita:* nihil Evangelizatio audita proderit plus, quàm Evangelizatio facta Judæis, hoc est silicibus.

vita colligi non potest.

§. III. Pauperum spiritu mores & vita, sunt vivum testimonium, quòd Christus venerit.

Hoc est illud sublimissimum documentum, quod ex præsenti Evangelica doctrina eruitur: *Pauperum evangelizationem* poni pro signo adventûs Christi; quia illorum vita conformis fidei, dat testimonium Christo, quòd verè advenerit Salvator mundi, qui in Apocalypsi dicit: *Ecce nova facio omnia.* Fecisti enim Domine JESU in Pauperibus spiritu, & corde contritis tot nova, tantásque mutationes interioris hominis, ut eas facere non potuerit nisi *Digitus Dei,* & *dextera Excelsi*, quâ cœlestis vitæ fulgore illuminantur tot *cæci*, & in tenebris sedentes lumen vident; tot *Leprosi* exutis pristinæ vitæ inquinamentis, & maculis interiorem gratiæ munditiam recipiunt; tot *claudi* ad Christianæ justitiæ bases cœlesti dexterâ eriguntur, tot denique de sepulchris *mortui* ad judicii extremi terrificum sonum expergiscuntur ac resurgunt; plurimi denique auditis Christi verbis à vitiis ad veram pœnitentiam, vitámque novam transitum faciunt, testimonium dantes potentissimæ Christi virtuti, ac gratiæ. *Pauperes evangelizantur.*

Quod ex Divitum

Vestrum nunc est, ingredi conscientias intimas ô Divites! & videre, num aliquando Regni Dei adventus, & fides in verum Filium Dei, auditui vestro evangelizata sit. Negare non potestis vos audivisse, atque etiam credidisse. Itaque salvâne sunt omnia, si ultra auditum nihil præterea adseratis? Hâc enimverò Evangelizatione nec Deus erit contentus, nec anima vestra salutem obtinebit, nisi etiam appareat in moribus mutatio, & fides reluceat in opere, quæ intus fulget in mente, atque utinam fulgeat! Olim Reges dum auro rigarent cunabula Christi, vel tacentes loquebantur Deum in terras venisse, novámque salutem de cœlo attulisse, quæ contemptis opibus ab avaritia ad misericordias transitum imperabat, & facilè à persuasis impetrabat. Quot per Regnum Templa, ac sacraria erat videre, tot testimoniis Divinitas & gloria Christi prædicabatur à Potentibus; nescio quid dicam, cùm ea temporibus nostris aut solo æquata contemplor, aut squalore obsita, & thesauris spoliata cerno, quodnam hoc nunc omen sit Divitibus? an argumentum sit depauperati Regni? an modicæ fidei, pietatisque in Deum agonizantis nota, ac signum? Suspendo sententiam, & vos ut vestrammet conveniatis potiùs conscientiam, hortor. Si quorum conversatio, ac vita ea sit hodie, ut ex ea colligi non possit, utrum qua vivimus, tempora sint *Attilæ*, an JESU Christi, ac servi ejus Divi STEPHANI? si notæ Christianorum, si lux illa, & opera, ex quibus deberet cœlestis Pater glorificari, in nobis non resplendeant, quomodo dabimus testimonium Deo, indicium, ac signum adventûs Christi tot subditis, ac minoribus, quorum ædificatio spiritualis ex vita nostra pendet? Atque ut aliquando tam illustri argumento finem imponam: quidquid in negotio salutis tam arduo, in Christianæ sanctitatis, & observantiæ munere à nobis omissum, detritúmque est, illud iterum *Evangelizationis* beneficio restituamus oportet. Omnem Evangelizationem, à quocunque audiatis, modò sit Evangelizatio Christo digna, *semen* existimate: *Semen est Verbum Dei.* Verùm sicut non sufficit, semen esse quàm optimum, nisi cadat in terram bonam: sic Evangelizatio quæcunque sit selectissima, nisi in corde Christiano reperiat optimam dispositionem, ac promptitudinem, peribit sine fructu. Quid juvat audire, & intelligere, si non sequitur bene agere, & Christianè vivere?

Vera Evangelizatio tam ex parte Prædicatorum, quàm Auditorum nihil aliud eſt in ſcopo quàm rectè vivere; rectè vivendo miracula Chriſti reparâſti, rectè vivendo teſtimonium Sacratiſſimo ejus adventui tribuiſti, nec alio ſigno evidentiùs gloriam ejus Divinitatis prædicabimus, quàm ex legibus ejus mores, vitámque inſtituendo: *Hæc eſt vita æterna, ut cognoſcant* (maximè ex Regentium exemplis) *te Deum verum, & quem miſiſti JESUM Chriſtum.* Cui Honor, & Imperium in ſæcula. AMEN.

DOMINICA III. ADVENTUS.

SERMO I.

Medius autem veſtrûm ſtetit, quem vos neſcitis. Joan. 1.

SUMMARIUM.

Ex ſententia finali, abyſſus dolorum in damnatis.

I. *Ex oblivione voluntaria finis ultimi.*
II. *Ex pœna damni, & ſensûs æterna.*
III. *Ex amore momentaneorum ante æterna.*
IV. *Ex comparatione Electorum.*
V. *Ex ſalutaribus repudiatis conſiliis.*

Tyrnaviæ, in Eccleſia Cathed. 1707.

HAbere oculos integros, & cauſis non apparentibus, nihilominus non videre, res eſt calamitoſiſſima; habere ſensûs organum, nec eô poſſe uti, perinde eſt, ut ſi cœcus ſis. Hoc modo in corporalibus eſt. In ſpiritualibus æquè res procedit. Hoc pœnæ genus videtur precari Propheta aliquibus: *Excœca cor populi hujus, & aures ejus aggrava; & oculos ejus claude, ne fortè videat oculis ſuis, & auribus ſuis audiat, & corde ſuo intelligat, & convertatur.* Vaticinium hoc exitus comprobavit Judæorum tempore Chriſti in mundo converſantium: de quibus Verbum Patris incarnatum dicebat: *Sinite illos, cæci ſunt, & duces cæcorum.* Hoc elogio coronatur populus, terræ quondam cœlique delicium, oculi Divini pupilla, progenies Patriarcharum Regúmque lectiſſima. O mutationem funeſtam! *Cæci* ſpiritu, *& duces cæcorum.* Hanc ipſam cœcitatem Joannes, Oratione ad ipſos habita, objicit, quòd Solem juſtitiæ, quem Magi ab extremo Oriente adoraturi venerunt, ipſi domi ſuæ exortum non viderent: *Medius autem veſtrûm ſtetit, quem vos NESCITIS.* In carne conſpicuus advenit Salvator mundi, & neſciebant; in medio eorum verſabatur, loquebatur, patrabat prodigia: mente, oculis, auribus capti erant, ante oculos poſitum non videbant theſaurum. Grandis cœcitas! Loquere adhuc eis, ſi fortè auribus percipiant, ô Vox clamantis! oſtende, demonſtra eis digito: *ECCE AGNUS DEI, ecce qui tollit peccatum mundi!* Locutus, fecit omnia. Et ne viderentur nihil commoveri graviſſima Joannis concione, quâ demonſtrabat adventum MESSIÆ, & neceſſitatem in eum credendi tanquam Salvatorem; & timendi, tanquam Judicem; perfunctoriè, quemadmodum nos ſolemus in indagandis veritatibus maximi momenti: quæſtionem inſtituunt apud Joannem: *Tu quis es?* ésne Propheta? an fortaſsè Meſſias ipſe; Os, humerósque Deo ſimilis? Negat Joannes, & edicit: *Non ſum.* Omnia alia quæritis, & ad unicum illum, qui eſt, non pervenitis; ſtetit *medius veſtrûm*, quem tamen noſcere diſſimulatis, & ſalute excidiſtis. *Excœca cor populi hujus, & aures ejus aggrava!*

Quando ergo tandem agnoſcent? quandónam in corda hæc ſepulta illabetur radius lucis? tunc, quando redibit

in

Iſai. 6.

Matth. 15.

in Majestate,& Gloria. Sic enim Caiphæ sacramento religionis adigenti Christum, ut ediceret, si *Filius Dei* esset? respon-
Matth.26. dit: *Amodò videbitis filium hominis venientem &c.* & non priùs? Non. Sic, quem non receperunt Salvatorem, accipient vindicem; quem nolebant hominem, cognoscent Deum, totam Divinitatis potentiam in conjurata capita exerentem. Sermo mihi erit hodie de hoc tertio damnandorum tormento irreparabili; finali sententia lata,nimirum dolor quantus erit iste: *Æternùm damnari?* ô Vos omnes, qui transitis *per viam latam, quæ ducit in perditionem:* Attendite, & videte, si est dolor similis!

§. I. Oblivio Dei voluntaria, malorum omnium origo.

Idololatriæ, turpitudinum, & gravissimorum semper mundi criminum causa fuit ignorantia Dei. *Medius vestrûm stetit, quem vos nescitis.* In Christianis, in tanto fidei meridie qualiter ignorantiam Dei accusare possim, nescio, posteâquam *misericordia Domini plena est terra;* &: *Ab ortu solis, usque ad occasum laudabile nomen Domini.* Tot nihilominus scelerum inter Christianos originem accuso, voluntariam DEI oblivionem. Et hæc unde? ex diuturno Christi silentio, nisi fallor. Salvator noster post suum è terris abitum, speciatim de cœlo allocutus Paulum legitur, in quo etiam mirificam Divinitatis suæ potentiam ostendit. An usque ad diem Judicii sit allocuturus aliquem, nescio. Coram mundi amatoribus, ne dicam Atheis, qui ex tanto Dei silentio nihil non per-
Psal.72. versi cogitant, & dicunt: *Si est scientia in excelso?* coram iis, inquam, extremo illo die loquetur, *cum acceperit tempus ad justitias judicandas,* laturus sententiam finalem unius cujusque meritis, aut demeritis competentem. Et tunc
Nunquam clarior notitia Christi, quàm in Judicio. agnoscetur, quis sit? Excutietur tum oblivione deleta facies Christi Crucifixi, sepulta tot spiritualis vitæ dictamina, tot lumina practica reviviscent, tot gnomæ Evangelicæ, tot monita Patrum, tot exempla Sanctorum, tot praxes Deum amandi, tot cœlestia documenta in scholis, Catechismis instillata, à piis parentibus, à Magistris hausta principia, sed profundissimæ oblivioni tradita, apparebunt cum Christo *in majestate, & gloria* sine dubio, sed quali reproborum solatio? quô fructu? Rumpetur tunc pa-
Psal.9.17. tientia diuturna, ac silentium Christi, *& cognoscetur Dominus judicia faciens.* Neque enim officium Judicis magis conspicuè apparet, quàm ubi viderint sententiam contra reum pronunciantem; reliquis in muniis fere cum aliis senatoribus convenit, donec inquiritur in capita accusationum, de condemnando,vel absolvendo reo: at quando fracto bacillo edicit sententiam mortis, tunc omnes agnoscunt, & dicunt: Iste est ergo Judex. Ita *gentes, quæ* (ut est in ibid.v.18. eodem Psal.) *oblivisCuntur Deum,* non fragilitate memoriæ, sed voluntatis perversitate: vel serò cognoscent Dominum, ut talem, generi humano præmia, vel pœnas æternas conferentem.

§. II. Sententiæ ultimæ pronunciatio.

Completis itaque omnibus, quæ ad processum juridicum, & justissimum judicium spectant: plenipotentia scilicet Dei Patris, Filius, cui *Judicium omne dedit Pater:* objectâ ingratitudine pro tot, tantisque beneficiis, & perverso creaturarum usu; manifestatis toti mundo omnium mortalium peccatis, adductis testibus Deo, conscientiâ, Custodibus Angelis (ut superioribus Dominicis dictum) nemine reclamante, nemine patrocinante, dehiscentibus jam jam Inferorum portis: incipiet ultimò *tanquam parturiens* loqui Dei filius,ad quam Isai. 42. vocem totus contremiscet orbis terrarum: *Tunc dicet his, qui à sinistris erunt:* Matth.25. *DISCEDITE à me maledicti in ignem æternum, qui paratus est Diabolo, & Angelis ejus.* Hoc illud est fulmen,quod ab sereniissimo alioquin Sole, à Judice proferetur, & ostendetur is, qui olim non agnoscebatur. Dicebat quondam Rex Saul ad Generum suum loquentem:
1.Reg.24. *Numquid vox hæc tua est fili mi David? & flevit.* AA. mei! Numquid vox ista, vox est Verbi illius, quod pro nobis CARO factum? & animam suam dedit in redemptionem pro multis, id est, pro omnibus? Unde ergo nunc tam alius ab illo filius David? Unde vox hæc mundum concutiens universum? Quia olim non ut Judex, nunc ut Judex, & scelerum vindex loquitur, justum est, ut clausæ multorum aures ad sonitum vocis ejus ultimum patefiant. Hunc Puerum, adhuc ubera Matris lambentem Tyranni timuerunt; *Quid erit tribunal judicantis, quando superbos Reges terrebant cunabula infantis?* Dein cùm venisset ple-
Præcesserunt in Christo non obscura signa tremendi Judicis. nitudo temporis, quâ Divina fabricatum manu Corporis sui Templum, Judaica impietate solveretur, venit in hortum, tentus, comprehensus est, & ad unicam oris Divini vocem: *EGO SUM!* Sicarii in terram prostrati omnes contremuêre. Quid? quòd è sublimi Crucis stipi-

ſtipite, jam tum velut throno regio, Latroni pœnitenti coronam, obſtinato gehennam decrevit. Gehennam? & hoc eo die, quò agebatur immolatio pro totius mundi delictis, circumſtabat MARIA refugium peccatorum, Crux ipſa ſcala cœli erat, calentis adhuc ſanguinis guttis cruenta; & hæc fecit judicandus, quid faciet judicaturus? Hæc fecit Agnus, quid, ubi in Leonem vertetur? hæc fecit in forma ſervi, quid erit, cùm ſederit in majeſtate Dei? Contemnitis ſervum? timete Dominum.

Penſate nunc Peccatores ſeveritatem ſententiæ; cogitate abyſſum dolorum, & mare triſtitiæ damnandorum. Heu infeliciſſimi illi, quibus *bonum erat, ſi nati non fuiſſent*, & non vidiſſent oculis ſuis clades, & ruinas, quæ conſequentur! *Tunc dicet his: DISCEDITE à me maledicti, in ignem æternum. Diſcedite* inquam, non amplius redituri in gratiæ ſinum, clauſa eſt janua. *A ME!* hoc eſt, alioquin Patre veſtro, quò nec major, nec melior cogitari potuit. *MALEDICTI!* exhæredati, nunquam amplius benedicendi! *IN IGNEM ÆTERNUM*, ubi non pax, non ordo, non refrigerium, non ullum remedium, non finis malorum.

§. III. Sententia edicit Pœnà damni, & ſenſûs, utramque æternam.

Ego dum oculos levo ad Tribunal ſeveriſſimi Judicis, Agni in Leonem mutati iram, & modum mirari deſino; quippe ſeveritatem ſuppoſito aliquo delicto, approbamus in Judicibus etiam terrenis, quoties delictum grave contra legem Dei, & Regni admittitur, ut etiam gladio in conculcatores juſtitiæ publicæ animadverti oporteat, *Non enim ſine cauſa gladium portant;* Deus ipſe per Prophetam edicit: *Qui ad gladium, ad gladium; qui ad mortem, ad mortem.* At iſtis tantum in corpora eſt poteſtas, ideò Chriſtus graviter monet: *Timete eum, qui corpus, & animam* (utramque videlicet ſubſtantiam) *perdere poteſt in gehennam.* Illud hic mihi ſummè formidabile, & ad quod ambæ aures tinniant, non quòd corpus, & anima mittatur in ſupplicium, ſed quia in *æternum. Ibunt in ſupplicium ÆTERNUM;* qua ratione fieri poſſit, ut æterna Dei Sapientia, quæ naturæ noſtræ fragilitatem, & vulnera nedum intelligit, ſed etiam (excepto peccato) experientiâ, atque uſu didicit, ejúsque propenſiſſima in omnes miſericordiæ viſcera adeò infirmitatibus compati novêre, ut dicatur verè DEO *proprium eſſe miſereri ſemper, & parcere:* nihilominus eò ſeveritatis juſtitia ejusdem exardeſcat, ut non modò opera manuum ſuarum, hoc eſt corpus, & animam peccatoris deſpiciat, ſed etiam de iis pœnas repoſcat æternas? *Diſcedite à me maledicti in ignem ÆTERNUM. Gladius* (inquit Joannes) *ex utraque parte acutus* ab ore filii hominis exibat. Jam intelligo ad cor damnatorum ſcindendum ſignificari hic duas pœnas: damni, & ſenſûs, utrasque æternas. *DISCEDITE A ME.* Hæc eſt illa æterna derelictio, quâ juſtitia Divina peccatoribus ſinum gratiæ claudit æternum, & à gloriæ vultûs ſui viſione excludit. *Diſcedite à me.* Hæ tabulæ proſcriptionis è cœlo, è gratia, ex oculis, de conſortio Angelorum, de ſocietate civitatis æternæ, quam Tribunalis hujus Secretarius, vocat *Projectionem*, videlicet à ſcopo Creationis & Vocationis, in earum contrarium terminum; à libertate in ſervitutem; à regno in carcerem; è cœlo in cœnum; ex vaſis gloriæ in vaſa contumeliæ. Et, ut ut ad hæc omnia palleat Propheta ſanctiſſimus, vox tamen obrigeſcit, cùm *projectionem* hanc intelligit fore æternam. *Numquid in æternum projiciet Deus?* q. d. Eritne poſſibile, ut miſericordiſſimus alioqui Dei filius eò ſeveritatis exardeſcat aliquando, ut talem ſententiam in reos fulminet, quæ non ultrà revocabilis ſit? *Aut non apponet, ut complacitior ſit adhuc*, & ad miſerendum proniores ſuſcipiat cogitationes? Itáne vero etiam corpora peccatis ſubdita tormentis ſubdentur æternis? *In ignem æternum.* Tranſibunt ſæcula, evolvetur annorum millio, myriades, neque tamen in tenebris lucem, in flammis refrigerium, in gehenna reſpirium ſentiant: *In finem miſericordiam ſuam abſcindet?* ad ejus aures non clamor, non gemitus miſerabiles, non catenarum ſtrepitus, non crepitantium flammarum horrendi fragores perveniant? *Aut obliviſcetur miſereri Deus?* & nec prece, nec lacrymis placandus *Continebit in ira ſua miſericordias ſuas?* Has Prophetæ ſuſpenſiones animi, & admirationes auget maximè, aut una ſuperbia in momento damnata: aut deliberata peccati delectatio ignibus æternis addicta: dum filii ſæculi *Ducunt in bonis dies ſuos, & in PUNCTO ad Inferna deſcendunt*, nec ſpatio pœnitentiæ conceſſo. Quid dicam? *Juſtus es Domine*, & in his omnibus *rectum judicium tuum!*

Apoc. 1. Hic ille Gladius utraq; parte acutus.

Pſalm. 76.

Super quê Propheta ſtupet.

Job. 21.

Porrò

Qui Deum deſerunt, juſtè deſeruntur à Deo.

Porrò reſolutionum omnium ad prædicta, fundamentum unicum eſt: *Peccatum admiſſum.* Peccatum admiſſum eſt, igitur DEUS juſtiſſimam habet cauſam damnandi, & projiciendi in æternum. *DISCEDITE A ME &c.* Quâ quidem ſtyli formâ videntur peccatoribus reſpondere iniquitates ſuæ, & Divina juſtitia par pari reponere. Omnis peccator, dum deliberatè peccat, ſua ſponte deſerit Deum ſummum, & æternum bonum; & iniquitati ſemper cohærere deſertionem ſummi boni oſtendunt clamores peccantium ad Dominum:

Jud. 10. *Clamantes ad Dominum dixerunt: Peccavimus tibi, quia dereliquimus Dominum Deum noſtrum, & ſervivimus Baalim.* Præmittunt, *Peccavimus*, & ſequitur, *Dereliquimus Dominum Deum noſtrum.* Rurſus pœnam iniquitati reſpondentem audiamus: *Ite, & invocate Deos, quos coluiſtis: non addam ultrà, ut vos liberem.* Vos unanimiter contra Deum tuliſtis ſententiam, dicentes, *abeamus, recedamus;* quid miramini, ſi eandem Divina juſtitia ſententiam retorqueat: *DISCEDITE A ME?* nihil novi reponitur peccanti, dum ad hoc juſtè damnatur, quod antea voluntatis ſuæmet beneplacito ſuſcepit, ut à DEO diſcedat. DISCEDITE A ME. Habetis, quod intendiſtis. O verè *Peccata noſtra reſponderunt nobis!* Tot Scripturarum teſtimoniis prævis veriſſimè concluſit Tridentinum: *Neminem à Deo deſeri, niſi prius ab eo deſeratur;* tantum quippe miſericordiarum pondus eſt in Deo, ut neminem unquam nudum, & gratiæ præſidio inermem deſtituat, ac deſerat; ſed ſi deſeratur, & ejus gratiæ abjiciantur ab homine, quid poteſt juſtitia contrà, ſi eandem pœnam retorqueat in tempore, & æternitate? De

Peccatori reſpondent peccata ſua.

Iſa. 59.

S. Auguſt. hoc ſic S. Præſul: *Factus eſt malo dignus æterno, qui hoc in ſe peremit bonum, quod eſſe potuit æternum.* Certiſſimum eſt, Deum eſſe bonum æternum, æternúmque velle ſuam bonitatem communicare; non tantùm in tempore, dum cumulatiſſimà nos miſericordiâ beat viventes, ſed etiam paratus coronare annum benignitatis ſuæ felici æternitate, poſtquam translati eſſemus in Patriam; jam ſi infinitum bonum, & ineffabile donum quis reſpuat, & conculcet (ut facit peccator) conveniens numquid erit, ut privetur bono illo infinito, & detur illi malum infinitum; qui vocationem æterni honoris contemnit, meretur, ut maneat deſpectus; qui reſpuit fieri beatus, & æternùm felix, dignus, qui maneat æternum ſpoliatus, miſer, ignotus. Hoc eſt derelinquere Deum, hoc à Deo derelinqui: *DISCEDITE A ME.* Ita eſt, quoniam vos priores diſceſſiſtis à me, habetis, quod intendiſtis; attigiſtis votorum metam, ſcilicet, præclaram! dilexiſtis peccatum, manete in peccato æternùm; captâſtis vanitatem, & inſanias falſas, quid mirum, ſi ad cœleſtem non admittimini veritatem?

§. IV. Quodvis grave peccatum juſtè puniri æterna damnatione.

Ex quo poſtremo rectè deducitur, momentaneam etiam delectationem mortalem, æternitate pœnarum legitimè puniri, tum quia non tempori commenſuratur æternitas pœnæ, ſed in tempore offenſo ſummo, & æterno bono, quod eſt DEUS, à peccatoribus vilipenſus, & ſpretus. *Qui peccaverit mihi,* Exod. 32. *delebo eum de Libro meo.* Tum quia peccator optaret oculos Dei poſſe claudere, & opus ſuum non videri, non ſciri, quô liberiùs, & quantum in ipſo eſt, æternum peccare poſſit. In talium perſona movit quæſtionem Gregorius Magnus:

S. Greg. l. 34. Moral. c. 16. *ſine fine* (inquiunt) *non debet puniri culpa cum fine.* Cui objectioni quid reſpondeat, audiamus: *Voluiſſent quippe ſine fine vivere, ut ſine fine potuiſſent in iniquitatibus permanere.* Hoc eſt, peccatores cùm in profundum venerint, eſſent parati cœlo reſignare, & beatæ æternitati, dum ipſis liceret amores, & delicias vitæ præſentis continuare, & nunquam ſceleribus finem ponere. Id quod multis argumentis patet evidenter: Nam ubi quis graviſſima quantumvis ægritudine premitur, tamen pœnitentiam de peccatis agere non vult, & cur? Scit enimverò ad veram pœnitentiam requiri ſeriam vitæ emendationem, ad quam quia deeſt voluntas, ſæpiùs fit, ut in peccato ſuo moriatur. Videte, quàm grave, & inextricabile ſit vinculum, habitus peccandi! Demus deinde in periculoſo morbo confeſſos convaleſcere rurſum, cum corporis viribus redeunt perverſæ affectiones, & omnes potentiæ ad vomitum, ſicut canis, revertuntur. Quid hoc aliud ſignificat, quàm illis in naturam tranſiviſſe peccatum? Et hoc nónne probat, ſic animum eſſe comparatum, atque in malo obfirmatum, ut ſi *æternùm* contingeret vivere, *æternùm* vellent peccare. Si ita; juſtè *æternùm* punit Deus vel unum peccatum, quod optaret peccator *æternum.* *Pro æterno peccato* (ſic explicato) *æterna pœna debetur,*

S. Thom. contr. Gent. l. 3. c. 144.

betur, ut bene Doctor Angelicus; jam enim æternum est in affectu, quò collimat intentio peccatoris; quantumvis in executione, & effectu sæpe punctum temporis, aut modicum plus sibi vendicet; ut omnino Christianis auribus horrendum sit audire: *MOMENTANEUM quod delectat, ÆTERNUM quod cruciat!*

§. V. Damnati abyssaliter ingemiscent.

Atque hoc est, quod infelicibus damnatis per omnem æternitatem veras exciet lacrymas, ac dolorum abyssо cor demerget: sententia nimirum æternæ separationis, ac divortii à summo bono, & tormentorum gehennæ, carceris, & ignis sine fine duraturi supplicia; quàm justè à Supremo Judice lata, tam à filiis sæculi stultè procurata, dum, heu! momentanea peccati delectatione nundinati sunt æternos cruciatus; amore pomi salutem, Paradisum prodiderunt. Hæc sententia æquissima, & à tota Regali Tabula approbata, pendentibus æterni decreti sigillis palàm in orbis terræ conspectu publicata, impudentibus illis serò aperiet oculos, ut cogitent, Quid? Cui? summum bonum, cœlum, salutem tantillæ rei posthabuerint? Æterna felicitate exciderint, quam tam facilè adipisci licuisset; alios in libertatem, & Regnum: se ad catenas, & exilia damnatos; illos humilitate, ac patientiâ coronas; se avaritiâ, & crudelitate supplicia meruisse sempiterna. Hæc dies extrema revocabit infelicibus illis in animum tot Christi consilia, immo præcepta irrisa; tot spiritualis vitæ documenta sepulta; tot lumina, tot gratias neglectas, tot horas otio, ac deliciis sacratas, atque consumptas; & numquid maledicent diei, quô nati sunt? optantibus in nihili abyssum reverti, dum ne oculis cernerent malitiæ suæ Magistros, Suasores, Consiliarios, Collegas æternis secum involvi ruinis: at ubi nullum supereſt malo gravissimo remedium, consumptis lacrymis, gemitibus in crudelitatem versis, *ponent in cœlum Os suum.* Hoc nempe deerat malorum cumulo, ut per omnes Erebi regiones atque angulos audiantur blasphemiæ, & maledicta in Deum: & qui quondam in Cruce pendens contradictiones à peccatoribus sustinuit: sic nunc linguis damnatorum æterna DEI bonitas proscindetur, Incarnatio ejus, & tantum beneficium maledictis impetetur, blasphemabitur pietas, irridebuntur misericordiæ, & Sacro-sancto Trisagio Seraphico, quod in Cœlis auditur, respondebunt in gehennæ paludibus ranarum maledicta, & contumeliæ atroces. Fateor, amantibus te, ô Deus Optime! ad vitam Christianè agendam hoc unum satis esset, ut barathrum hoc fugiant, hanc impiorum societatem caveant in terris, ne eorum gehennalibus flammis, atque maledictis, summa cum Nominis tui vilipensione copulentur. Quid enim te amanti cogitari possit tristius, quàm misericordias tuas irrideri, & Nomen maledictis proscindi? Sed ecce! maluit Deus liberum peccatoribus arbitrium permittere, quàm illud, ne peccarent, impedire. Quô lucro Dei? summo. Hoc enim modo de animarum ruinis, atque exitio sempiterno sese absolvit Dei justitia, testabitúrque se tantorum malorum causam non extitisse, sed peccatum, quod erat in potestate eligentium, quod qui faciunt, hostes sunt animæ suæ. Ita *Lavabit manus suas in sanguine peccatoris*, quem conscientiâ, Angelis, Beatis omnibus testibus justissimè fusum, cœli, & terra fatebuntur.

Ad Deum timendũ, hoc unicũ motivum satis.

Psal. 57.

Ecce AA. mei; duæ gravissimæ pœnæ indicuntur mundo, quoties de Tribunali Christi ultimo Sacro-sancta tubam intonant Evangelia. Indicitur pœna æterna corporibus peccato subditis. O delicati! ô voluptuarii! quibus intolerabile foret in olorinis etiam plumis immoto latere triduum jacere! *Quis poterit ex vobis habitare cum ardoribus sempiternis?* Indicitur pœna animæ, æterna visionis Dei privatio. Æternum proscribi cœlo, gratiâ, beatorum societate, Deóque summo bono æternùm privari, quanta dolorum abyssus? Damnatorum societati jungi, tot crudelibus, tot impuris, tot nefariis sociari, *in Cœlum* posituris *os suum* blasphemiis assuefactum, ac diris? Ah! si vos misericordia vestri, & salus non tangit, vel ipsa tangat compassio Divini Nominis innocentissimi, & reverentia vultûs CRUCIFIXI. Et si cui Mundus, Caro, Serpens hanc quæstionem proponat: *Pecca;* aut suadeat: *Mane in peccato;* vel denique, *Morere in peccato, quid tum?* Quodsi nec gehennæ moveâre suppliciis, nec maledictis à te proferendis contra Deum, contra SS. Trinitatem, contra JEsum Christum, contra dulcissimam Matrem, & Cœlites; si inquam ad has blasphemias à vobis aliquando proferendas non perhorrescitis, PECCATE!

Isai. 33.

Psal. 72.

1mò. Quòd momentanea præposuerint æternis.

2dò. Ex comparatione salvandorum.

3tiò. Ex neglectis salutaribus consiliis &c.

Psal. 72. Eorum blasphemiæ in DEUM.

IN

IN EADEM DOMINICA
SERMO II.

Tu quis es? quid dicis de te ipso? Joan. 1.

SUMMARIUM.

Argumenti connexi cum Dom. prioris Sermone II.

Qui mundum judicet, neminem Christo digniorem, sed neque formidabiliorem esse: nempe

I. TU; *titulus omnium Regum & Reginarum est, sub quo corpus & anima veniunt, aliud nihil.*

II. ES? *animæ statum actualem denotat: Quis SIT in oculis Judicis æterni? Non QUID fuerit, aut ESSE potuerit?*

III. *Et singulos judicio sistendos: neque interrogandos*, quid Alii?

Claudiop. 1698.

DEclaratâ, ut arbitror, Personâ decretorio mundi Tribunali præsidente, videlicet, omnium dignissimo JESU Christo, cui Pater commisit *omne Judicium*, non Diabolo, non Angelis, non homini: sed Unigenito Filio, cujus visio sit divina, auris reis commodata, judicium purissimum, æquitas inflexibilis, veritas falli, & fallere nescia, nec minor in exequendo fortitudo, quàm in decernendo justitia incorrupta. Satis, opinor, hæc sunt ad persuadendum, sicut ex omnibus neminem, qui mundum judicet, Christo digniorem esse, sic nullius judicium magis formidandum mundo. Agitur judicium AA. in quo decidetur salus, aut exitium animæ sempiternum; agitur judicium, in quo sicut nullus non auditus condemnatur, sic locus, & aures dabuntur, dum puncta districti, rigidissimique examinis à Dei Filio proponentur. Quid multis? Totum illud formidatissimi Examinis pondus verbis istis constabit: *Tu quis es? quid dicis de te ipso?*

Joan. 5.

Summa, quam in se continent verba proposita: *Tu quis es?*

Verbum hoc *abbreviatum*, hæc Thesis parvula quid in se contineat, jam docebo. Verba hæc interrogatoria quid sunt, nisi totidem admotæ *lucernæ*, ad quas conscientia denudanda est Judici Christo; quid sunt, nisi totidem catastæ, & equulei ad exprimendam reatuum confessionem. Fuerit satis quondam ad decipiendos hominum oculos exteriorem objecisse apparentiam sanctitatis, jam verò detractâ larvâ non quæret Judex, *Qualis?* sed *Quis* sis? *Tu quis es?* Felix anima, quæ frequens rationes secum init, & ante judicium, quod coram toto mundo & Angelis finietur, jam modò domesticum sibi Tribunal erigit præoccupatura examen ante examen! Quod ut aliquando feliciter succedat cum calculo Ascensûs ad gloriam, & splendores Sanctorum: agite nunc AA. & imitatione Sanctorum crebrò pericliteminí animum vestrum, quærendo: *Tu quis es? quid dicis de te ipso?* Summam, quæ pauculis hisce verbis continetur, accipite, & favete.

Dominus interrogat justum, & impium, ait Regius Psaltes, Psal. 10. 6. Interrogari à Deo, & interroganti Deo respondere difficillimum esse nemo ambiget, qui audit Beatum Job fatentem, quod ad mille interrogationes Dei unum non potest respondere condignè homo; quod satis est ad terrorem. Ita ut David sanctissimus, quantumvis ab hominum tribunali causam suam appellaverit ad Judicium Dei, & maluerit in manus Dei cadere, quàm hominum, qui sunt sine misericordia, & veritas in eis non est; ut vidimus Dominica præcedente: tamen post expensionem infinitæ pariter justitiæ, & inscrutabilis Judicii Dei altitudinem hærens attonitus, & videns coram quo comparere debeat responsurus, ait: *Non intres in judicium cum servo tuo, quia non justificabitur in conspectu tuo omnis vivens*: tum propter dignitatem Dei interrogantis, tum propter arcana, ac subtilia, ad quæ responsurus sit, de quibus homines nec somniavimus in vita: omnino necesse est justis ipsis, & Sanctis fore hoc Examen formidabile.

Job & David judicant difficillimum, interroganti Deo respondere. Job. 9.

Psal. 142.

Tu quis es? Advertendum bene, quæstionem procedere de homine, in quantum constat corpore, & anima rationali. Duo ergo ista veniunt ad examen: *Corpus*, & *Anima*; hæc enim concessa erant nobis à Deo, ut serviremus Creatori pro dignitate conditionis, & in-

§. I. Sub particula *Tu*, solum corpus, & anima veniunt.

& impreſſæ imaginis Dei, humano videlicet modo, non brutali. Et revera digna res, ut hæc duo ſiſtantur judicio, quippe duobus his vel honoramus Deum, vel offendimus; ſi videlicet ſubjiciatur caro animæ, & anima Deo; vel anima ſerviat carni, & caro Diabolo, & iniquitati. Denique cum hæc duo creata ſint æternitati, utrique imminet decretorium examen prævium, ut corporis animique merita diſcernantur, & ad qualitatem geſtorum aut corona decernatur, aut pœna.

Et ideò omnium Regum, Reginarum titulus non alius, quàm *Tu*.

Tu quis es? Conſidera confeſſum orbis terrarum, nationes, & populos multitudine innumerabiles, quos dies ille ſub unum conſpectum congregabit. In tanta frequentia quot ab orbe condito centeni Imperatores? quot coronati Reges, & Reginæ, quot Principes, & Duces, quot Domini, quos quondam mundus adorabat? Iſtorum omnium die illo aliud nomen non erit, quàm *Tu*. Heu! quanta diverſitas Judicii illius, & hujus mundi! Qui quondam edictis ſuis Regnorum Ditionúmque grandem catalogum præfigebant ad populorum terrorem, ac reverentiam ſubditorum conciliandam, cùm apud majorem Dominum cauſam dicturi comparebunt, valde contractô Titulô claudentur univerſi fulgores illi in unicum, ac nudum *Tu*. Nulla diſtinctio inter Monarcham, & ſubditum; inter Regem, & Ruſticum; inter Reginam, & hoſpitalariam mendicam; pannum inter, & purpuram. Quanta hæc mundi fortunæ mutatio? Corona ligonibus æquabitur, & detractis phaleris ſolum Corpus, & Anima quemadmodum divinitus creata ſunt, Judici præſentabuntur æterno. In quo autem amabò, diſtinguitur ampliùs corpus Regium & anima, ab alterius? in nullo; Titulus ergo par omnium erit, *Tu*, quia ſolum corpus, & anima comparebunt: Job. 1. *Nudus egreſſus ſum de utero matris meæ, & nudus revertar illuc.* Quia quemadmodum nudi nullam æſtimationem majorem habent præ altero: ſic in die Judicii pari ſorte corpora, & animæ reſurgent. O! ſi hæc conſideratio multorum hodie mentes tangat, quàm procul ab ſe ſuperfluam corporis curam, & ambitionem relegabunt! *Non ſumet ſecum* Pſal. 48. ℣. 18. *omnia* (id eſt, nihil) *neque deſcendet cum eo gloria ejus.* ait S. David; unde ergo eſſet diſtinctio? quis reliquus ambitioni humanæ locus? An verò, & quemnam nobiliorem alium titulum mereretur corpus, animáque noſtra à Deo, quàm *Tu*. *Tu quis es?* Nunc animadvertitis, quali Judici interrogandi ſiſtemini, qui *Non ſecundùm viſionem oculorum judicabit*, inquit Propheta, *ſed arguet in veritate pauperes*; hoc eſt, animam, & corpus. Iſai. 11.

§. II. Verbum ſubſtantivum, *Es*, denotat imò animæ ſtatũ actualem.

Multò terribilius eſt, quod ſequitur: *Quis es?* Fatalis omnibus vox, *ES*, denotare videtur, quid quis ſit in præſenti, & neque denotat futurum, neque præteritum; ſed corporis, animæque ſtatum actualem judicio præſentandum. Res enimverò admiranda, quòd in extremo illo examine ſilebit Judex de præterito, *Quis* fueris, & ſolum procedet quæſtio de præſenti: *Quis es?* Ratio eſt: Omnes enim Chriſtianorum virtutes perſeverantiâ coronantur, dicente Chriſto: *Qui perſeveraverit uſque in finem, hic ſalvus erit*: deficiente perſeverantiâ ex Sacerdotibus facti ſunt Apoſtatæ, ex Martyribus idololatræ, ex protectoribus Eccleſiæ perſecutores, ex agnis lupi, è Cherubinis hirci, ex Angelis Diaboli. Et quomodo mutatum eſt aurum, obſcurata anteactæ vitæ innocentia, ac pietas? Quomodo refrixit charitas multorum in fine? Quomodo id factum ſit, de hoc non quæretur, quis fueris, ſed *quis ſis?* In quo ſtatu invenieris in finem, in eo judicaberis. Propterea moneris in Pſalmo Chriſtiane: *In finem ne corrumpas.* Et Apoſtolus: *Qui ſe exiſtimat ſtare, videat ne cadat*, videlicet in fine, unde ordo judicii deſumitur; corruptâ enim vitâ, Deóque ſemel deſerto *Omnes juſtitiæ non recordabuntur.* E contra ut oſtendatur, judicia hominum multùm diſtare à judiciis Dei inſcrutabilibus: fieri ſæpe miraculo gratiæ, ut qui peſſimam vixerint vitam, in fine ad Deum convertantur, & momento ſalvi fiant; horum anteactæ vitæ *omnes iniquitates non recordabuntur*, furta, ſacrilegia, rapinæ, dicente Apoſtolo poſt enumerata gentium enormia peccata: *Et hæc QUIDAM fuiſtis, ſed abluti eſtis, ſed ſanctificati eſtis, ſed juſtificati eſtis in nomine D. N. J. C.* Abſit itaque de his porrò quærere, qui fuerint? ſed *qui ſint*, poſteaquam nomine, & gratiâ ſaluberrimâ D.N.J.C. redemptionem conſecuti, de captivitate peccati aſſerti ſunt in libertatem filiorum; non quid fuerint antè ſub peccati jugo, ſed poſt gratiam qui, qualésque comparuerint in momento illo, ex illo inſtituendum ſententiæ proceſſum. *Tu quis es?* Quid

Matth. 10. Pſal. 74. 1. Cor. 10. Ezech. 18. ibid. 1. Cor. 6. 11.

puta-

Bonus Latro quid ad hæc Christo responsurus fuit

putatis Latronem illum jam uno pede Gehennæ vicinum, & repente conversum, & in gratia decedentem; quid inquam responsurum putatis Dei Filio interroganti: *Tu quis es?* Ego latro, ego sicarius, & gladiator. Non est hoc, quod nunc quæritur, dicet Judex: hæc quidem aliquando fuisti, alia nunc in te signa contueor, alium animæ, corporisque habitum video: *Quis es?* Ego fructus sanguinis tui, ego ovis humero tuo assferta, ego præda, ego manubiæ victoriæ tuæ, ego socius Crucis, & triumphi à Morte relati, ego de filiis captivitatis, quos cœlorum sublimia Victor ingressus æterno Patri præsentâsti. Novi vultum (inquit Christus) novi gratiæ meæ regale sigillum, novi *servum*, quia *servatus* es; Non morieris, vivit Dominus! Quem te inveni, talem judicavi, cœlesti nobiscum domicilio fruiturum. Discite Christiani, discite ita vivere, qualiter desideratis in hora obitûs vos, ac supremo judicio inveniri.

§. III. 2dò. Notat veram soliditatẽ, virtutis in anima.

2dò. Loquendo generatim, sub hoc nomine & particula, *Es*, demonstratur, quid quis *sit in re*, non opinione hominum, non favore adulantium, nec odio malevolorum. Non fictè, non apparenter, sed *in re quis sit? Esse* est perfectio Deo propria: sic enim Moysi, antequam divino jussu celebrem ad Ægypti Aulam legationem iniret, fortè scisciranti: si quis me interrogaverit, quisnam me misit; quid illi dicturus sum? Respondit Deus: Sic dices: *Qui est, misit me ad vos.* Hoc est: Non ille me misit, qui aliquando non fuit, nec ille qui aliquando Erit, sed ille, qui EST semper, & ab æterno *est*, & hoc est DEUS, Deus inquam, & non homo. De homine quippe id dici non potest, quòd semper *est*, quia erat, quando non erat, & erit quando non erit, & iterum aliquando erit. Da aliquem, de quo semper verum sit: EST, & ego adorabo. Sed quemadmodum cætera attributa Deo propria, ut sanctitas, justitia, misericordia possunt, debéntque participari imitatione quâdam à justis, & filiis Dei: sic ego puto interrogatione illâ: *Quis ES?* veram, germanámque virtutis soliditatem exquiri. *Quis ES?* hoc est: habésne aliquam affinitatem cum divina essentia? habésne aliquid actu de sanctitate Dei, de vera puritate, de vera misericordia? an tantum hominum opinione ES, quod ES, & re ipsâ nihil ES? atque adeò remotus à DEO es, sicut quod *est*, ab eo quod nihil *est*.

Exod. 3.

3tiò. *Quis es?* Non opinione blandientium, ne te ob humani favoris auram extollas; nec odio malevolorum, ne ideò desperes; sed *quis es?* hoc est, quemadmodum Deus est Sanctus judicio suo, sic tu judicio Dei. Equidem certè si opinione hominum staret, ut Deus *sit*, vel non sit, jam pridem Deus si non cecidit, poterat cecidisse videri, tot sunt, qui ausi sunt in cœlum ponere os suum, & in corde suo dicere: *Non est Deus.* Ita & de te, quoad rectum ac purissimum judicium Dei, quæritur solum, *Quis es?* judicio Dei, conscientiâ tuâ teste; hoc est esse divinum, hoc est, Christiani, quod nos esse faciet beatos, vel infelices. In cæteris omnibus aut faveat mundus, aut rabiem suam exerat, cum Apostolo dici potest à servo Dei: *Mihi pro minimo est, ut à vobis judicer, aut ab humano die*, nec propterea sanctior, si mundus me canonizet; nec ero deploratior, si me convitiis afficiat; quare? quia *Dominus est, qui judicat.* hoc est: parum est, qualecunque de me ab hominibus formetur judicium, modò Deus ferat judicium rectum; rectum autem feret, quocunque in statu extiteris. Hoc omnium terribilissimum est, quòd cætera judicia sperni possint, istud verò adorari, & timeri debeat.

3tiò. Denotat, quid quis *sit* judicio Dei?

1. Cor. 4.

4tò. *Quis es?* Non *quid potuisses esse* cum viribus gratiæ, quàm Sanctus evadere, quàm misericors, quàm fervens in oratione, patiens in tribulatione, exactus in mandatis Dei: non inquam, quid esse potuisses, sed, *Quid es?* Thesis est de actuali statu animæ; illud de possibili, quod nunquam fuit, nec erit. Hoc punctum, hæc reflexio ad præterita, tormentorum censendum est maximum: *potuisse, & non feciſſe; velle, & non posse.* Non est catasta in Inferno, non fidiculæ, non vermis acerbiùs cruciaturus damnatam animam, quàm videre alios tam facili viâ, & modo salvatos, séque cum iis potuisse (si mens non læva fuisset) reddi æternum felicem cum tot mediis, & auxiliis paratis, quæ stultè calcavit. Hannibal Pœnorum Dux, deletis Romanorum copiis cum summam Romanæ Urbis capiendæ opportunitatem haberet, Campanis tenebatur deliciis; quâ morâ factum est, ut nec Româ potitus unquam sit, & brevi suammet Patriam amiserit. Sæpe queri audi-

4tò. Quis *sit* actu, & non, quid potuisset esse?

Liv. Bell. 2. Punic.

auditus: *Dum potui, nolui; dum volui, non potui.* Conſideravi ſæpe mecum, cum legerem apud Matthæum, & Lucam apparatum Filii Dei ad Judicium venientis: nempe ex parte Chriſti eam omnem majeſtatem, & gloriam futuram ex triumphali labaro ſacratiſſimæ Crucis, quæ illi regiâ magnificentiâ tunc præferetur: *Tunc*, inquit, *parebit ſignum Filii hominis in Cœlo;* & ſuper omnia ex corpore per humanitatem amore noſtri aſſumpto, 5. vulneribus, veluti totidem ſolibus radiantiſſimis ornato. Quid hæc ad pompam, & terrorem diei illius? Ad quid Crux? ad quid Vulnera, quibus viſis nulla utilitas conſequetur? Mihi videtur ad terrorem diei illius ſpectaculum nullum acerbius produci potuiſſe; quaſi enim iisdem vulneribus cruentâ, ac propemodum ſtillante manu adtollens venerandum labarum Crucis, dicat Redemptor Opt. Hæc erant inſtrumenta triumphi mei, hæc media ſalutis veſtræ, ultra quæ non potui ampliùs. Iſtis mihi propoſitum erat totum ſalvare terrarum orbem; iſtis mediis ſiquis tam bene, quàm facilè uti voluiſſet, hodie ſalutem in tuto ſuam locaret. Talis oratio mihi videtur omnibus gentibus lacrymas excitura, & planctus in tot cordibus, ſingultúsque uberrimos: quotusquisque enim non cogitabit magnitudinem dementiæ ſuæ, qui tam facilè æternum felix reddi potuiſſet, & noluit? Verùm cogitationes hujusmodi an illis quicquam emolumenti allaturæ ſunt? ſit potiùs, contra inutiles iſtas velleitates, ſit voluntas hodie, & animi decretum efficax, velle id, & facere, quod Deus, quod conſcientia, quod ſtatus, & Vocatio à quolibet exigit. Optimè dixit Apoſtolus: *Regnum Dei non in ſermone ſed in virtute.* Hoc eſt *Eſſe; Quis es?* & non, Quis eſſe potuiſti? Nolim tamen negare cum Davide ſanctiſſimo, uſque dum peregrinamur à Domino, & ſumus in ſtadio virtutum, poſſe ſummo cum profectûs noſtri emolumento à nobis talem cogitationem ſuſcipi, & intuendo ſtatum animæ noſtræ, poſſe nos erubeſcere, & confundi de tepore noſtro: cogitantes identidem, poſt tot annos, poſt tot gratias quid fieri potuimus, & qvid ſumus? ſupra hoc miram, ſed utilem ad Deum petitionem dirigit David, neç facilè niſi ſanctiſſimis conceſſam. Vult prænôſſe diem mortis. *Notum fac mihi finem meum, & numerum dierum meorum.* Quæ utilitas hujus, ſcire ultimum diem? ſine dubio hæc, ut quantò ſe metæ propinquiorem intelliget, tantò concitatius ad bravium currat ſanctitatis. Audi, quare *numerum dierum* nôſſe cupiat? *Ut ſciam, quid deſit mihi.* Ne ſcilicet in ſuprema hora deſiderem amplius me facere oportuiſſe; deſideria, quæ tunc inutilia fore prævideo, nunc in effectum deduxero eò ferventiùs, quòd tempus breve ſit, & quomodo nunc ſeminavero, ita metam. Video animam meam, & luſtro, atque ut ad ſponſum dignè compareat, ad ornatum multa *deeſſe* animadverto. Quotidie dati, & accepti rationes mecum in eo, ſempérque me reperio debitorem Deo. O quando expungam! ſi *dies* ille occultus fieret mihi *notus*, duplicarem induſtrias divini operis, & cum Inclyto Joſue ex uno duos efficerem dies, ut de ſocordia mea plenam referrem victoriam. Corona, quæ in cœlo apparatur, multis adhuc partibus imperfecta eſt, deſiderantur illuc veluti lapides plura, & majora miſericordiæ, & juſtitiæ opera; & quamdiu tardabo? Num ei perficiendæ tempus ſuppetet? Hoc hoc eſt, quod nôſſe inſtanter cupio, *numerum dierum meorum*, UT SCIAM, QUID DESIT MIHI, & aliquando ſuppleam. Ita David, ita nos ex iſta aſceſi feliciter comparati veniemus ad illud terribile momentum, & examen: *Tu quis es?* ſi, quod tunc *eſſe* optabimus, àmodo fiamus opere, & veritate.

Luc. 21. Matth. 24.

Apparitio Crucis in judicio, ad quid?

1. Cor. 4.

Pſal. 38.

David, petit notitiam horæ mortis?

Nec eſt, quâ viâ aliquis diſtrictiſſimum hoc Examen ſe ſubterfugere poſſe ſperet, & oculis divinis in omni illa mortalium frequentia ſeſe ſubducat. Quæſtionem poni audis: *Tu quis es?* Illud *Tu*, unicam ſingularémque deſignat perſonam. Deum bonum! quâ demum ratione ſinguli ante thronum quaſi vir unus ſiſtemur? Non enim dixit: *Vos.* Sic ergo de omnibus peragetur judicium, & quæſtio, ſicut de unoquoque viritim, & è contra. *Omnes ſtabimus ante tribunal Chriſti*, inquit Paulus. Ecce, *omnes!* Et ne multitudo confuſionem pariat, & perturbationem ordinis, deinde infert: *Ut recipiat unusquiſque propria corporis, ſive bonum, ſive malum.* Ecce quod, *Unusquiſque.* Quomodo verò recipiat *unusquiſque*, niſi judicetur unusquisque ſecundum ſtatum, & Vocationem, ac talenta ſua? In judiciis humanis non obſervatur talis ordo: nam ſi aliqua Provincia arma ſumat in Regem, non citantur ad judicium, ſed

§. IV. Particula *Tu*, ſignificat, omnes ſingillatim judicio ſiſtendos.

Rom. 14.

2. Cor. 5.

ſed mittitur edictum (bene ne? an ſecùs; Deus judicabit) ut omnes gladio ſubjiciantur; unde accidit, ut inſontes cum ſontibus pari clade involvantur. Non ſic Deus. *Tu quis es?* Demus aliquam communitatem judicari ob pauperum oppreſſiones; aliam propter adulteria; tertiam ob ſuperbiam, & vanitatem; quartam ob crapulas, & ebrietates; fieret ergo edictum: Talis Civitas vanitatis, talis communitas ebrioſa ſepeliatur in gehenna: & quid ſi ibi invenirentur aliqui innocentes? Non ſic Deus; examinabit ſingulos ex millionibus infamatorum civium unum, & unum, ne quando contra Deum queri poſſint, debitum juſtitiæ ordinem non fuiſſe ſervatum. Idem eſto judicium de ſingulis eorum, quibus Deus ad negotiandum talenta diviſit, aliis decem, aliis quinque, duo aliis, alicui unum; vocat ſingulos ad computum. Ratio eſt, tum quòd ad proportionem, & qualitatem talentorum diſpar faciendus eſt computus, & ratio ſtrictior exigenda; tum verò, quoniam pœnam peccatis competentem determinaturus eſt Judex, digniſſimum eſt, in tanto animarum periculo ſingulorum ſeorſim cauſas audiri: Ita dico: cùm ſua unumquemque bonorum operum præmia maneant, contingatque, quòd aliqua vidua cum ſuis duobus obellis præcedat Reges; quis arguet Chriſtum injuſtitiæ, ſi divina ſtatera præponderavit ad viduam? Et, ſi ſtupente mundo unus Franciſcus pauper, & humilis tanto ſpatio præcedat coronatos Reges, quantò hi illum in terris; quis in contumeliam ſui id factum interpretabitur? *Amice* (tali diceretur) *non facio tibi injuriam: tolle quod tuum eſt, & vade.* Denique ſiquis mendicus claudus, & cœcus præcedat Helenas, & Dianas in Regno Dei, quis accuſabit adverſùs Chriſtum? *In vero judicio feciſti omnia, & ſcimus, quia non accipis perſonas hominum.*

Hujus particularis Examinis utilitates.

Matth. 20.

Remedium ad evitandum

Quæ cùm ita ſint, ut tot periculis obvietur, ſub hac ratione ſingularis Perſonæ, *Tu*, animadverto aliud adhuc latere punctum ſcitu neceſſarium. Quodnam illud? Id, quod communiſſimum eſt in mundo dum vivimus, & de quo nec mentionem haberi videmus. Quid eſt communiſſimum? Nunquam nosmetipſos judicare, nec quærere, quid ipſi ſimus, ſed, quid alii? Hæc erunt proinde verba Chriſti; *Tu quis es? quid dicis de* TE IPSO? non de alio, quia *Unusquiſque ſuum onus portabit;* & non tibi ſatis eſt, cum onerata conſcientia propria ad Dei tribunal accedere, nisi habeas, qui tecum pereant? Bene univerſale judicium Diluvio, & temporibus Noë æquiparat Chriſtus, in quo? in hoc, quòd omnes perierint ſimul; & hæc fuit illorum felicitas, ſi felicitas vocanda eſt, *ſimul perire.* Ex omnibus judiciis humanis quæque ſunt, hæc unica utilitas, quòd & judicans, & judicatus ſimul pereant. Quanquam meâ ſententiâ accidere poſſit frequentius, ut condemnati hic, evadant ibi judicium Dei, & judices iniqui condemnentur. *Tu quis es, qui alienum ſervum judicas? Domino ſuo ſtat, aut cadit.* Eſt Domini damnum, ſiquis malus ſit, non eſt tuum damnum; tu nec author illi vitæ fuiſti, nec reparator: *Quare judicas fratrem tuum, aut quare ſpernis? Omnes ſtabimus ante tribunal Chriſti.* Sed præterquam quòd terribili illo die, ut ego puto, obliviſcemur oculum defigere in proximorum defectibus, ſatis negotii cum propriis habituri: ex omnibus documentis Evangelicis, quæ ad judicium Dei evitandum nobis præſidio eſſe poſſint, nec aptius, nec ſalubrius ullum puto eſſe, quàm pro fixo decreto habere, ut neminem unquam condemnemus. *Nolite judicare, & non judicabimini.* Hoc altè cordibus inſculpite, ut habeatis propitium Judicem Dominum noſtrum JESUM Chriſtum.

Judicium Dei.

Gal. 6.

Matth. 24.

Rom. 14.

ibid.

Luc. 6. 37.

AMEN.

IN

IN EADEM DOMINICA SERMO III.

Et non negavit, & confessus est. Joan. 1.

SUMMARIUM.

Ingenitum homini sua palliare peccata:

I. *Ob naturam peccati tenebras amantem.*
II. *Ob metum confusionis, & pœnarum.*
III. *Utriusque remedium: candor, & veritas.*
IV. *Operta crimina, justo Dei Judicio revelari.*

Tyrnav. 1701.

NUper ab Aula, & carceribus Aulicis à Joanne Legatos ad Christum missos spectavimus: hodie ad ipsum Joannem ab Urbe principe Sacerdotalis adornatur Legatio, & grandis utrobique quæstio agitatur. Quærebatur in illa priore, si Christus esset verè is, quem Prophetæ prædicabant venturum? & exhibitis miraculorum ordinibus clarè ostendit se esse Christum. In hac vicissim invertitur ordo, & quæritur: Num fortè ipse Joannes esset Christus? Solet interdum, dum duo SOLES in cœlo apparent, ambigi, uter eorum sit verus Sol? sic hìc accidit cum Joanne; tantam quippe in moribus, ac sanctitate, Christi similitudinem expresserat, ut distinguere alterum ab altero oculatissimi non possent. O quanta hæc laus, & laudum corona Joanni! tali, ac tanto Filio Dei sic fieri sanctitate vicinum, ut publicis Legationis tabulis attestationem Jerosolyma decerni velit: *Tu quis es? Quid dicis de te ipso?* Quodsi stylum mundi sequi voluisset Joannes, non deerant, quæ ex Personæ suæ dignitate commemorare potuisset præclara, ac maxima; sed noverat amicus Regis, monitum Spiritûs Sancti: *Ne gloriosus appareas coram Rege, & in loco Magnorum ne steteris;* elegit potiùs solidè subsistere in se, quàm alienis alis evolare ad gloriam non suam: *Non sum ego Christus.* Igitur Elias? *Non sum. Confessus est, & non negavit.* Quid *non negavit?* semetipsum, qui erat, non negavit; & dum à se Christi vocabulum removet, *confessus est* Christum, qui non erat. Felix amicus Sponsi! qui omnia Christo gloriosissima deferebat, ad se omnia despicatissima trahebat usque ad *corrigiam calceamenti*, quod solvere se indignum arbitrabatur. Hæc in deserto facta cum tanta veritatis confessione, fuga titulorum, suique despicientia, ac modestia singulari: ego transfero ad Tribunal Sacro-sanctum Confessionis. In hac simili modo quæritur ab omni Christiano: *Tu quis es?* Quid hic quæris ô Christiane! Ad Confessionem dices, veni. Laudetur Deus, lætentur cœli, & terra! exultent Angeli super uno peccatore pœnitentiam agente! Bene venisti. Verum pro felici expeditione, ac successu tanti boni volo Christum in corde, & ore tuo esse, & Joannis exemplum tibi haberi commendatum: *Non negavit, & confessus est.* Quo quidem monito nihil aliud erit instituti mei hodie, quàm declarare, & argumentis ostendere, quàm sit pernicioſum *negare*, & *non confiteri* peccata, quorum in conspectu Dei Rei sumus; eáque (quod in idem recidit) palliare, ac tegere maximo cum salutis, ac honoris etiam temporalis periculo. Hoc erit thema dictionis. Oremus Deum precibus, & meritis glorioſorum Joannium: *Baptistæ*, ut à discrimine salutis æternæ; *Nepomuceni*, ut ab honoris etiam temporalis periculo eruamur. Quod utrumque præstabit Christiana sinceritas conjuncta humilitati, illorum precibus à Deo obtinenda, meritis exoranda.

Prov. 25. 6.

Quemadmodum est connaturale omni homini existimationem, laudémque expetere, eâque sese dignum ostendere: sic hæreditarium naturæ est, quidquid in dedecus, & infamiam vergit, quocunque demum artificio, sive auctoritate, sive mendacio amoliri. Jam verò confiteri se esse *peccatorem* coram Deo, quis ambigat infamiam esse, quam notam vel scelleratissimus ipse Pharisæus ut à se procul amoliatur, negat se esse *sicut cæteri hominum, fures &c.* quasi hac ratione ipse fiat animo pulcher, si cæteros omnes prædicet turpes. Contrà qui cum Deo sincerè cupit agere, verásque rationes init cum anima sua, princeps

§. I. Quòd innatum sit homini vitia sua negando occultare.

Chri-

Christianæ sinceritatis talentum, & proprietas est, qualis quisque est coram Deo, talem se fateri. Ecce Joannes interrogatus, An ipse esset Christus? Negavit se Christum esse. Observate: Pharisæus dicit, *Non sum;* & Joannes dicit, *Non sum.* Prior mendacio palliat vitium, dum enim dicit, *Non sum*, hoc ipso se esse peccatorem ostendit; & Joannes si non diceret, *Non sum*, constitueret se peccatorem, dicendo se *Christum*, qui non erat; & *Sanctum Sanctorum*, quod solius erat Christi.

Quodsi ad hunc perfectionis & sinceritatis gradum ascendit anima, ut nec sibi majora arroget, quàm quibus digna sit; nec defectus, ac imperfectiones, quas coram Deo contraxit, neget, & sese eum, qui est, sincerè fateatur; multum est: *Delictum meum cognitum tibi feci, & injustitiam meam non abscondi.* Ecce Christiani! quotquot ad Tribunal illud Sacro-sanctum accedimus, omnes dicimus: *Confiteor Deo Omnipotenti;* quisquis proinde ad illius Tribunal stas, recordare, quod de Joanne scriptum est: *Non negavit.* Sicut enim proprium est verè pœnitentium volentium se ad Deum convertere, *non negare, non abscondere injustitiam Domino*, & nudum quodammodo cor suum Vicario Sacerdoti offerre, animæque suæ intima vulnera expectorare: sic à contrario scelestorum est, negare. Sed unde hoc? A Protoparentibus hæreditario quodam jure tantam labem in posteros transfusam agnoscit D. Gregorius: *Usitatum*, inquit, *humani generis vitium, & latendo peccatum committere, & commissum* NEGANDO *abscondere, & convictum defendendo multiplicare.* Et si diligenter perpendimus, generalis hujusce propensionis ad negandum

Psal. 31.

S. Greg. l. 22. Moral. c. 9.

Hujus *primæ* Ratio: Natura peccati tenebras amantis.

Prima ratio est: *Natura peccati*, quod ex se habet hoc, ut negetur. Sicut enim virtus, ac præclara facinora naturam Solis habent, & lucere amant, quia consentanea sunt Deo, ac naturæ legibus: sic quia peccatum utrique inimicum est, odit conspectum ac lucem, & tenebrarum secreta quærit; ut patet in peccante Adamo, qui, simul ùt lapsu innocentiæ stolam perdidit, se abscondit; Cainus autem primus auctor illius principii: *Si feceris, nega;* requisitus de fratre suo, respondit: *Numquid custos fratris mei ego sum?* Instat Deus: Quid ergo ego video in vultu tuo? Cur gena tua concidit? cur pallet? *Nonne si bene egeris, recipies, sin autem malè, præ foribus aderit peccatum?* Peccatum ergo admissum, ac perpetratum velut vigil, atque exactor excubat præ foribus, & cinctum, vallatúmque impium custodit. Jam verò tali hoste vallari omni ex parte, carcer est intolerabilis, & animæ nobilissimæ, ad imaginem Dei conditæ pudor grandis, ac non ferenda infamia; quocirca aut simpliciter negatur, cum non constat; aut si constat, vel excusatione diluitur, vel in auctorem retorquetur: *Usitatum humani generis vitium, & latendo peccatum committere, & commissum* NEGANDO *abscondere, & convictum* DEFENDENDO MULTIPLICARE.

2da. Timor pœnarum.

Proxima causa, frequentiórque negandi peccata nostra, est *Timor pœnarum.* Quis enim nescius est, sceleribus deberi pœnas temporales, & æternas? quas quia metuimus, & meritò, propterea quantum, & quamdiu possumus, non fatemur, & negando occultare satagimus. Nec opus remotè, vel ex Paradiso vetera exempla repetere, vel à Tribunali Petri, ubi maritus, & uxor dicuntur *mentiti non hominibus, sed Deo*, utique pudore facti, & pœnarum metu; Filios vestros videte. Illorum prima virtus est, quam etiam nemine doctore addiscunt, mentiri; & quia plerumque *fragili pendent mendacia filo*, ubi ad veritatem rei devenitis, & ad Tribunal vestrum citatis filios, & quid eos ad peccatum suum negandum impulerit? quæritis; fatentur se pœnarum timore id feciisse; qui demum mendacio id consequuntur, ut duplicatam incurrant pœnitentiam, cum mendacii nota; quæ hoc facit, ut etiam vera dicentibus postea non credatis. Timendum certè ne tam usitata humano generi labes apud ipsum Sacro-sanctum Confessionis Tribunal jam ab adultis iteretur; ne inquam accidat, ut cùm ex quocunque demum motivo ad Tribunal Pœnitentiæ veniunt, & coram Sacro Judice nihil absolutione dignum proferunt, talis aliquis interrogatus fortè, *Num ipse esset Christus?* Respondeat, Ita; Aut *Angelus?* & dicat ita; mentiendo se se *Christum*, qui Anti-Christus sit; & *Angelum* qui dæmon; & qui peccator advenit, redeat sacrilegus, *mentitus non hominibus, sed Deo.*

§. II. Utriusque Remedium.

Quantò meliùs infelices hæ animæ fecerint, si dum ab se timoris, ac verecundiæ victoriam impetrare nequeunt, absti-

um: Sinceritas, & Veritas.

abstineant à Sacramentis tantisper, aut priùs cum Patre Spirituali negotium animæ conferant, dicendo: Accessisse quidem se, sed non animo confitendi, quia etsi animus usque ad partum venerit, non tamen adest *virtus pariendi*, ac resolutio occulta peccata expectorandi; tunc enim ista ipsa sinceritas Sacerdotem Christi ad misericordiam commovebit, & ad sacra præsidia quærenda impellet, quibus animam *muto* isto *Dæmonio* felicissimè liberando ad partum gratiæ perducat. Quot cruentas hujusmodi spinas fortuita interrogatione cordibus eximimus? Quot lapides molares à miserorum pectoribus revolvimus, & in profundum maris projecimus? Sacerdotali exhortatione quot prostratos, ac pusillanimes ad victoriam ereximus? Quemadmodum enim puella si Lænonem pudicitiæ suæ insidiatorem Parentibus aperiat, & prodat, salva res est: ita conatus Diaboli cum primùm Sacerdoti Christi revelantur, fugiunt, evanescunt in fumum, sunt enim *tenebrarum opera*, occultæque machinæ, quæ veritatis radios, & Christi lucem ferre non valentes continuò dissipantur.

Puncta Pœnitenti perpendenda, dũ ad Sacramentum Pœnitentiæ accedit.

Cogitarent deinde secum, qui repentino pudore, metúque jamjam superantur, ut sacrilego silentio grave peccatum reticeant, & sacerdotem celent: se stare *ad Tribunal Christi*, Tribunal suave, ac paternum, Tribunal, quod non ad carnificinam animarum, sed ad solatium, si quod in terris est maximum, erectum, & institutum sit. Alloquatur proinde talis anima cor suum, & conveniat illis Prophetæ verbis: *Non declines cor meum! non declines in verba malitiæ, ad excusandas excusationes in peccatis!* Nôsti cùm huc intrares, te dixisse sacram illam formulam: *Confiteor Deo Omnipotenti, B.M. semper Virgini, Omnibus Sanctis, quia peccavi nimis* &c. te nimirum velle dicebas, confessionem de peccatis instituere coram *Deo*, & sicut in die Judicii coram Christo institueres, adhiberéque testes *B.M. Virginem*, & *omnes Sanctos*; ut quos aliquando habiturus es Judices, ibi adducere possis veræ pœnitentiæ tuæ testes, & advocatos; nunc eosdem, si deceperis, habiturus sacrilegæ audaciæ tuæ actores, & vindices. Venisti huc peccator quidem, at Christianus: an exibis Judas & Diabolus? Accessisti reus ad Salvatorem, recedes sacrilegus, & desperatus? Intrâsti cum oneribus miseriæ,

Pſal. 140.

Peccatum negare, novum meditatúmque peccatum est.

reverteris cum *verbis malitiæ?* Qualibus illis? Excogitando novum peccatum, scilicet mendacio tegendo, & abscondendo crimen. *Criminosius peccatum excogitare, quàm facere.* Peccatum admisisti, transeat; illud facilius dissimulat Deus; verum ubi excogitatâ malitiâ id absconditur, & negatur, studiosius factum apparet, & peccato peccatum adjicitur, scelúsque meditatum efficitur. Audi Sacrum oraculum: *Eò quòd feciſſet David rectum in oculis Domini, & non declinâſſet ab omnibus, quæ præceperat ei in omnibus diebus vitæ ſuæ*, EXCEPTO SERMONE *Uriæ Hethæi.* Quid ergo? Adulterium non extabit in catalogo peccatorum Davidis, & sola ipsi imputabitur cædes Uriæ? *Verum eſt in his peccâſſe Davidem, & in multis aliis; ſed hæc tacentur, quia non ſunt ita enormia peccata, ſicut* MORS URIÆ. Quod enim deliquit adulterio, fecit id repentino, & concitato affectu abreptus; quod autem peccavit homicidio: meditatò, & ex consilio factum. Quæcunque peccata, & lapsus tolerabiliora sunt: verum ubi meditatò, de industria, excogitato consilio, argumentis (ut fit, dum peccatum negatur, & absconditur) rem agit peccator, jam non ideò tantùm puniuntur, quia sunt peccata, sed quia nova peccata; quia tantum abest ut sic pœnitentia agatur, ut potius Deus, & Ecclesia irrideatur. *Excepto ſermone Uriæ Hethæi.*

S. Paulin.

3. Reg. 15

Abulen. Hugo Cardinal.

§. III. Peccatum quod confeſſione manifeſtet æternùm occultũ, juſto Dei Judicio in pœnam revelari.

Quare sicut excogitata hæc malitia Deo tantopere displicuit, ut peccatum tot artificiis absconditum in terris, ipsi postea *cœli revelarent*: *Tu enim feciſti abſconditè: ego autem faciam verbum hoc in conſpectu omnis Iſraël, & in conſpectu Solis.* 1. Reg. 12. 12. Sic profundo, ac justo Dei Judicio fieri sæpe, ut peccatum, quod in Sacramento Pœnitentiæ reticetur, & sacrilego occultatur silentio, mirabiliter propaletur *in conſpectu omnis Iſraël, & in conſpectu Solis.* Ad cujus rei veritatem confirmandam testem advoco speluncam illam famosam, cujus arcano, fidóque silentio tutissimè concredita videri poterat actio, si quam mundus unquam audivit, nefandissima, maximéque detestanda; quæ tamen, dum maximè occultabatur, cœlo loquente prodebatur. Eam ex Sacris Literis accipite. Cœlesti igne vastatur Pentapolis. Loth ascendit in montem comitatus duabus filiabus, manuducente Deo, & Angelis; & ecce! qui sceleratarum

Gen. 19.

tarum Civitatum incendiis ſalvus exiit, ambuſtus eſt in ſpelunca, ita naufragium caſtitatis ambæ in ſicco paſſæ ſunt: *Manſit in ſpelunca ipſe, & duæ filiæ ejus.* Quis crederet? in eo loco, & Angelico aſylo, juſtorúmque portu, ut videbatur, tutiſſimo, ſecuriſſimóque, ante oculos, tantis iræ divinæ terroribus nondum extinctis, etiamnum intermicantibus ſcintillis, potuiſſe puellares animos deliciarum cogitatione pulſari, invicem communicare conſilia, eáque approbare, demum cum Parente vino ſopito inceſtûs crimen immane perpetrare? Et ne tam neſaria conſilia ſuis carerent coloribus, quibus defenderentur, excuſationi prætendere opinionem illam, quâ ſibi perſuadebant, quemadmodum olim mundum diluvio, ſic nunc genus omne hominum incendio interiiſſe. *Sed non ſic impii, non ſic!* Id quod ebrietatis muto ſilentio, ſeu ſpeluncæ arcano committebatur, toti terrarum orbi nunc palàm eſt. Cum enim ſuos partus effuderunt, alterum appellaverunt *Moab*, hoc eſt, ut ait Chryſoſt. *Ex Patre meo;* alium vocaverunt *Ammon*, hoc eſt: *Filius generis mei. Nomina enim*, inquit, *Statim natis indiderunt, quibus factum ſignificabant*, ET IN FILIORUM NOMINIBUS, QUASI IN COLUMNA QUADAM, MEMORIAM FACTI INSCRIBEBANT. Quid tenebroſâ ſpelunca arcanius extra conſortium humanum poſitis? Pater vino, ſomnóque ſopitus, rerum, quæ agebantur, ignarus omnino, ſolæ filiæ conſciæ facinoris putas contra ſe famam vulgabunt? Salvàne igitur omnia? Nihil minus; tacentibus ipſis *clamabunt ſigna*, & nominibus filiorum prodentur: *Moab, ex patre meo; Ammon filius generis mei, filius Patris Ex me.* Quod ergo montium vertices tacuêre, quod ſpelunca non prodidit, quod cœlum occultavit, ipſæ ſe peccati auctores manifeſtârunt. Ita nimirum Deo diſponente, qui mille modos habet facta abſcondita proferendi *in conſpectum Solis.* Quando nimirum totam ibi collocamus induſtriam, ut Dei oculos claudamus, & hominum, abſentibus teſtibus aliis, ex nobismetipſis, dum nîl tale cogitamus, indicia peccati manifeſta deſumuntur.

In Filiabus Loth.

Vega, in Judic. fol. 187.

S. Chryſoſtom.

Occultabat, quamdiu poterat, inceſtuoſus Herodes crimen ſuum, ſed quia Joannem habebat monitorem, qui in conſcientia Regem moncbat de ſcandaloſa detentione alienæ uxoris, & cognatæ, quid fit? *Tenuit Jonnnem, & alligavit eum, & poſuit in carcerem propter Herodiadem.* Fallitur Herodes! falluntur omnes peccatores! Carcer, qui pro occultando inſtituitur, fit cathedra, fit Tribunal ſceleris amplius pervulgandi. Sed unde? Dum omnia ſalva putat Herodes, aureo illo Joannis ore ſecretis ergaſtuli parietibus compreſſo: auditur in convivio vox: *Da mihi in diſco caput Joannis Baptiſtæ.* Hic videte, quàm modica res ſatis eſt ad occultiſſima crimina prodenda. Vultus Regis ad hanc inexpectatam vocem immutatus indicio prodidit impietatem. *Et contriſtatus eſt Rex propter juſjurandum.* Iniquum juramentum pudebat retractare, ut ſcelus novo ſcelere coronaret. Duplex crimen latebat in corde, & utriúsque criminis proditor *Vultus. Contriſtatus eſt Rex.* Hinc diſcant peccatores, occultare quidem peccata poſſunt, decipere Eccleſiam poſſunt ſacrilego ſilentio; ſed unicus vultus peccatoris ſæpe manifeſtabit, quæ in corde latent abdita, & ſecretis characteribus arcana prodet, quæ confeſſione optime tecta manſiſſent: *Contriſtatus eſt Rex.*

In Rege Herode. Matth. 14. 3.

Sed demus poſſe omnia externo celari ſilentio, & premi ad tempus: quis conſcientiam aſſiduè accuſantem perferet? quis illius ſtimulos effugiet? quis illius tyrannidem, & linguam placabit, & compeſcet? Quæ autem pœna gravior, quàm intus in animo hoſtem pati, quem exuere nequeas, & dum ſilent omnia, illo actore pacem non habere? Habetis exemplum, & confeſſionem peccati nemine accuſante, ſolâ conſcientiâ pro Tribunali perorante extortam, in Fratribus Joſephi: hi ſpecie *Exploratorum* captì, ac detenti cuſtodiâ, cum cernerent Ægyptii Pro-Regis (quem illi non noſcebant) iratum vultum, ac terribilem, nec aliud ab irato quàm virgas, ſecures, eqvuleos expectandos haberent, & patronum innocentiæ neminem in terra aliena; conſcientiâ quondam patrati ſceleris excitati, profunda inter ſuſpiria audiebantur mutuò dicere: *Exploratores* appellamur, quaſi hoſtili animo ad prodendas exteris Ægypti opes, ac theſauros latenter ingreſſi; Non hoc eſt ô Fratres! ſed diſpoſito cœlitus conſilio videntur mala iſta nobis eveniſſe ob parricidalem inhumanitatem, quâ ſanguinem quondam noſtrum prodidimus. *Meritò hæc patimur, quia peccavimus in fratrem noſtrum, videntes anguſtias ani-*

In Fratribus Joſephi. Gen. 42.

mæ

mæ ejus, dum deprecaretur nos, & non audivimus: idcirco venit super nos tribulatio ista. Heus boni viri! attendite ad quæstionem Pro-Regis ac Judicis vestri: agitur de proditione terræ, ad quam explorandam adveniſſe dicimini; reſpondete ad hoc, imò tacete de peccato veſtro, quod in Joſephum admiſiſtis olim, quia ſic duplici pœnâ luetis. Nullus hìc ea ſuper re Judex, nullus teſtis, quis igitur vos poſtulat hujus criminis, & fateri compellit? Dicam, Quis? Compellebat Conſcientia. Peccatum nulli notum eſt, nemo objicit, omnia foris in pace; tranſeat. Nullus apparitorum Judicibus Verbum indicat, nullus lictorum inſtat; adeſt Conſcientia! quæ animum in cataſta extenſum crimen confiteri compellit, & pro Tribunali reum decernit: *Meritò hæc patimur, quia peccavimus in fratrem noſtrum.* Ecce! quid negatio peccati efficiat. Ubi nunc toga polymita hædi ſanguine intincta? ubi fera peſſima? ubi ſimulatio & mendacium? ubi tot annorum conjuratum ſilentium, quo fratris proditionem celâſtis? Ibi unum hominem celâſtis, hìc jam conſcientiâ premente publico juri peccata proponitis, ut juſto Dei judicio à ſemetipſis plectantur.

§. IV. Veritas, & Sinceritas in quo conſiſtat in actibus Pœnitentiæ.

Ex quibus intelligimus AA. Chriſtiani, admiſſo flagitio, & culpâ, ad veram animæ pacem reſtituendam aliud non ſupereſſe medium, quàm reponere ſe ad eum ſtatum, quem ante peccatum habuimus; quod non alio modo obtinebimus, quàm confitendo. *Confeſſus eſt, non negavit.* Hoc eſt, ut ſincerè ſe dicat peccator eum, qui eſt coram Deo.

Pſal. 31. *Delictum meum cognitum tibi feci!* verba ſunt pœnitentis Davidis. At numquid ſine te ignorabit Deus acta tua? Ille quidem ſcit omnia, ſed aliud eſt à Deo peccatum ſciri; aliud ut ego faciam Deo cognitum delictum, dicendo illud eſſe meum. *Delictum meum*, errorem *meum*, perfidiam *meam*, ingratitudinem, apoſtaſiam *meam*; ſi non ſolum quod feci, annunciem, ſed peccati cauſas, originem, circumſtantias aggravantes, vel mutantes ſpeciem; delictorum denique numerum omnem ineundo, cor meum tanquam aquam effundam in conſpectu Dei. Hoc eſt confiteri, hoc eſt cognitum facere peccatum, hoc eſt: *Non negavit, & confeſſus eſt, quia non ſum ego Chriſtus*, non Elias, non Angelus, ſed unus è peccatoribus, & fortè primus.

Delictum meum tibi cognitum feci. Meum inquam, revelavi, non taxavi aliena. Multi fatentur peccata, ſed quaſi *non ſua*, retorquentes peccatum ancilla in dominam, hæc in Maritum, puella in Lænonem, iracundus in injuriantem, deceptus in corruptores innocentiæ; illi me coëgerunt, illi traxerunt, non ſum cauſa. Planè filii, filiæque Adam. Vos ô dilecti, quando vos cecidiſſe ſcitis, dicite: *Mea culpa! mea culpa!* nihil hac defenſione juſtius. *Delictum meum cognitum tibi feci. In factis meis, in peccatis non accuſo fortunam. Non dico, hoc mihi fecit fatum. Non dico, adulterum me fecit Venus, & latronem me fecit Mars, & avarum me fecit Saturnus. Ego dixi: Domine miſerere mei, ſana animam meam, quia peccavi tibi!* Ad Sacrum Tribunal acceſſi, mea cauſa agitur, mea ſalus, ego interrogor: *Tu quis es? quid dicis de teipſo?* S. Auguſt.

Domine quid dicam? aut quid reſpondebo tibi? quoniam iniquitates meæ ſupergreſſæ ſunt caput meum. Eas negare, eſt computreſcere in ſordibus; defendere, intolerabilis ſuperbia; in alios retorquere, frivola defenſio. Abſit! hujusmodi effugia quæram, & Sacramentum, ſalutémque periculo exponam. *Ego feci*, culpa mea eſt quòd cecidi, dicam prior iniquitates meas, ut juſtificer; ut ex inimico amicus Dei effectus, ex mancipio filius, ab exilio revertar aliquando ad gratiam, & filiorum annulo, Spiritûs S. ſignaculo rurſum exornatus inhabitantis Dei efficiar domicilium. Pro hoc omnem meum terrenum honorem calco, aſpernor, & pedibus protero; pro hoc erubeſcere vultum meum pro minimo habeo; pro hoc pœnitentiam quamcunque Eccleſia decernat, levem, jucundámque duco. Pro hoc fama, decus, recreatio, deliciæ, divitiæ, corpus ipſum cum omnibus bonis pereant, ut anima ſervetur, & inæſtimabile donum gratiæ, quâ momento reddimur felices, recuperetur *confitendo, & non negando:* ut modica vultûs confuſio vertatur hìc in gratiam, & ibi in gloriam ſine fine perennaturam;

præſtante D. N. JESU Chriſto.

AMEN.

DOMI-

DOMINICA IV. ADVENTUS.

SERMO I.

Tyrnaviæ, 1706. *Venit in omnem regionem Jordanis prædicans baptiſmum pœnitentiæ in remiſſionem peccatorum.* Luc. 3.

SUMMARIUM.

Neceſſitas agendæ Pœnitentiæ:

I. *Quia eſt ultimum palladium: & non eſt Chriſtiano nomine dignus, qui in eo Statu vivit, in quo mori nolit.*

II. *Extra hanc vitam duo loca pœnitentiæ veræ, ſed ſeræ.*

III. *Probabile valde eſt, eum, qui cùm valet, procraſtinat pœnitentiam, idem facturum ægritudinis tempore.*

Ante Judicium para juſtitiam. Monitum eſt Spiritûs Sancti ſicubi, certè in hoc ſalutis æternæ negotio graviſſimo, *gemitibus inenarrabilibus* omnes nos obteſtantis, ut, quoniam hora mortis, ac judicii incerta omnino ſit, & tamen certiſſimè appropinquet; maturè rationes cum Deo componamus, ne ſubitò præoccupati ſpatium pœnitentiæ invenire non poſſimus. Atque repentè hic mihi horrore capilli inſurgunt, cùm cogito ſub Conjuratorum pedibus tellurem diſceſſiſſe, cúmque thuribulis ſuis Triumviros vivos, ſpirantésque in Infernum delatos. Cùm percurro memoriâ, de filiis Iſraël Ducem, cùm Nobiliſſima Madianitidum in actuali flagitio confoſſos, de deliciis in æterna migrâſſe incendia. Cùm evolvo Sacris in Annalibus aut Holofernem ebrietate, ac libidine ſopitum, truncatis repentè cervicibus trementem Divino iſti Tribunali; aut Divitem purpuratum in mediis avaritiæ, & crudelitatis ſceleribus ad æternas flammas momento ruentem. Alios mediis in blaſphemiis, perjuriis, ſacrilegiis, quin ſe ſe colligendi ſpatium haberent, repentè Gehennam intrâſſe, prius juſto Dei judicio damnatos, quàm imago Tribunalis illius mentem eorundem pervaſiſſet. *O quantum pectora cæca noctis habent!* Spe longioris vitæ, florentis ſecuritate ætatis, & ſanguinis ah! nimium quantum deluſi, dum Diabolo ſerviunt, audaciſſimáque feruntur in omne flagitium licentiâ: repente in Judicium citati, convicti, damnati, ſupplicíis addicuntur æternis.

Eccli. 18. Rom. 8.

Num. 26. 10. In actuali ſcelere Morientiũ exempla tragica. Num. 25.

Judith. 13.

Luc. 12.

Temeraria Spes multos occidit.

Meritò proinde ad tot improvidos, tot altùm ſtertentes excitandos deſtinatur, ac mittitur JOANNES, *prædicare Baptiſmum Pœnitentiæ in remiſſionem peccatorum.* Juſtiſſima cauſa, vel ante primum Meſſiæ deſideratiſſimi Adventum; nequando vel ſic manſuetè veniens Salvator mundi labes, & peccata inveniat, cœleſtibus ejus donis obicem poſitura. *Quæ enim ſocietas luci ad tenebras?* Quantò potiori jure ante ſecundum Domini adventum agenda pœnitentia, ne, tanquam impœnitentes nos, & alia omnia agentes, dies Domini magnus obruat imparatos, & ſententiæ fulmine feriamur antè, quàm Tribunalis illius cogitatione animi figerentur. Proinde Oratoris Sacri, ac Legati cum Joanne hodie partes executurus, prædicabo Chriſtianis *Pœnitentiam in remiſſionem peccatorum*; pœnitentiam quâ reconciliari irato Judici debeamus; pœnitentiam, quâ ſicut nihil ſalubrius, ſi tempore acceptabili agatur; ſic nihil periculoſius, ſi procraſtinetur. Iſta eſt mei diſcurſûs intentio, hic ſcopus. Vos pectus, animúmque erigite, & favete.

2. Cor. 6.

Neceſſitatem Pœnitentiæ auribus filiorum Adam ingerere poſt tot Dei flagella, poſt primigeniæ occaſum felicitatis, poſt clades, exilia, vulnera, illuſtres

§. 1. Neceſſitas agendi Pœnitentiam.

ſtres mundi ruinas; & quod his omnibus majus, poſt jam jam incumbentem mundo decretorium diem tractare de neceſſitate Pœnitentiæ, ſuperfluum videri poſſit, poſteaquam ipſæ crebreſcentes ruinæ, terrores judicii, conſcientiæ faces ad Deum redire compellunt mundum. Nedum Chriſtiana auris poſt tam generalem Domini ſententiam, quâ vel
Luc. 13. 3. Electis ipſis ſeriò edicebat: *Niſi pœnitentiam habueritis, omnes ſimiliter peribitis;* dubitare porrò debeat, ad tot mala, & clades evitandas, unicum in Pœnitentia relictum eſſe præſidium, re-
Quia eſt unicum Aſylum. fugium & aſylum; ſi nempe, cùm ſumus in via cum Adverſario (qui Deus eſt) omnem maturam collocemus operam, ut cum eodem redeamus in gratiam præoccupando faciem ejus in confeſſione, & lacrymis; ne ſortè præventi, incidamus repentè in manus *Dei viventis*, quem pro nobis mortuum olim placare negleximus, & ex Salvatore compulimus fieri Judicem. Quæ fuit graviſſima
S. Auguſtin. ratio Auguſtino dicendi: *Neminem ex hac vita debere ſine Pœnitentia diſcedere.* Si enim verum eſt, neminem eſſe ſine aliquibus peccatis, conſequens eſt, ut nemo, niſi placato per Pœnitentiam DEO, vitâ excedat, quandoquidem cum peccatis comparere in Tribunali Dei, eſſet arma offerre Judici, & tali Judici? in delinquentis caput vertenda; eſſet ſibimet ipſi occludere januam ad gratiam, ubi nec locus, nec tempus eſſet miſericordiæ, nec fructus lacrymis, quantumvis contritio mare ſuperaret. Sicut ergo locus peccati fuit mundus, quem trivimus; vita quam duximus; ſic locus Pœnitentiæ debet pariter mundus eſſe, & vita præſens. Ultra hæc duo quem, oro te, locum? quam animæ exiſtentiam, ac ſtatum reperturus, qui ſuſcipiat pœnitentiam? Non Cœlum, quia ibi non erit ultrà luctus, non clamor, non tunſio pectoris, non contritio cordis, non eleemoſynarum largitio, non confeſſio, dolor, lacrymæ. Ilitæ lanceæ olim poterant aperire Cor Chriſti; hoc alabaſtrum tunc utiliter frangi poterat, & unguenta pretioſiſſima in membra Chriſti effundi; at jam rerum ſcena verſa eſt. In Cœlo non macula, quæ lavetur; non parta merita, quæ augeantur, vel perdita, quæ reſtaurentur.

§. II. Extra hanc Vitam, Poſt vitam attamen hanc duo inve-nio loca, quibus graviſſima agitur pœnitentia; ſed fructuosáne, an inutilis? meum erit proponere; veſtrum decernere, an glorioſam agere pœnitentiam velitis cum Petris, & Marcellinis, ſi de Clero ſitis; cum Davidibus, Theodoſiis, Henricis, ſi Populi Rectores; cum Ninivitis, ſi Cives? an verò infeliciſſimam cum Antiochis, Herodibus, Sapriciis, divitibus purpuratis in gehennæ tormentis? Sic eſt, primus Pœnitentiæ locus eſt *Infernus*, de quo Salvator noſter: *Ibi erit fletus*, inquit. Ad quid? attende. Naturâ inſtitutus fuerat fletus ad cor alleviandum, & ſerenandum, quia (ut Poëta dicit) *Expletur lacrymis, egeritúrque dolor;* unde qui beneficium lacrymarum habent, citius dolorum obliviſcuntur. Ita fletus, & lacrymæ, & ipſum Pœnitentiæ Sacramentum à Chriſto non ad carnificinam animorum, ut æſtimant nonnulli; ſed ad tranquillam pacem, malaciam, & ſolatium conſcientiarum inſtituta ſunt, ut quò impii *timentes ubi non erat timor*, terrentur: eò fideles quique, ac pii ad utendum tantò amplius provocentur, quantò Pœnitentiæ fructus quotidie uberiores deguſtant, & pacem quam mundus dare non poteſt, hoc medio lucrantur. Erit etiam in Inferno *fletus?* & maximus quidem; certè omnium pupillorum, orphanorum, viduarum, totius mundi afflictorum lacrymæ in unum congregatæ non æquabunt illud mare, quod vel unius Judæ proditioni ſuæ æternum illacrymantis oculis profuſi imbres confecturi ſunt; quo fructu? Non iſtam pœnitentiam animi pax, non ſerenitas cordis, non conſcientiæ malacia conſequetur; non iſtis egeretur lacrymis dolor, ſed augebitur tormenti vis, accedente ad fletum *ſtridore dentium*, & maledictis, & Væ diei quò nati ſunt! Non iſtam comitabitur pœnitentiam remiſſio, non Indulgentia, non Jubilæum coronabit; flebunt, & nemo reſpiciet; clamorem ad ſidera tollent, & nemo audiet; extendent complicata cœlo brachia, quis ibi miſeratione tangetur? Ex Inferno nulla redemptio. Erit aliquis Filius juſto Dei judicio damnatus, qui memor uberum, quæ ſuxit, & gremii, ad Matrem ſuam beatiſſimi Olympi civem fors lacrymantia ora attollens, miſerabili ejulatu orabit per nomen illud maternum, per viſcera, opem ultimam, aut unam guttam miſericordiæ, filio captivo undique flammis circumdato mitti; ſed fruſtra! cùm interea in cœlo Mater, meliore prole digna, cum Beatorum Choris exultantibus

duo loca Pœnitentiæ.

Sacramentum Pœnitentiæ inſtitutum maximo conſcientiarum ſolatio. Pſal. 13. 5.

bus magnificabit judicia Dei, & dicet:
Apoc. 16.7 *Etiam Domine Deus Omnipotens, vera, & justa judicia tua!* Video vos non tenere lacrymas, cùm ista auditis. Sinite decurrere! talibus pluviis extinguetur Infernus, placabitur Deus. *Beati, qui* nunc *lugent, quia ipsi consolabuntur;* damnatis verò lacrymæ æternæ nihil proderunt ad salutem.

Secundum locum invenio, *Vallem Josaphat* mediam inter montem Olivarum, ubi Dei filius orare solitus & Calvariæ collem, in quo Martyrum Princeps passus. Locus, ut Electorum omnium oculis dulcissimus, atque optatissimus, qui sanguineis Christi vestigiis sequendis institerunt olim: sic damnatorum publicæ Pœnitentiæ destinatus. *Videntes turbabuntur timore horribili.* Cur ita? quoniam duo isti montes erunt contra ipsos pro Deo testes, erunt & theatra publica pœnitentiæ eorum. *Pœnitentiam* (inquit) *agentes, & præ angustia spiritûs gementes, Hi sunt (Mons*
Sap. 5. Cant. 4. 6. *Myrrhæ*, id est Passionis; & *Collis thuris*, Orationum Christi) *hi sunt, quos habuimus aliquando in derisum, & in similitudinem improperii*, i. e. non quidem linguâ, sed opere: qui Catholicè credidimus, & gentiliter viximus, vanitatem, & insanias falsas sectati, Christi crucem sprevimus, adorantes idola humani respectûs, & mundi mori nos
Sap. 5. accommodantes. *Talia dixerunt* (id est, dicent) *in Inferno hi, qui peccaverunt*, cum jam jam cogentur egredi ad publicum mundi judicium; tum enim desperati isti serò ad lamenta pœnitentiæ recurrere laborabunt. Nec aliam ob causam Scriptura Divina hos mutuos in Inferno habitantium sermones prodidit, & colloquia vulgavit, quàm ad coarguendam eorum stultitiam incredibilem, qui pœnitentiam, quam vita durante agere oportebat, ad istas extremitates, hoc est, ad Infernum, & Judicium differunt, nempe ad tale forum, ut Atheum esse oporteat, qui non videat futuram illic Pœnitentiam infructuosam.

§. III. Procrastinantes idè faciunt, quod ii, qui in Inferno, vel Judicio agere volunt Pœnitentiam.

Quis autem non videat, talem esse statum procrastinantium pœnitentiam ad confinia vitæ, & mortis? quò appellare suam ad Deum conversionem, & pœnitentiam, paris stultitiæ est, ac appellare ad diem Judicii. Ratio est: Quemadmodum enim nulli adhuc revelatum est, quonam tempore erit dies Judicii: Sic nemini suæ de hoc mundo migrationis hora certò constat; quemadmodum ergo incertissimum est, quâ occasione, genere mortis, momentô migrandum est, ita incertissimum est, an acturus sis pœnitentiam, unde pendet felix, aut infelix Æternitas. Tu enim arbitrabere, cum altero jam jam pede ad Tribunal Christi stabis, imò ducéris, te initurum animæ tuæ rationes? Id quod difficillimum factu in humanis videtur, censeri solet pro *impossibili;* quænam verò difficultates horam illam extremam circumstent, quis non videat, etiam in iis, qui non procrastinabant salutis media, sed quacunque occasione licuit, ad Deum converti studebant? quis explicet perturbationes, & angustias negligentium animarum, quæ ubi ubi poterant, subterfugiebant opportunitates pœnitentiæ, ipsâ Dei misericordiâ contemptim abusi? ut mihi perinde videatur ad has angustias conjicere rem maximi momenti, pœnitentiam, ac eandem ad judicium, ad Tribunal ultimum differre. Duo hæc diviniſſimè conjungit Os aureum, ad illa verba: *Stulte, hac nocte repetent animam tuam à te. Semper*, inquit, *stimulat nos conscientia peccatorum, sed præcipuè cùm debemus trahi ad terribile judicium* (quod fit eô momentô quô migrandum est) *tunc enim tota congeries peccatorum innovatur.* Eheu! quænam isthæc peccatorum congeries tunc innovanda? Ibi enim primùm aperientur oculi, cum mox claudendi sunt. Repræsentabuntur attonitæ animæ omnes simul maculæ, & labes; occasiones salutis neglectæ, contempta vocatio, gratiæ, talenta, tempus pretiosissimum otio sepulta, ac intento Divinitus fine, scopóque frustrata. Quid si verò hoc ipsum repræsentari contingat, quòd clausa sit gratiæ janua; *nunquam egi*, & *nunquam agam* seriam pœnitentiam? Et quis eam sibi certò promittat? nisi dicat se Gratiam Dei, velut volucrem alis tentam, in diem illum reservâsse.

S. Chrysost. hom. 29. in Matth.

Periculosum, & stultū est, ad horam mortis differre conversionē.

Discursum hunc fundo in exemplo illo, quod adducit Christus, ex quo profundissimè ostendit citatus S. Præsul, impossibilem quodammodo videri in hora mortis Pœnitentiam. Sic enim apud Lucam, Dives ille intra se loquebatur: *Anima, habes multa Bona posita in annos plurimos. Requiesce, comede, bibe, epulare.* Quid ad hæc Deus? *Dixit autem illi Deus: STULTE! hac nocte repetunt animam tuam à te, quæ autem parâsti, cujus erunt?* Quæro, in
Luc. 12.

qua

Dives Epulo cur dicatur Stultus?

qua tandem re eluxerit ſtultitia Divitis hujus? an in eo, quòd congregaverit *Multa Bona?* Vix mihi perſuadeo; ſic enim eſſent multi hâc notâ digni; an, quòd animum ſuum exhortaretur ad *epulandum* cum amicis? ſi hoc eſt ſtultum, quot erunt in mundo, qui ſic ſapiunt? Ad thema meum propenſius videtur illud, quod dixit: *Habes multa Bona repoſita in ANNOS PLURIMOS,* & videtur explicationi meæ favere dictum Dei: *STULTE, HAC NOCTE repetent animam tuam:* nimirum, promittendo ſibi annos plurimos, de quibus nemo ſomniavit. Sic enim *Stultorum oculi* ſemper *in FINIBUS terræ*, hoc eſt: Mortem remotiſſimè diſtare credunt, & imaginantur ſibi longiſſima ætatis ſpatia, & Annos, quibus bene, beatéque frui vivendo poſſint. Certè in annis illis plurimis, quos ſpe devorârat Dives, quot dies, quot noctes exiterunt? & en! plurima illa Annorum ſpatia ad unicam NOCTEM coarctat vox Cœli: *HAC NOCTE.* ô ſtultitiam Divitis! *Cùm dicunt, Pax, Pax! repentè irruit in eos furor, & diſperdet eos vindicta.* Altera ſtultitia, multò priore fatalior, fuit, nihil prorſus cogitare, quid demum poſt illos *Annos* (ut ajebat) *plurimos* venturum ſit? quid poſt *Ede, bibe, epulare*, ſecuturum? cum enim hæc omnia ad præſentem vitam, ſtatúmque ſpectent, Æternitatis, quam futuram nôſſe debuerat, ne mentionem quidem facit; & hoc *ſtultè.* Ratio eſt: quoniam modico huic (quantumcunque videatur) itineri luculentum apparavit viaticum; Æternitatis profectioni vaſtiſſimæ, atque immenſæ quid demum providit? nihil.

Prov. 17. 24.

Deut. 32. 29.

Utinam ſaperent, & intelligerent, ac noviſſima providerent! Hæc enim veræ Sapientiæ Chriſtianæ, ac defœcati intellectûs nota eſt, Noviſſima non ſolum *prævidere*, ſed etiam *providere*, atque diſponere media conſequendæ beatæ æternitatis, quale eſt Pœnitentia: per quam facta (ut inquit Author Imperf.)

Imperf. hom. 3. in Matth.

Confeſſio peccatorum, teſtimonium eſt conſcientiæ timentis Deum. Perfectus enim timor ſolvit omnem pudorem. Illic enim turpitudo Confeſſionis aſpicitur, ubi futuri Judicii pœna non timetur, nec creditur. Hoc eſt: ſi rectè crederetur futuri certitudo judicii, non timeretur pœnitentiæ rigor, nec terreret confeſſionis pudor, ſed executioni darentur quamprimum ſalutaria media, & non cum ſtulto hoc aut penitus oblivioni darentur, aut ad extrema differrentur; utinam non ad *Infernum*, aut *Judicium!*

Stultum hunc egregiè imitantur, qui dicunt, ea, quæ ab ipſis modò differuntur, non omnino auferri. Se jam jam appropinquante vitæ periculo quæſituros modum cum Deo in gratiam redeundi: ſicut enim Divina vox Divitem monuit; ſic ipſis ægritudinem pro ſigno futuram, & nuncio, ut ſeſe recolligant. Itáne verò *Stultorum oculi ſemper in finibus terræ?* opportunitates, quæ ad manum ſunt, negligunt; futura remotiſſima, incertiſſima ſibimet pollicentur, cum omnibus ſuis deſignationibus prius in Gehenna ſe reperturi, quàm vel inchoârint conſcientiæ examen. Promittis ægritudinem nuncii loco tibi futuram? credam nempe te nuncio illi efficaciter pariturum jam jam cum morbis, & morte luctantem; qui integris viribus, capite ſereno, florenti valetudine toties vocantem Deum neglexiſti? Non hoc promittunt mores illi tui. Solebas quondam, cum fortè diem ſolemniſſimum celebraret Eccleſia, ab eo confeſſionem rejicere ad alium diem pariter celebrem, ad alias Indulgentias, Jubilæum aliud, quòd tunc opportunitas tibi major futura eſſet; venturum te ad hoc, illúdve Monaſterium, Confeſſarium, ad hanc Aram devotionem perſoluturum, tali Feſto, plenariis Indulgentiis, in populi frequentia celebri. Ad tot propoſita turbanda non eſt opus vel repentina hoſtili irruptione, vel nubifragio, non decreto Principis citatorio: modica alteratio, tempeſtas perfrigida, ſitis potu levanda ſat eſt, ut rationabiliter differendam exiſtimes converſionem ad Deum. Quid ergo? ſi ultimæ ægritudinis tempore ſimillimè te contingat ſentire, agere, loqui, uti nunc? ſicut modò de feſto ad feſtum appellas; à Natali Domini ad Quadrageſimam &c. ſic tunc, cum de Confeſſione admonebere ab amicis, dicas, nondum te ſentire periculum, ac more tuo à die Veneris ad Dominicum; ab hoc ad *Lunæ* procraſtines, & verificentur de levitate ingenii tui Gnomæ Spiritûs Sancti. *Stultus, ut Luna mutatur.* Item: *Vult, & non vult piger;* uſquedum repente proſtratis, exhauſtisque viribus obtineas ſtatum, in quo capax non ſis tui, & DEI. Et denique (quod veriſſimè antea monebam) pœnitentiam differas ad INFERNUM, & JUDICIUM, ibi eandem acturus eorum exemplo, qui in INFERNO dixerunt:

Qui, cum janus eſt, procraſtinat: eſt probabile etiam in ægritudine idem facturum.

Prov. 17. 24.

Eccli. 27. 12.

Prov. 13. 4.

Nos

Sap. 5. *Nos insensati! Ergo erravimus, & justitiæ lumen non luxit nobis.* Scelus sceleri adjungunt. Imprimis stultitiam Joan. 1. suam excusant defectu *Lucis, quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum;* cùm oportuerit quærere inter se, quid sit, quòd ii, quorum nunc gloriam, & coronas contuentur, Luci illi Divinissimæ oculos cordis aperuerint, ipsi verò clauserint? illi dictamina æternitatis secuti sint, ipsi mundi aphorismos, prudentiam carnis sectati? Videntur mihi infelicissimi isti in tormentis, & conclusionibus suis sensim reflectere se se ad præterita, & optare redire posse ad illos dies, & horas, & boni exercendi occasiones, quas antea maximo suo sempiternóque exitio neglexerunt. *Ergo erravimus!* Tunc scilicet; & jam repetere vellemus seriò, nec possumus, quia nec locus, nec sapientia apud Inferos, ad quos delati sumus. En novam stultitiæ segetem! Hic, ubi pœnitentia æternæ vitæ meritoria est; Deo gratissima, & acceptabilis, eam contemnere; atque inde, unde exitus nemini patet, cupere reverti? velle præterita retrahere tempora, dum tempus finitum est, & successit Æternitas?

Sed esto tam fatuus non sis, ut pœnitere in Inferno velis, te tamen pœnitentiam relegare ad aliquod tempus vitæ, quodcunque sit illud, quod tibi commodius futurum existimes. Hoc asserebat Ambrosius, perniciosius esse, quàm si statim in peccato mori tibi contingeret. *Gravius est* (inquit Sanctus ille Archi-Episcopus) *ad peccatum vivere, quàm in peccato mori: quia impius quamdiu vivit, peccata auget; si moritur, peccare desinit. Longè illis plus damnatio PROFUISSET, ne incrementa facerent peccatorum.* Quodnam profundum huic comparari queat? Quantò diutius spirat, & vivit, semper deterior fit conditio peccatoris; tum quia difficilior redditur obtentio veniæ; tum verò quia & ipse peccator difficiliùs convertitur ex statu pessimo, cui assuevit. Vel ergo vult converti, vel non? Si non: probet in IGNE, periclitetur digito flammas, quàm erit volupe *cum ardoribus habitare sempiternis?* Si porrò aliquando converti vult, *Cur non modò?* Sic Magnus ille Pœnitens ratiocinabatur secum in conversione sua: *Si aliquando, cur non modò?* Quæcunque enim rationes in medium afferri possunt, *Cur aliquando?* ipsissimæ militant pro *Modò.*

S. Ambr. de bono mortis, l. 7.

Habitutorum in peccato, difficillima conversio.

S. Aug.

Quodsi enim aliquando converti vis, sine dubio id facies, quia Deum iratum tibi habere non voles, qui est bonum tuum infinitum; quis enim velit habere hostem, quem totius boni fontem sibi reddere amicissimum possit? Optima ratio. At! at numquid idem DEUS OPTIMUS est hodie, qui aliquando necessariò tibi motivum Contritionis futurus est? *Aliquando* absque dubio erit providendum, ne æternùm pereat anima tua tanto pretio sanguinis JESU Christi redempta. Optimè. Sed heu Christiane frater, aut soror, numquid hoc momento æquè est pretiosa, atque tunc; & nunc æquè de salutis æternæ periculo vestro agitur? An fortasse ideò *aliquando*, quia in morte sicut sera confessio, ita dubia contritio, dubia salus. Bene ad rem; atqui momento quolibet obnoxius es fatali horæ, ne evoceris. Si ergo aliquando præoccupandum, *cur non modò? Non est Christiano nomine dignus, qui in eo statu vivit, in quo mori nollet.* An certè ideò, quia in Inferno ages equidem pœnitentiam, sed non consequéris Indulgentiam. Christianissimè. Si enim momentaneis pæne afflictionibus datur evadere æternas pœnas, quanta foret væsania eò differre pœnitentiam, cujus utilitatem nunquam experiêre? Denique ultra non potes appellare tuam pœnitentiam, nisi ad Tribunal Christi publicum, ac decretorium. Sic est, non plus ultrà. At quænam esset illa pœnitentia, quæ compunctio, etiamsi utiliter peragi posset (quod tamen fieri nequit) quæ post clausam gratiæ januam fatuarum exemplo Virginum instituitur? Non plus ultrà. Et ego conticesco.

Restat ergo AA. Si salutem vestram in tuto collocare cupitis, si Pœnitentiam in Judicio seram, in Inferno æternam prævenire vultis; si reconciliari offenso Deo, si placare Judicem, vobisque facere propitium intenditis; tempus agitur pretiosissimum, & sacratissimum Verbi incarnati, & nati; tempus, quô de cœlorum supernis *En AGNUS ad nos mittitur laxare gratis debitum;* jam jam præ foribus ad corda nostra pulsanti obviemus, *Omnes simul cum lacrymis precemur indulgentiam*, ut impetremus veniam; ut quem in communione suscipimus Salvatorem, læti Judicem videamus, Dominum Nostrum JESUM Christum.

AMEN.

IN EADEM DOMINICA
SERMO II.

In Cathedrali Jaurini, 1702.

Sub Principibus Sacerdotum Anna, & Caipha: factum est verbum Domini super Joannem in deserto. Luc. 3.

SUMMARIUM.

Natalem Domini, tempus esse maximè opportunum pœnitentiæ:

I. *Quia, cum Christo nato ad nos appropinquat regnum Dei, pax, & salus: igitur & nos illi appropinquare debemus.*
II. *Quia venit amicus cum gratia: igitur inimicitiæ ponendæ.*
III. *Quia venit Deus opertus sacco, & cilicio: igitur humilianda superbia nostræ vilitatis.*

Cur Evangelista, prædicationem Joannis insigniverit Anno, & Nominibus Regũ &c.

HOdierni Evangelii thema scripturus Evangelista: Annum, Reges, Pontifices, Duces, Tetrarchas literarum monumentis commendavit ut Historiæ mos est, cùm res inprimis memorabiles, ac scitu dignissimæ referuntur. Rem unam interea narrari video neo fortasse tam raram, sacrisque literis satis usitatam, ac frequentem, scilicet Eremum Dei voce honoratam: *Factum est verbum Domini ad Joannem Zachariæ filium in deserto.* Id quod mihi non ita mirum videtur, cùm aliàs sæpe fuerit vox Dei facta ad Prophetas: & quid in eo tam mirum, ac magnificum, quòd *super Joannem?* cum etiam ad scelestos, quos maximos terra protulit, vox Dei facta memoretur.

Quid ergo est, quòd cum hac Emphasi omnes rei gestæ circumstantiæ à sacro Scriptore annotentur? aliud non possum cogitare, nisi quòd combinando rei gestæ seriem, & clausulam, duplici ex fine *vocem Domini factam* animadverto: dicitur enim paulo post tam illustre exordium: *Et venit in omnem regionem Jordanis, prædicans baptismum pœnitentiæ in remissionem peccatorum.* Hoc ergo est magnum illud opus, quod notari oportuit per tempora nominibus Regnantium insignita; quæ enim res illustrior, ac mundo memorabilior fastis signari potuit ex parte hominum, & Dei, quàm Pœnitentiam prædicari omnibus, quâ summam in omnes misericordiam vult Deus ostendere, & illa his diebus cœpit stillare? Ex altera parte grande aliquid, quo cum tam arcto nexu conjuncta est pœnitentia assignatur, dum dicitur: *Et videbit omnis caro salutare Dei.* Duo hæc igitur significare vult Evangelii Scriptor, dum Annum *Quintum decimum Imperii Tiberii*, locum, tempus, sacros, profanósve Principes terrarum enumerat: ut in memoriali æterno signetur summa in peccatores Dei misericordia; hæc tempora nimirum fuisse divinis præordinata consiliis, quibus Sacramentum tot sæculis occultum generalis redemptionis exequeretur, per Filium suum invitando mundum à bello ad pacem, ab odio in gratiam, à vitiis ad pœnitentiam, à terris ad cœlum. Hic erat fructus adventûs Christi in carne, ad quem percipiendum ut ritè præpararentur corda populorum, jubebatur Joannes Eremi delicias, & quietem, cum Prædicatoris commutare officio, & generale populis Jubilæum annunciare: de quo jam antea cœlitus afflatus Zacharias Pater ejus vaticinabatur: *Et tu Puer, Propheta Altissimi vocaberis: præibis enim ante faciem Domini parare vias ejus: ad dandam scientiam salutis plebi ejus, in remissionem peccatorum eorum.* Luc. 1. Hoc est, quod deinde de suo rugiebat deserto Leo Angelicus: *Parate viam Domini.* Via Domini, quænam? nisi Pœnitentia, inquit Salmeron: Hanc ergo pœnitentiam, compunctionem, & conversionem à peccatis vocabat Joannes *viam Domini;* suadens eam argumento duplici; apud Matthæum: *Pœnitentiam agite, appropinquavit enim regnum cœlorum;* Salmer. Tom. 4. art. 15. Matth. 3. apud Lucam hìc: *Et videbit* (inquit) *omnis caro salutare Dei.* Luc. 3. Potentia duo argumenta, & rationes, cur hoc maximè tempore, quo Unigenitus Dei ad nos peccatores descendere dignatus est, per pœnitentiam ad Deum perfectè convertamur; sic, & non aliter intraturi *regnum cœlorum*, & visuri *salutare Dei.* Sic Joannes, sic ego hodie de meo deserto, in quod augustam hancce Basilicam

Nihil memorabilius signari potuit quàm mundum vocari à Deo ad pœnitentiam.

cam commutari opto magis, quàm mihi polliceor.

§. I. Ad ſcopũ Joannis, an fuerit medium aptum, Pœnitentia?

Conſiderato duplici argumento Joannis ad perſuadendam præparationem ad adventum Chriſti in carne: quia ex ex una parte cum illo *Regnum cælorum appropinquat;* ex alia, oculis ſuis viſuri eſſent *ſalutare Dei:* ad iſtos duos fines tam nobiles videtur mihi Joannes ineptum medium conſtituiſſe, *Pœnitentiam: Prædicans baptiſmum pœnitentiæ.* Quodſi enim totum mundum imaginabatur ſibi eſſe *Lazaretum* quodpiam variis languoribus oppreſſorum: in Chriſto verò magnum de cœlo *Medicum* appropinquantem: ſi inquam tanti adventus fuit Medici, debebat exhortari Joannes, ut expectent Medicum venturum, & non properent priùs ſe *ſanare* per pœnitentiam. Probo rem: Poſt Chriſti adventum, dicunt aliqui, debere fideles nihil dubitare de remiſſione, quia Agnus adventu ſuo delevit peccata mundi: igitur neque Joannes debebat exhortari ſuos ad pœnitentiam ante Chriſti adventum, ſed animare potiùs, ut durent in peccato; venturum mox Agnum Dei, qui habebit poteſtatem dimittendi peccata gratis. Sed longè alia Joanni mens! nam facto verbo Domini ſuper eum, jubebat priùs conſiderari vulnera, quàm adveniret de cœlo Medicus; prædicabat pœnitentiam, ut veniens Salvator corda inveniret contrita; prædicabat contra peccata remedium pœnitentiæ: *Baptiſmum pœnitentiæ:* ut cùm primò baptizantur. Argumentum ergo Joannis hoc erat, à neceſſitate præparandi, & diſponendi ad adventum Salvatoris interiorem domum animæ: quemadmodum ad componendam exteriorem domum, ſatis eſt famulis probis audire famam adventantis Domini. Et quid plus expectet Chriſtianus ad colligendam animam ſuam, quàm audire tanti Hoſpitis è propinquo adventum? In negotio hoc, domeſtico vobis argumento utor, & quæro: Quænam Regula eſt, quænam Lex in Veteri, vel novo Teſtamento, quòd a uditis Solemnitatibus imminentibus prævie ſic ſtudeatis ornatui, (quô an Deo, an mundo quæratis placere, vos ſcitis) Quid vobis ea dictat conſilia? Quænam *Rubrica* præmonet, ut tunc culina abundantiùs fumet, ut domus mundior, veſtitus concinnior, ac ſumptuoſior appareat? Dicetis, morem eſſe patriæ, feſtum eſſe lætitiæ, quô Chriſtus natus in mundum gaudium annunciavit *omni populo.* Sed ego quæro: Num idcirco venit Chriſtus natus, ut hæc fiant? Ego hæc præparatoria ad Chriſti adventum à Joanne deſiderata nunquam legi; hoc benè memini, eum prædicâſſe Pœnitentiam non qualemcunque, nec quocunque in loco: ſed ad *Jordanem*, quod idem ſonat, ac *judicium. Miſericordiam, & Judicium cantabo tibi Domine;* in quo ſcilicet debet conſiderare pœnitens, quid contra Deum auſus ſit, quid adversùs legem, & conſcientiam molitus? ut judicio hoc decidat, fueritne dignum, incommutabile bonum creaturæ poſtponere, & an dignum ſit aliquando ad Deum converti, quando Deus ad ipſum convertitur? *Cogitavi vias meas, & converti pedes meos.* Optimus effectus ſanctarum cogitationum. Hoc medium invenit Joannes ad dignè Chriſto occurrendum: *Prædicans baptiſmum pœnitentiæ.* Pſal. 118.

Ex argumento Hæreticorum videtur fuiſſe ineptum.

§. II. Primum argumentũ Joannis, ejúsque ſenſus, & efficacia.

Ad ipſum *baptiſmum pœnitentiæ* acceptandum ante Chriſti publicum adventum, è duobus validiſſimis, meo judicio, argumentis unum fuit: *Pœnitentiam agite; appropinquavit enim regnum cælorum.* Inſtet quis contra Joannem, & dicat: Si independenter ab hominis pœnitentia, imò ſuppoſitis graviſſimis mundi criminibus venit regnum cœlorum, quod eſt regnum juſtitiæ, & pacis in Chriſto; ad quid pœnitentia? Abſolvo difficultatem. Si regnum cœlorum venit cum Chriſto, quô fructu oramus quotidie dicentes: *Adveniat regnum tuum?* Itaque venit regnum cœlorum cum Chriſto naſcente, venit, ſed non *appropinquabit* ſine pœnitentia; ut igitur adveniat, & planè intra nos ſit, meritò Joannes *pœnitentiam* exigit, quæ faciet non ſolùm ut *adveniat*, neque hoc ſolùm, ut *appropinquet;* quoniam Chriſtianorum intentio non debet quieſcere in hoc, ut ſimpliciter adſit Dei regnum, ſimúsque non longè ab illo: quid enim mihi prodeſt, ſi regnum Dei adeò mihi vicinum, ut propemodum manu palpem, non ingrediar, ſed cum Moyſe veluti terram promiſſionis eminus videam, & moriar? Glorioſus Præcurſor Domini oſtendere volens, per adventum Chriſti in mundum, viciniſſimum eſſe Regnum cœlorum: orabat omnes, ne committerent, ut in tanta regni cœleſtis vicinia excludi ab eo ſe patiantur; ne perdant, quod Patres eorum tot votis fruſtra ſuſpirabant, tempus ſalutis divino conſilio ipſis præordinatum. Ecce, inquit, Matth. 6.

inquit, Regnum Dei per Christum gratuitò, sine ullis meritis vestris accessit ad vos, quidnî igitur properatis, ut per pœnitentiæ remedia ingrediamini illud? Ita est AA. Christiani, via in ingressum regni cœlorum non alia restat, nisi *Pœnitentia*, sine qua cum fatuis Virginibus ingressu prohibemur. Quæ enim participatio esse possit regni cœlestis cum iniquitate? Si regnum cœlorum est, in quo amici Dei inhabitant unius moris in domo, quænam justorum cum impiis communicatio? Si regnum illud est regnum pacis; quomodo illuc intrabit invidia, quomodo penetrabunt odia, inimicitiæ, & bella? *Quoniam* hujusmodi *regnum Dei non possidebunt*, hoc docebat Apostolus post enumerata gravissima gentium crimina, ne arbitrarentur se cum tali vita posse ingredi regnum Dei quantumvis adeò vicinum, ac propinquum: quia suppositis peccatis, & pœnitentiâ non deletis, denique verum est, ipsos foris remansuros. Videbitis, inquit, opum, & vanitatis gibbo depositò, camelos in regna cœlorum per angustum foramen acûs penetrantes, videbitis, sed quòd sequi nolitis, eorum gloriæ consortes non eritis. Videbitis ingredientes Publicanos, & ante ora vestra Meretrices, & Latrones diripientes regnum Dei, favore Christi sublimes considere in cœlestibus: & vos, qui cum iis pœnitere non vultis, foris remanentes invidiâ contabescetis. Nec idcirco putate vos injuriam facturos Christo vocanti, quòd eum sequi spernatis; ecce enim potens est ille de lapidibus istis suscitare filios Abrahæ, de quibus cœlestis regni muros construat, & adaptet; vósque quibus erat regnum prædicatum & promissum, æterno illius aditu excludat. Quæ si ita sunt, ut quantumlibet per Christum facta sint regna cœlestia adeò propinqua, atque patefacta, nemini tamen sine pœnitentia eò aditum esse; ex Joannæa prædicatione conficio, & deduco, 1mò. Quàm desiderabile est Christiano regnum cœlorum, tam desiderabilem esse debere *pœnitentiam*, quæ est via in illud regnum. 2dò. Cum Præcursor Domini dilectus demonstret adventu Christi cœlorum regna patefacta, & totus orbis Christianus cras celebrabit diem illum, quo Dei filius adventu suo piissimo mundum consecravit, infero: certissimè cum eo cœlum ad nos descendere; quæ igitur causa est, quòd adhuc dum in inferno versari nos existimemus sine ullo spirituali solatio, sine dulcedine cœlesti? Ratio est: quia regnum quidem *appropinquat*, sed nos appropinquare illi nolumus, & amamus foris miseri exilium nostrum, solliciti, ut mundo placeamus, ut corpus potiùs pascamus, quàm animam; ut mundo, carni, Diabolo sacrificemus cogitationes magis, quàm Christo per pietatem, devotionem, ac pœnitentiam: unde consequitur, ut Propheticus clangor de appropinquante regno pacis, & justitiæ; sit *Vox clamantis, prætereaque nihil;* & Christus sicut venit, ita discedit, quia in nobis nullam compositionem invenit; ut non immeritò vereàr, ne & his, quæ de altero Joannis argumento aliquantò fusius dicturus sum, idem eveniat, ut apud tepidos Christianos ea omnia in irritum cadant. Sed quemadmodum Joannem Jordanis ripas docendo oberrantem non deterruit multorum tepor, atque desidia, sic nec me franget oscitantia vestra. Æthyops sicut balneum ingreditur niger, sic niger exit; balneator tamen suum pretium accipit: nobis cum Joanne satis sit ad qualemcunque fructum horreo dominico inferendum, officio non defuisse. *Sub Principibus Sacerdotum Anna, & Caipha* (quis enim Prælatis talibus fructus expectandus?) *factum est verbum Domini super Joannem in deserto: & venit in omnem regionem Jordanis prædicans baptismum pœnitentiæ in remissionem peccatorum.* Prosequamur reliqua.

Quàm est desiderabile cœlũ, tam est necessaria pœnitentia.

Simile, ad tepidos Christianos.

Alterum Joannis argumentum ad animos in adventum Christi præparandos fuit, ipsius cœli Dominus humana carne vestitus: *Et videbit omnis caro salutare Dei.* Hanc tam nobilem, ac expectatissimam visionem utrum in præmium pœnitentiæ: an verò in argumentum accelerandæ pœnitentiæ suaserit Joannes, nescio. Utroque enim modo dici potest; hoc est: Agite pœnitentiam, secus non visuri *salutare Dei.* Grande præmium pœnitentiæ, appropinquans regnum Dei pæne manibus palpare; majus omnium, videre carneis oculis *salutare Dei*; quod deinde confirmavit Christus dum dixit: *Beati oculi, qui vident, quæ vos videtis, - quia multi Reges, & Prophetæ desiderârunt videre, & non viderunt.* Et hæc gratia vobis hodie aperitur.

§. III. adum argumentum à Christi Nati pœnitentia, ad nostram.

Luc. 10.

Ego in posteriore sensu accipio, quasi dicat Joannes: Desideratis videre *salutare Dei?* vultis cum fructu contemplari

plari faciem illam Angelis desiderabilem? En medium unicum, & efficaciſſimum! *Pœnitentiam agite*, ſic viam Domino præparâſtis; neque enim peccatis veſtris elongatus aliter approximabit ad vos ut amicus, quàm ſi inimicitias poſueritis, & oblatam amplectamini gratiam; quodſi vos nunc ad ejus pedes abjeceritis orantes veniam, & miſericordiam mille gehennas promeriti; qui futurus erat vindex noſter, fiet *ſalutare* veſtrum, totiúsque patriæ. *Humiliamini igitur ſub potenti manu Dei, ut vos exaltet!*

Pſal. 84. David quare priùs miſericordiam, ac dein viſionem Dei poſtulet? Pſal. 118.

Hoc eſt, quod petebat S. David affectuoſiſſimè: *Oſtende nobis Domine miſericordiam tuam*, & SALUTARE *tuum da nobis.* Petit videre *ſalutare Dei*, & Salvatorem mundi. O magnum poſtulatum, ſed non iſtis temporibus donatum! *Longè à peccatoribus ſalus*, tua verba ſunt ô Rex! & quonam medio, qui te peccatorem meminiſti, tam inuſitatum conſequêre beneficium, ut incarnatam ſanctitatem oculis, ac ſinu complectaris? Sed quia longè erat ſalutare iſtud ab oculis, orabat duo: primùm, miſericordiam: *Oſtende nobis, Domine, miſericordiam tuam;* alterum petebat: *Salutare tuum da nobis.* Domine mi Rex, procul ſit à me, ut te doceam orare; ſed ego dicerem: poſtula unicum, ut Deus det tibi *ſalutare ſuum*, hoc enim habito, quid deerit vel ad gaudium, vel ad alia ſpiritûs emolumenta? ſed ille principe loco memorat, urgétque miſericordiam: *Oſtende nobis Domine, miſericordiam tuam.* Sic enim oportebat; omnis divinæ miſericordiæ poſtulatio tendit quò aliò, quàm ad tollendam miſeriam, h. e. ad peccatum tollendum, quod imminet peccanti inſtar alicujus parietis, ne radii ſalutis in ſpirituales ejus oculos penetrent, & ita arceatur à videndo ſalutari. Itaque ubi abundat delictum, neceſſe eſt ſuperabundare gratiam, quæ & concitet, & acceptabiles faciat lacrymas, quibus maculæ abluantur peccatorum: quod volebat Joannes hodie præcipiens parari viam Domino per pœnitentiam, ut emundatis conſcientiis majori miſericordiæ locum præpararet.

S. V. Si Dei Filius ſtatim à Nativitate cilicio, & ſacco induitur: quid peccatores facere oportet?

In hac Baptiſtæ exhortatione aliud adhuc argumentum latere animadverto, quo probat Pœnitentiam eſſe medium ad videndum Deum. Videte conſequentiam: *Videbit omnis caro ſalutare Dei*, ergo pœnitentiam agite. An idonea hæc illatio? Optima. Vultis, inquit, ſcire, quis ille Salvator ſit cras de Virgine naſciturus, in ſecreto cum Matre Virgine colloquio jam Angelus edixit: *Quod naſcetur ex te ſanctum, vocabitur Filius Dei.* Luc. 1. Vultis cognoſcere ſcopum adventûs ejus in terras? idem docebit cœleſtis Legatus: *Ipſe enim ſalvum faciet populum ſuum à peccatis eorum.* Ergo veniet, ut tollat peccatum; *Ecce Agnus Dei, ecce qui tollit peccatum mundi.* O populi! ô gentes! ô peccatores quid agitis? convertimini ad Deum per pœnitentiam. *Venite adoremus, & procidamus ante Deum, ploremus coram Domino qui fecit nos*, & nunc venit, ut redimat nos: & craſtinô videbitis gloriam Domini, ſed in tam exiguo clauſam corpuſculo, & tam malè materiato ſtabulo, ut vobis certiſſimas lacrymas exciat humiliatus ad uſque jumentorum pedes Unigenitus, qui eſt in ſinu Patris. Potuit igitur ille innocens mortalitatis noſtræ cilicio veſtiri, vos vaſa iræ, & vaſalli inferni flecti non cogitabitis?

Aut ego hic fallor plurimùm, aut in noſtro *Joanne Jonam* perituræ civitati, niſi pœnitentiam agat, exitia minitantem videre mihi videor; tantum quod in eo *Jonam* prædico felicem, quòd is adhuc fluctibus pelagi madidus, concione ſua florentiſſimam terruit civitatem, Deique imperata facere coëgit; Joannem infeliciorem, quòd digito demonſtrans Agnum Dei venientem in mortalitatis noſtræ cilicio, oleum, & operam cum ſuperba perdidit natione. Sed libeat aliquantiſper tam pulchræ, ac illuſtri duorum Prophetarum, & Oratorum comparationi immorari. *Jonas*, latibulis fruſtra quæſitis, in quæ ſua eum præcipitabat temeritas, an *timor, ubi non erat timor?* poſt perſolutum naulum, poſt pericula naufragii, & inauditi carceris, de Ceti viſceribus in pelagi littora ejectus, inediâ, ſqualore, pudore, & tot cœleſtibus prodigiis perterrefactus, atque compulſus mandatam ſibi divinitus Miſſionem adit. Nec opus erat alio teſtimonio, ac ſignaculo, quòd à Deo mitteretur in hanc Provinciam, quàm ipſo veſtimentorum madore, quem è profundo maris extuliſſet. Longè plura, eáque maxima erant, quæ *Joannem* noſtrum populo admirabilem facere poterant: generis Sacerdotalis dignitas, ſanctitas ex utero Matris tot cœli vaticiniis præſignata; educatio ſanctiſſima, fuga ſæculi, Eremi puritas, vitæ candor,

dor, innocentia, modestia Angelica, studium orationis: accedebat exterioris habitûs austera, nec ante eum diem visa novitas, quæ sola posset ex tam illustri corpore sanctitatem aspirare videntibus: *Ipse autem Joannes habebat vestimentum de pilis camelorum, & zonam pelliceam circa lumbos suos.* Nunc reliqua prosequamur. *Jonas* divino imperio ignotus ad barbaros mittebatur ignotos: *Joannes* cœlesti oraculo de umbra in solem, de eremo vocabatur in cathedram, nec ad gentem profundi sermonis, aut ignotæ linguæ; sed in Urbes Israël, ad populos cœlo fœderatos, ad progeniem Regum, Patriarcharum, Prophetarúmque nepotes destinabatur, cœlesti lumine imbuendos. *Jonas* Ninivæ mœnia, Urbem frementium bestiarum, Idolorum sedem, & regnum vix à limine ingressus, oculis in cœlum sublatis, gravitate prophetica sententiam Dei attonitis denunciat civibus: *Adhuc XL. dies, & Ninive subvertetur.* Durabat feralis, & inauspicatus iste sonus, quantum uno die spatii per frequentissimam illam Assyriorum Regum Metropolim confici poterat. Audiebant tabernæ, fora, compita omnia sonum vocis formidabilem; concutiebat arces, palatia, theatra propheticæ clangor buccinæ: *dies XL.* superesse, ut Urbs divino jam damnata judicio in tumulos subsidat, fiátque Ninive, sicut acervus lapidum. Et, ut fidem habeatis dictis, inquit, En crines adhucdum rorantes! en vestimenta corporis mei recenti maris naufragio madentia! in quæ me pericula prædicationis hujus fuga conjecit. Ego vestri causâ in mare ejectus, Ceti ventre glutitus, triduo carcerem inauditum incolui; quô denique hospitio liberatus, atq; eductus, Urbi vestræ redditus sum, ut aut vobiscum peream, & involvar, si in pertinacia persistitis; aut salutis, libertatisque vestræ consors efficiar, si periculum pœnitentiâ præoccupatis. Quid fit? Nemo unus ex innumerabili illa multitudine reperiebatur, qui nedum reprehendere Vatem sanctissimum, sed vel disceptare, ac ex eo quærere auderet, ob cujus delictum immineret tale periculum Urbi? Et jam rumor tota percrebrescebat Civitate, dum ad ipsam Regiam perveniret populorum voce perlatus Propheticæ prædicationis sonus, & fulmen. Nunc videte consequentiam, & fructum. Rex illa concione commotus surgere de solio suo, paludamento se regali nudare, corpori aptare cilicium, relegare procul thalamos, mensas; insuper edictum scribere *ex ore Principum*, ac generale urbi maximæ imperare jejunium. Viso Regis exemplo Regina cum Gynecæo, Aula cum Ministris, omnis ordo, senatus, populúsque infandorum criminum horrore concussus, profusis lacrymis in cœlum clamare; nec casso eventu; Civitas, quæ culpâ suâ peritura erat, lacrymis stetit, dum minas Dei saventiori sententiâ commutavit. Habetis exemplum illustrissimæ conversionis Jonâ prædicante, & Rege in cilicio præeunte.

Jon. 3.

Admirabilis morum mutatio in Barbaris.

Contrà *Joannes* dotibus, quas diximus, maximis, pulcherrimisque instructus, oracuło divino fultus, ipsa facie, ac habitu sanctitatis quendam pallorem, ac reverentiam spirans, eremo ad tempus deserta, *Venit in omnem regionem Jordanis* prædicaturus filiis Israël pœnitentiam, & fidem in Christum venturum: & ut illum digni essent suscipere hospitem, afferebat, quæ audivistis suprà argumenta gravissima, verum apud plerósque frustranea, quorum durata jam erat facies supra adamantem. Nihil pæne commovebantur. Orabat ut Angelus, rugiebat in peccatores, ut Leo deserti, erat *Vox clamantis, Parate viam Domini!* audiebatur à paucis, negligebatur à plerisque. Ostendebat ipsis non unam Niniven, sed à condito terrarum orbe genus omne mortalium certissimè perdendum, ac delendum, nisi pœnitentiam agant, & hoc vel ob unicum Regis nostri Adami delictum, quod usque hodie cœlos ligat, & terras catenis maledicti vincit, nunquam solvendas, nisi Deus fiat homo, & patiatur. Et ut hunc Deum hominem (inquit) non tam auribus vestris (quod erat satis ad fidem, & pœnitentiam) exhibeam, sed oculis ipsis ad videndum subjiciam: O filii Israël *Ecce Agnus Dei! ecce qui tollit peccatum mundi!* Pro delicto Adami, & periculo mundi totius quid fecit Dei Filius? Ecce prior surrexit de solio, divinitatis suæ paludamentum mortalitatis nostræ cilicio commutavit, ipse in stabulo, quô nos præcipitârunt scelera, ad jumentorum pedes abjectus jacuit; in tenerrimo corpusculo flevit, esurivit, lacrymatus est; quid aliud corpusculum illud, quid ora, quid habitus clamant hodie, quàm *Pœnitentiam in remissionem peccatorum?* Quid stabuli angustiæ? quid rigor hyemis? quid panni, & fasciæ? quid

Plus valuit Regis Ninive cilicium apud barbaros: quàm Dei filii infinita sui humiliatio, apud Judæos.

quid os tenerrimum, ac balbutiens? quid silentium Verbi, per quod omnia facta sunt? quid inediæ, sitis, nuditas, relegatio deliciarum? quid hæc omnia aliud spirant, nisi *Pœnitentiam*, quâ Adami delicta eluenda misericors suscepit. Si vos, qui Adamum peccatis vicistis, cum eo fiere, & lacrymari renuitis: habetis quod in Messia divinissimo imitemini. Videtis ejus vultum, videtis habitum. Rex vester, innocens in cilicio, Sanctus in stabulo, Deus in carne fragili, ad jumentorum pedes alget, lacrymatur; & vel tanto commoti exemplo oportebat illacrymari salutis vestræ auctori, & cum pœnitente pœnitere; neque enim res illius agitur, sed vestra: etsi Dominum gloriæ huc oportuit propter vos descendere, vos quid in causa vestra facere oporteat, animis reputate. Ego vobis prædico, nec Christum vobis profuturum sine *Pœnitentia*, & quanquam Regnum cœlorum adeò propinquum cum eo factum sit, ut propemodum manu palpari possit, vos tamen beata illa felicitas consortes non admittet, si cum pœnitente Deo homine humiliari recusatis.

Talis erat ferè oratio *Joannis*, invitantis omnes ad videndum *salutare Dei* pro nobis infinitè humiliatum, ut tanto animati spectaculo alacrius opera pœnitentiæ suscipiant, quibus exercitati facilius in admirabile lumen Dei ingredi possint. Hæc Joannes dixit, & quo fructu? Colligitur ex Christi dictis, qui deinde ad filiorum Israël ruborem dicebat: venturum diem, quô *Viri Ninivitæ surgent in judicio cum generatione ista, & condemnabunt eam: quia pœnitentiam egerunt in prædicatione Jonæ, & ecce plusquam Jonas hic.* Ninivitis videre seu Jonam recenti maris naufragio madidum, seu Regem suum cilicio vestitum: erat maxima ad persuadendam pœnitentiam oratio; Judæis parum erat intueri Joannem zonâ pelliceâ amictum, monstrabatur illis ipse Deus mortalitatis nostræ sacco indutus, nec tamen silices illi, nisi pauciissimi, compungebantur. Solent, qui humani sunt, alios videndo lacrymantes, excitari ad misericordiam: *Dum spectant oculi læsos, læduntur & ipsi;* istos non ipse Dei pro nobis humiliati vultus, non lacrymæ, non sudores, non fames ac sitis ad pœnitentiam commovere valuerunt.

Matth. 12.

Sed quid mirum, qui in bruta degeneravimus, qui nec ratione ducimur, nec humanitatis tangimur sensu, quòd exemplis tam potentibus non commovemur? Utinam! hac in parte felicior ipse sim Orator, & dum Christianis digito demonstro seu regnum cœleste cum Christo nato appropinquans, seu ipsum *salutare Dei*, mortalitatis nostræ cilicio indutum, & ad usque jumentorum pedes humiliatum: impetrem ab iis ad suscipiendam gratiam, veram dispositionem pœnitentiæ! Cras, Christiani, videbimus Unigeniti Dei ocellos mari lacrymarum innatantes, vósne in lubricis gaudiis sacratissima solemnia transigetis? Illum cras videbimus lacte virgineo potari, & suprà ab Angelis honorari: an vos crapulis, ac ebrietati studebitis? Absit. Scio bruti illius vocem tam fuisse validam ad commovendas Petro lacrymas, ut audita Galli voce ocyus Pontificali atrio se ejiceret, & fleret amarè. Jonæ prædicationis fructum audistis: *Ecce plus quàm Jonas hic!* perorat non voce, sed lacrymis; clamat paupertate, clamat tenerrimo corpusculo; quidnam illud? *Baptisinum pœnitentiæ in remissionem peccatorum.* Ut si fieri possit, tam innocentes adventanti Agno occurramus, quàm fuimus primum, cum baptizati sumus. Id quod fiet per Sacramentalem Confessionem exuendo veterem hominem, & induendo *novum, qui secundùm Deum creatus est in justitia, & sanctitate veritatis.*

Conclusio ad Christianos, ut tanto exemplo animentur ad pœnitentiam.

Matth. 26.

AMEN.

IHS

IN

IN EADEM DOMINICA
SERMO III.
AD CONGREGATIONEM AGONIÆ.

Jaurini, 1702.

Videbit omnis caro salutare Dei. Luc. 3.

SUMMARIUM.

Imminentibus Natalis Dominici gaudiis de JESU Christi Agonia tractare; Bethlemum combinare cum Calvaria, Præsepe cum Cruce; Pastores cum Carnificibus; Reges Christi vestigia osculis, & auro honorantes, cum clavis, & lanceis permiscere; nihil novi esse dicit Orator. Ibi Gloria in altissimis Deo *canitur, hìc multò ampliùs; ibi lætitia, quia nobis Salvator oritur: hìc eò etiam ampliùs, quia moritur, & Mors illius, ac Passio, est Christi, & nostra vera Nativitas omni* Cant. 1, 12. *populo gaudiosissima.* Fasciculus myrrhæ dilectus meus mihi: inter ubera mea commorabitur. *Ita Agoniæ Congregatio hodie ad Christum! & ubera præbens Nascenti, & myrrham reservans Morienti.*

NB.

Eruditus Ecclesiastes novit, pulchram, clarámque Propositionem *Thematis, esse vice* Exordii *Oratorii, quod in hoc Summario factum est. Omisso proinde fusiore Exordio, ad* Confirmationem *nobilissimæ veritatis hujus, videlicet: Quemadmodum Christus sanguine suo nos vivificando, amorem suum ostendit: sic in ejusdem Passione nobis tanquam in vero NATALI lætandum.*

§. I. Visio salutaris Dei in Bethlehem, & in colle Calvariæ quomodo similis, & dissimilis?

QUòd Solem Christo Nato exortum, eúque moriente lucis suæ radios absondentem, an veriùs tunc multò maximè effulgentem talibus oculis, qui per fidem vident; in argumentum dicendi hodie assumpserim, Textus me sacer compulit: *Videbit omnis caro salutare Dei.* In hoc Verbo, *Videbit*, sita est tota paritas, & disparitas gaudii de *salutari Dei* cum oritur, & cum moritur pro homine. Paritas est in eo, quod externè videbatur sive in nascente, sive in moriente. Amantium more in præsepio nudus jacuit: nudus & in Cruce; ibi, quò reclinaret caput, proprium hospitium non habuit: in Passione similiter extra Urbem agonem pertulit; in stabulo inter bovem, & asinum reclinabatur: in Calvariæ colle medius inter duos Sicarios affigebatur Cruci; ibi unicum solatium Mater, nescio, an doloris mater, an amoris? eadem & hìc juxta crucem stabat mœstissima; ibi denique vagitu, & lacrymis salutat mundum veniens, lacrymis salutat & discedens. Hucusque paritas *visionis.*

His non obstantibus, dicetis nihilominus Christi Natalem jucundissimum, longéque exoptatissimum venisse terris, quia eo Nascente exoriebatur Sol, & Salus, & cantabatur Pax; meâ quidem sententiâ asserere, haberéque certissimum deberetis, tantò surrexisse jucundiorem mundo diem, & horam, qua Christus vitam pro vobis suam posuit, quantò plus est consummâsse redemptionem, quàm inchoâsse; & in finem usque dilexisse, quàm diligere incepisse. An in exordio salutis, an in consummata, perfectáque Victoria plus gaudendum? judicate. *Videbit omnis caro salutare Dei.* In Nativitate totum solamen est, *Vidisse;* quocunque aspicias, ad præsepe, stellam, Pastores, Reges, munera, Matrem, Nutritium, Angelos: verè sola *visio*, & nihil aliud; & quid in ipso cœlesti Parvulo? Corpusculum in fœno algens, lacrymæ, ploratus, aliud nihil. Jam si *salutare Dei* vel sic *vidisse* est fons gaudiorum; Vacare, & videre; gustâsse quæ ibi absondita, & arcana latebant, an plus sit, cogitate. Illa nobis aperiet dies, quo spectabimus *Salutare Dei* non jam Simeonis brachiis gestatum, osculis, amplexu recreatum, sed inter Sicarios medium, extensum, vulneribus deformatum, atque cruentum. Ibi cunæ rigantur auro & thure Principum: hic lanceis pectus rimantur; ibi fovetur basiis, hìc oneratur sputis, lacessitur maledictis, sepelitur injuriis, sanctitate partum, quæsitum miraculis decus, fama,

In Nativitate visio Salutaris Dei secundum ea, quæ foris?

ma, nomen *quod eſt ſuper omne nomen*, proſcinditur contumeliis. O verè facies alia rerum, quàm in Bethlehem! *Vadam, & videbo viſionem hanc grandem* ſummi doloris, an gaudii argumentum? Gaudii dico, & lætitiæ; quia Paſſio aperuit in viro, quæ latebant abſcondita in Infante.

In Morte, Viſio ſecundùm ea, quæ intus abſcondita.

In præſepio quid? Erat *viſio*, viſio ſacci, & quo divinitatis purpura tegebatur, viſio cilicii: accedat lancea militis! rimetur, ſcrutetur nobis hoc integumentum! & ſubſtantias veri gaudii latentes ſic aperiet, ut aliquando cantet omnis caro: *Conſcidiſti ſaccum meum, & circumdediſti me lætitiâ.* In Bethlehem *viſio* ſacci, in Calvariæ colle apertio, & profuſio latentis pecuniæ, lytri, ac pretii Redemptionis noſtræ. Verè *pretio magno empti eſtis!* quod tunc pretium tegebat nox, quando lux in tenebris delituit; occultabat Bethlehem, ſtella vulgabat; Herodes ſuſpicabatur; Joſeph, ne perderet, verebatur; tandem Calvariæ clavi, rubi, lancea patefecerunt, quando perfoſſo ſacco, redemptionis noſtræ theſauros palàm profuderunt. In præſepio, tenello in corpuſculo erat *viſio* lagenæ Gedeonis: in Calvaria complosio, atque confractio, cùm inſolito terræ motu, velo Templi ſciſſo, Sole obtenebrato, concuſſis, ac nutantibus petris, de lagena fulgor Divinitatis erupit tot portis, quot vulneribus, ac vibicibus; ut collucentibus tantis repentè luminibus Madian terreretur, Eccleſia lætaretur. *Conſcidiſti ſaccum meum, & circumdediſti me lætitiâ.* Lætitiâ inquam, quæ naſcente, an moriente Chriſto? uberior, magnificentiórque nobis obtigerit, ex his puto vos colligere poſſe, quæ attuli de diſparitate utriusque *Viſionis. Videbit omnis caro ſalutare Dei.*

Pſal. 29. 12.

1. Cor. 6. 20.

Verum enimverò dubitabitis adhuc credere, quî fieri poſſit, ut in ſummis Chriſti cruciatibus, & injuriis exultet Chriſtianus, & materiam gaudii requirat Natalitii, in occaſu Domini ſui? ſi ſic eſſet: neque in ipſo Sacratiſſimo Natali Domini affulgeret Chriſtiano materia gaudii; quid enim in Bethlehem videas, quod non in ſummam humiliationem Filii Dei deſerviat? jam tum ejus animo dolorum, & acerbitatum omnium cumulus vivaciſſimè repræſentabatur, ſic, ut meritiſſimè dixerim, Chriſtum non horis tribus, ſed totis triginta tribus annis in cruce inviſibili jacuiſſe; hoc hoc non obſtante verum pariter eſt, dolores illos amoris magnitudine ſuperatos ceſſiſſe Chriſto lætitiæ, dum in Cruce, velut thalamo purpureo, præclariſſimo Amoris, & Gratiæ connubio mundum vitæ gigneret meliori. *Mortuus erat, & revixit.* Ergo alter tunc mundi Natalis longè gaudioſiſſimus agebatur, cum inter dolores Amor, & Gratia, Chriſti morte, tot mortuis vitam contulerunt immortalem.

§. II. Amor Chriſti patientis fuit tantus, ut ineffabili exceſſu dolorem omnem ſuperaverit.

Repetamus verba doloris, & factis amoroſis conferamus, ac tunc de vero Chriſti, noſtróque Natali decernamus. Si dolor ſuperaverit Amorem, flete! Si triumphaverit Amor de Dolore, gaudete, quia *mortui eratis, & revixiſtis;* & duplicatam habetis gaudendi materiam, & Chriſto naſcente inchoatam, & moriente perfectam Natalis Veſtri lætitiam. Age, ponamus ad bilancem, quæ dolor fecit, & quæ amor. Inter omnia ſigna amoris, vel indicia doloris teſtis melior proferri nequit, quàm lingua, quia *Ex abundantia cordis loquitur;* ſi cor amat, cor amantis quàm alia eructat verba, & ſigna ab illis, quibus dolorem manifeſtat, & luctum? Pro cauſa, quam in hoc foro habet Dolor, negari non poteſt, Virum dolorum Chriſtum locutum fuiſſe totidem linguis, quot vulneribus; & quidem occultum interioris animi martyrium, & crucem verbis illis prodidiſſe palàm eſt: *Triſtis eſt,* inquit *anima mea uſque ad mortem*, ut niſi acerbitas tot paſſionum ſub unum conſpectum Chriſto repræſentatarum à Divinitate impedita fuiſſet, parùm fuiſſet ſanguinem ſudare, niſi & ipſo momento moreretur. Jam illa cum morte luctantis Oratio ad Patrem, quantum animi defecti indicat deliquium, quâ petebat *Calicem* à ſe *transferri? calicem* inquam, pro quo verbo poterat juſtiùs *mare* dolorum dicere: *Veni in altitudinem maris!* ſine ullo reſponſo tam validam, urgentémque precationem transmiſſam, nec exauditam ſtupemus; in coronatione, in flagellatione non verbum, non gemitum, non ſuſpirium editum; in affixione ad Crucem ne vocem querulam, nedum ejulatum auditum. Heu delicatos nos, qui ad minimam injuriæ vocem cœlum lamentis implemus! Ultima ad Patrem verba ſummi fateor doloris argumentum erant: *Ut quid dereliquiſti me?* Verumtamen hæc omnia mœſtitiæ ſigna ſi ſpectemus, Amore ſuperata videbuntur. Verba

Matth. 12.

Matth. 26.

dolo-

doloris, cum factis amorosis comparemus. Nam ut omittam, Christum ad vocem illam in horto, *Tristis est anima:* toto corpore procidisse in terram; & ad calicem passionis se continuò divinæ dispositioni conformâsse; & in Cruce cum interpellâsset Patrem, mox capite inclinato tradidisse Spiritum: quæ certè omnia summam, & Patris æterni reverentiam, & animarum nostrarum amorem videntur indicare; quis enim fugit pati pro alio, & amat? Deinde majorem charitatem nemo habet, quàm ut animam suam ponat quis pro amico, nedum ut ille, pro inimicis? Hæc est suprema
Joan. 13. amoris corona, de qua Joannes: *Sciens JESUS, quia venit hora, ut transeat de hoc mundo ad Patrem, cùm dilexisset suos, in finem dilexit eos.* Quid enim verò est, *in finem?* idem est, ac dicere: In mortem rectè dum iret, tum enimvero maximè *dilexit;* nec id quomodocunque, sed *Cùm dilexisset; dilexit.* Ex quo colligimus, omnia anteactæ vitæ opera non fuisse, nisi *dilectionem*, & cùm veniens à sinu Patris, primò salutaret mundum, cum hac Epistola advenisJoan. 3. se: *Sic Deus dilexit mundum, ut Filium suum Unigenitum daret.* Et totum processum Christi, & verba, & facta scrutemur. Quid enim panni isti, quid fasciæ? quid præsepis angustiæ ad Dominatorem terræ? aliud non audies, quàm: *Sic Deus dilexit mundum.* Ut verò ostenderet Unigenitus Patris suum cum ætate debere crescere amorem, ac virtutem, dum octavo à Nativitate die primam pretiosi sanguinis misit guttam; si requiris causam, aliud non audies, quàm *sic dilexit!* at ubi in passione plenis cataractis sanguinem profundet, non simpliciter, sed: *In finem dilexit.* O initium gaudiosum! sed ô finem amarissimum! *In finem*, & tam cruentum *dilexit eos!* Videte nunc, an palmam adjudicabitis Dolori de prostrato Amore; an verò Amorem de Dolore triumphâsse fatebimini? *In finem dilexit eos.*

§. III. Eucharistiæ institutio summum amoris signum: & Christi mors ante mortem præoccupata.

Ne autem solis verbis rem tantam dixisse sufficiat, multiplices Amoris istius spectate industrias, & longè pulcherrimos effectus *in finem.* Finis Christi ultimus, fuit excessus è vita, & mors amara valde: & quia decretum cœlitus tempus antevertere moriendo non licuit, qui venerat alienam voluntatem facere, non propriam; quid illius amor excogitavit, audite; audite inquam,
Joan. 13. & obstupescite! *Pridie, quàm pateretur, accepit panem*, & consecravit in *corpus* suum. *Similiter & calicem* in *sanguinem* suum. Quid hoc est, *Pridie?* Scio, quia imminet hora exitûs mei, quæ mihi tametsi expectatu longa sit, ecce præoccupo illam! ac nequis vestrûm cum me in tormentis illis viderit, dubitet de amore, quo feror in omnes vos, aut putet invitum me talia perpeti, aut vestri exuisse memoriam: ecce inquam, do experimentum modò, cùm sum liber, à nemine vinctus, jam ostendo amorem, jam condo Testamentum, in quo animam, & corpus meum, in quo divinitas inhabitat, vobis fruendum relinquo & lego: *Accipite, hoc est Corpus meum, quod pro vobis tradetur.* Nescio sanè, an de hac Sacramentali immolatione sui, an de finali illa & cruenta suprema que protulerit illa amoris verba: *Desiderio desideravi hoc Pascha man-* Luc. 22. *ducare vobiscum.* Quo dicto, non *Pascha*, sed *hoc Pascha*, quod futurum nempe erat ultimum, & post quod sequebatur immediatè sui corporis realis immolatio, satis innuit aliquid se *hoc Paschate* præbiturum, quod nullo anteactæ vitæ Paschate præstitisset, nimirum *Eucharistiam*, in qua moriturus ante mortem erat. Vehementer amantium hoc est.

Quos in fines Christus exultanter cupivit mori?

Vestrum hìc iterum judicium peto; si quem audîstis desiderio desiderantem mori, cogitatis illum aut tædio hujus vitæ affectum talia petere, & loqui, cùm *melior* sit *mors, quàm vita amara:* aut potiùs ex præclaris aliis ejus virtutibus conjicitis, illum verè *cupere dissolvi, & esse cum Christo*, præsertim si prævideat ex morte sua gloriam nihilominus orituram. Ita dicebat Elias: *Domine* 3. Reg. 19. *sufficit mihi! tolle animam meam, neque enim melior sum, quàm patres mei;* ita in medio calore victoriarum de Idololatris, & Tyrannis, quasi fessus mori petivit, & pacem triumphis omnibus potiorem elegit: *Sufficit mihi!* Compescui Reges, lucos, & aras sacrilegas everti, Religionis veræ desertores occidi, occidi! gloriam tuam statui, & mala recepi; *sufficit mihi! tolle animam meam!* utique gloriam ex sua morte orituram prævidebat, eòque festinabat. Alii gloriæ cupidissimi fuerunt morte contempta: ita Neronis Mater cùm oraculo prædictum audiret, se à Filio occidendam, si is solium tenuerit: *Occidat*, inquit, *modò imperet;* nihil moror mortem, dum Cæsaris dicar Mater. Videtis in hac Matre, quomodo inordinatus

Eccli. 30.

Filii amor mortis aculeum superârit ultra conditionem sexûs; contempsit inanis gloria mortem, dum Regem haberet Filium: quid putatis, quantum Christo desiderium moriendi accenderit honor æterni Dei Patris, triumphus super capitales hostes Mundum, & Diabolum; gloria, ac nomen æternum, apertio cœlorum, salus, ac reparatio generis humani? Qui pulcherrimi victoriæ fructus quia pendebant ex diei sequentis pugna, atque conflictu generali, idcirco sub finem cœnæ illius sacratissimæ dicebat, se *desiderio desiderâsse hoc Pascha*: quoniam hoc Pascha immediatè sequebatur Passio, Passionem mors, mortem Resurrectionis Triumphus, hunc denique humani generis salus, pax, libertas. Hic ille erat Baptismus sanguinis, veluti mare rubrum, quo diviso, atque patefacto & peccata mergerentur, & animæ salvarentur: *Baptismo habeo baptizari: & quomodo coarctor, donec perficiatur?* Si de baptismo sanguinis agitur, numquid in circumcisione sanguis jam fusus? numquid ille sanguis baptismus jam erat? numquid sufficiens erat redemptio? Erat, sed non *copiosa redemptio*. O nos imbelles, qui putamus multa agere, & magna pro Deo, & proximo, si guttam sudoris fudimus! Optat Redemptor, ut totis artubus flagelletur, totus in sanguinibus natet; optat, ut moriatur copiosè, & cadat ditissimè, multos morte sua erecturus, & mundum secum elevaturus jacentem. *Et quomodo coarctor, donec perficiatur?* Quasi amor iste patiendi sit ineffabilis, & indicibilis, ut Verbum Patris, quod infantium linguas efficit disertas, in hoc amoris thesauro explicando usum sit tali compendio, & verbo abbreviato: *Quomodo?* Hoc unum satis sit mihi, & vobis: non aliò *modò*, nisi miseratione, & amore tali, tantóque, qui mortis aculeum, dolorésque omnes superaverit. Si ita, habetis Amorem de Dolore triumphantem, & in hoc foro victorem; habetis mundum spontanea Christi morte liberatum, & erectum; habetis unius occasu reparatam multorum vitam, salutem assertam, libertatem restitutam, cœlum apertum; ut hodie meritò vox exultantis Ecclesiæ per omnes mundi fines resonet ad Christum Reparatorem: *Tu devicto mortis aculeo aperuisti credentibus regna cœlorum!* Ut ego *Agoniam*, & mortem hanc mutato vocabulo, dicerem potiùs auspicatissimum diem victoriæ, & vitæ meridiem fulgentissimum, in eóque, tanquam in vero Christi, nostróque Natali esse lætandum, & gratulandum.

Luc. 12.

Christus voluit non solùm mori, sed copiosè mori, & ditissimè cadere.

§. IV.

Et nî fallor hoc erit, quod ad præsentem Agoniæ cœtum, universósque fideles sub *filiarum Sion* persona dicere voluit Christus bajulans sibi Crucem: *Filiæ Sion, nolite flere super me!* nimirum diem hunc non esse diem fletûs, diem luctûs, sed gaudii, ac lætitiæ. *Istum planctum Dominus JESUS sibi dedignabatur impendi, quia non decebat luctus Triumphum, nec lamenta Victoriam.* Habetis novam Amoris de Dolore victoriam. *Nolite flere super me*, quòd hoc sagum, & carnis meæ cilicium videatis conscissum, ruptum, vibicibus deformatum: ex illo vobis profluent pretia redemptionis, captivitatis lytrum, quo vincula solvantur, & libertas statuatur æterna. Neque sub onere ludibriosæ Crucis hujus fatiscenti condolete! in hoc ligno posita totius mundi delicta putate, quæ hodie mecum cruci confixa meo sanguine delebuntur; nec me mori ægre ferte, neque enim fieri potest, ut granum frumenti germinet, nisi ceciderit priùs in terram; si autem ceciderit, multum fructum affert; fiet enim, ut ex grano hoc mortis meæ, spica resurgat Ecclesiæ, centenarii numeri ponderе fulgescens; denique si videbitis Militem pectus meum lanceâ rimantem, fodientémque divinum parietem, inde vobis thesauros Jubilæorum, & Sacramentorum promanaturos existimate; peccatorum inde remissionem, & pacem sanguine meo constituendam, cœlestisque Patris dexterâ firmandam, nec unquam violandam. Quæ tam rara, tam divina emolumenta Passionis, profectò non luctum indicant, sed gaudium, sed vitam, sed Amoris magnificentiam singularem, & jucundissimum Christo, nobisque gratulandi argumentum. O Felicem sub Crucis Labaro Agoniæ cœtum! Felices animas, quæ *Bethlehem*, domum panis, cum *Calvaria* jungunt; Præsepio consociant Crucem; paludamento Regum, & auro cunarum, cataractas sanguinis; basia Simeonis cum blasphemiis Pontificum; ubera Matris cum Lancea militis; Angelorum nocte natali cantum, cum vociferatione Judæorum: *Tolle, tolle! crucifige eum!* Denique Solem in Nativitate Christi exorientem, cum Sole radios in Christi morte abscondente dicam, an magis effulgente? ut verè gratiæ, ac justitiæ Soli tunc

Luc. 23.

S. Leo.

Christus mortem suam fleri prohibet, & cur?

Sapientis animarum est cum Natalitiis Christi gaudiis conjungere, Passionis inæstimabiles fructus.

inscribi

inſcribi debuerit: *Ortus ab occaſu.* Neque enim vel Bethlemi deliciæ omnes, niſi Calvariæ ſanguine reſperſæ, perfectum Chriſtiano dant lætandi argumentum. Sed & vos ô filiæ Sion, ſiquando per ora veſtra devolvuntur guttæ lacrymarum ab aſpectu Crucifixi; ſiquando ori, uberibúsque veſtris adſtringitis, Cant. 1.12. apprimitis *faſciculum myrrhæ*, doloroſiſſimam agoniam, & vulnera Dilecti veſtri; ſiquando illius pedes cum Maria rigatis lacrymis, & oſculis extergitis: id facitis, non ut lamentis, & luctibus triumphalem Crucifixi Victoriam ſiſtatis, quæ vobis immortalem peperit vitam, ac gloriam; ſed potius doletis, vos Dilecto veſtro tot aſpera patiendi cauſas præbuiſſe, atque pro tam ineffabili amore nondum ſatis gratos videri.

§. V. Quo ſenſu Chriſtus dixerit: Flendum potiùs ſuper nos ipſos.

Quocirca nec Natalitiis Chriſti gaudiis adſperget luctum, qui *Bethlehem* cum *Calvariæ* colle conjunxerit, quemadmodum facitis hodie Agoniæ Chriſti devotiſſimi Sodales: ut & Chriſto nato ſpiritualis vitæ initium, & pro vobis morienti perfectam animæ ſalutem in acceptis grati referatis; nec Chriſti morte partam turbabit lætitiam, ſed augebit potius, qui Chriſto patienti ſingultus, & lacrymas impenderit, aut ſibi magis, quàm Chriſto. Propterea non ſimpliciter dixit Chriſtus, non eſſe plorandum, ſed addidiſſe: *Super me.* Deinde adjunxiſſe: *Sed flete ſuper vos, & ſuper filios veſtros.* Tunc enim *flemus* potius *ſuper nos*, cùm etſi gratias agimus pro amore, quod tanta paſſus ſit; tamen dolore ſcindimur, & flemus, quòd per nos cauſæ mortis præbitæ ſint illi, qui nîl tale à nobis meruit, & mala pro bonis recepit. *Flemus!* quòd converſis ad Crucem aſpectibus, ibi non me, qui merui, ſed alium pendentem contueor, Unigenitum Patris. Heu Domine JESU! Ego ferale illud mortis lignum aſcendere merueram, & omnia illa corpore meo tela excipere, & tamen ſine ullo fructu; & tu pro me deponis vitam temporalem, ut mihi largiaris æternam! Illæ ſpinæ, & junci frontem debebant meam incingere, qui coronam capitis mei capitali inimico tuo tradidi. Illi ferrei clavi debebant transadigi per manus, & pedes meos, quia in manibus meis iniquitates, & pedes mei ambulârunt vias difficiles, ſemitas inferni. Lancea illa debuerat meum cor rimari, unde exeunt cogitationes malæ, adulteria, ſanguinaria conſilia: & tu ſuccedanea pro me hoſtia in Crucis patibulo immolaris, innocens pro ſcelerato, agnus pro peccato cadis non tuo: & adhuc te video promptiorem ad fundendum ſanguinem, quàm me ad lacrymæ guttas tanti amatoris genibus affundendas!

Chriſtus Crucifixus, ſpeculum.

Chriſtiani! ſi rectè, ſi fructuosè cupimus Agoniæ Chriſti conſiderare theſauros, & paſſionum pondus expendere, oportet nec in Chriſti gaudio, quô ſuſtinuit crucem, morari; nec in amore, ob quem mori non dubitavit, ſiſtere: ſed cum tanto amore comparare incredibilem ingratitudinem noſtram; cum patiendi deſiderio, delicias vitæ, quibus quotidie perimus; cum illius diademate ſpineo, ſuperbiam, & ambitionem noſtram; cum illius felle & aceto, noſtram edendi luxuriam; cum diſſecta dilaceratáque illius virginea carne, carnem hanc corrumpentem vias, legésque divinas. Heu quanta nobis ex comparatione torporis noſtri argumenta, ut coram Crucifixo confundamur, & erubeſcamus! Quanta lacrymarum materia, ut *fleamus ſuper nos, & ſuper filios noſtros!* quoniam multi, qui veram vitam, & Chriſto Nato orientem, & Moriente conſummatam non ambigunt, eos nec Chriſti præſepe quod Barbari adorant; nec mors, aut ſanguis, quo fuſo ſaxa, & petræ ſciſſæ ſunt, ad pœnitentiam adducit, ſed dum vitæ nobis immortalis janua panditur, ad mortem currunt. Feciſti Domine JESU, de corpore tuo ſpeculum animæ noſtræ. Speculi fructus, & uſus eſt: ſe videre, & ſe componere. Siquis ideirco ſpeculum conſulit, ut ſe videat, ſtultus eſt; ſiquis conſulit, ut ſeſe componat, emendet, ſapiens eſt. Otioſus contemplator Crucifixi, comparabitur ſtulto, *conſideravit enim, & abiit.* Jac. 1. An enim contemplando manus extenſas, latus apertum, animo contritus eſt? an acceſſit? an lacrymam fudit? an ad pedes Sacerdotis corruit, & palmis reum pectus feriit? *Conſideravit, & abiit.* Procul ab Agoniæ cultoribus torpor iſte! Quid in Paſſione videbis ô anima fidelis? Chriſtum, & Te. Sat eſt ad ſcopum meum, ut ibi invenias Chriſtum, & Te. Chriſtus paſſus ſpeculum tuum eſt. In Chriſto Patiente argumentum lætandi, & flendi. In Chriſto paſſo habetis argumentum gaudendi, qui paſſione ſua celebravit Natalem ſuum, & noſtrum; in nobis inveniemus materiam flendi, quòd ingrati pro beneficio, & tanti amoris immemores mala pro bonis rependimus. Hæc cogitate, hæc altè cordibus

dibus insculpite, & lætissimos Christi adventus sic temperate, ut *thuri* devotionis, & *auro* veræ charitatis, etiam humilitatis, & contritionis *Myrrham* permiscendo: sic læti, sic tristes *videatis Salutare DEI.*

AMEN.

IN NATALI DOMINI.

SERMO I.

In Castro Szent-Pál ad Marusium. 1695.

Evangelizo vobis gaudium magnum, quod erit omni populo: quia natus est vobis hodie Salvator, qui est Christus Dominus in Civitate David. Luc. 2.

SUMMARIUM.

Combinatur Angelica hujus Noctis Prædicatio ad Pastores, & Christi nuncium ad Baptistam: Pauperes evangelizantur. *Quia certissimum signum adventûs, & Divinitatis Christi est, evangelizari pauperes.*

Matth. 11.

I. *Quia derelictos solari Dei est.*
II. *Mortuos suscitare, & causas pauperum, idem est: ac Christus venit.*
III. *Benefacere pauperibus, qui retribuere nequeunt: Dei est Signum, qui venit.*

IUvat me inter Sacratissima Natalis Dominici gaudia, & multiformes exultandi materias, primam in beatis Angelis admirationem defigere cum Propheta: *Quàm speciosi pedes evangelizantium PACEM, evangelizantium bona!* Fuerintne PEDES Speciosiores, an LINGVA tanti nuncii bajula? dubitârunt ante me eloquentissimi. Et quis non LINGVÆ palmam deferat concinenti *Gloriam* Deo, Mundo *Pacem*, Pastoribus *gaudium magnum?* evangelizanti tot *bona* Cœlo, & Terræ? ut de eadem potiori jure prædicare liceat, quod Junior Tobias de itineris sui duce Angelico: *Bonis omnibus per eum repleti sumus.* Hodie tamen palmam PEDIBUS Angeli cum Propheta substerno, eósque exoscular, &, si patitur, etiam adoro; quòd primùm PEDES hi cum tanta gaudiorum materia non apparuerint in Curia, in Palatio, ubi Nova aut de Victoriis, aut Regnorum Pace, Fœderibus, Regum nuptiis avidissimè audiuntur, & gratanter Nuncii admittuntur: sed cum Novis de Cœlesti Senatûs-Consulto allatis, cum fama Neo-Nati Salvatoris Mundi, tot Gentium votis, tot Regum, Patriarcharum suspiriis, ac sæculorum gemitibus expetita; quod inquam comparuerint primum in campo, ad mapalia Pastorum, rudibus, illiteratis, pellitis prima secretorum cœlestium mysteria, ac Sacramenta allaturi: *Evangelizo vobis gaudium magnum.* Quod idem deinde præstitit Apostoli vicem perfuncta lucidissima Stella, quæ ad cunabula Salvatoris perduxit Gentium Reges, hoc est, verè *Pauperes*, qui nec Deum, nec Fidem, nec Virtutes, quibus cœlum emerent, haberent, quantumvis foris auro rutilarent.

Rom. 10. 15. Isai. 42. 7.

Tob. 12. 3.

Pauperes primi vocantur ad Verbum Incarnati adorandi.

Hoc erat magnificum illud Adventûs Christi signum, quod ipse Salvator mundi reposuerat duobus Joannis Discipulis, quærentibus: *Tûne es, qui venturus es? an aliùm expectamus?* Euntes (inquiebat) *renunciate Joanni, quæ vidistis. Cæci vident, claudi ambulant, Leprosi mundantur, surdi audiunt, mortui resurgunt: PAUPERES EVANGELIZANTUR.* Non erat necesse apertè dicere: EGO sum, quem mundus à sex millibus Annorum suspirat. Sat erat dicere: *Pauperes evangelizantur;* ergo adest Christus, & Deus. Nihil ita commendat humanitatem, & benignitatem Salvatoris nostri Dei; nihil evidentiùs ejus veram Divinitatem ostendit,

Matth. 11.

dit, & probat; nullo alio ſigno fit notius, quòd in aliqua Eccleſia, vel Eccleſiæ fideli exiſtat Deus, quàm ſi *PAUPERES evangelizentur*, ſi protegantur, ſi curentur; ſi eos in fide, & ſpiritu foveamus, ſi ope, & conſilio ſolemur, ut Chriſtus fecit, & hoc nomine, *DEUS*. Quod erit præſentis dictionis meæ argumentum, tantæ Diei lætitiâ non indignum. Favete.

§. I.

Ex ſignis ab Iſaia poſitis, Meſſiæ demonſtratio.

Evangelizare, id eſt, annunciare bona, & cum tali nuncio non rapi ad fores Magnatum, non quærere aditum in palatia: ſed divertere ad Pauperes duce charitate, requirere ſedentes in luctu, & tenebris, iisque annunciare lætitiam, quomodo hoc ſit veri Meſſiæ ſignum, docuit Iſaias magni in Iſraël nominis Vates; ex cujus Oraculo petiturus Divinitatis ſuæ infallibile argumentum Chriſtus, hanc de Meſſia venturo præmiſſam poſuit: *Spiritus Domini ſuper me, eò quòd unxerit Dominus me: ad annunciandum manſuetis miſit me, ut mederer contritis corde, & prædicarem captivis indulgentiam, & clauſis apertionem &c.* Meſſiam (dicebat Chriſtus) illum futurum, & ibi futurum, à quo, & ubi fuerit Evangelium *manſuetis*, hoc eſt Pauperibus, prædicatum, ſive ii demum in carcere, ſive grabato, ſive alibi lugeant. Deinde reſponſo ad Joannem dato ponit Minorem, & dicit: *Renunciate Joanni, quæ audiſtis, & vidiſtis. Pauperes evangelizantur.* Itaque Concluſio ſtabat in forma apud Joannem, & jam apud totum mundum. Igitur adeſt Meſſias, & alium non expectamus. Evangelium itaque prædicari Pauperibus, adeſſe Deum ſignificat. Sic argumentatur Chriſtus, ſic Angeli hodie in Bethlehem, ſic in Oriente ſtella diſcurrit, & ego aſſentior. Cauſas itaque ſcrutemur admirabilis hujus conſequentiæ.

Iſai. 61. 1. S. Ambroſ. Theophilact. Origen.

1mò. Quia derelictos ſolari Dei eſt.

Conſideratione ſanè digniſſimum punctum, quòd in myſterio tam ſublimis demonſtrationis, quam Chriſtus pro Divinitatis in ſe inhabitantis veritate hìc inſtituit, prius nominentur *Mortui*, ac demum *Pauperes*. *Mortui reſurgunt, Pauperes evangelizantur*. Nempe reſurrectionem mortuorum oportuit connectere cum evangelizatione pauperum, ac ex utroque demonſtrare id, quod ignotum erat: An Chriſtus ſit Deus? Quaſi dicat: Quemadmodum reſuſcitatio mortuorum ſoli competit Deo, & tunc cùm mortui reſuſcitantur, neceſſe eſt, ut propè ſit Deus: ſic *evangelizare pauperibus* Divinitatis præſentiæ ſignum eſt manifeſtum. Ratio eſt: Quia Pauperes maximè indigent ſolatio, & Salvatore, qui præ reliquis mundi ſtatibus cenſentur affligtiſſimi, & quaſi de numero mundi fortunæ deleti, eliminati, quos ultima ſuſtentandæ vitæ media deficiunt: quaſi ſolos feriret ſententiæ in Paradiſo latæ ſeveritas: *In ſudore vultûs tui veſceris pane tuo;* ut videantur nullibi, niſi in ſolo DEO refugium, & auxilium habere. Ut proinde eos *evangelizare*, hoc eſt, annunciare bona, uſque adeò derelictos ope, conſilio ſolari, recreare, arcana Dei edocere, perſuadere hanc eſſe Dei voluntatem, hunc curſum, & providentiam diverſis viis ad cœlum ducendi: ſit opus omnino Divinum, ac proprium DEO, cujus ſolius ope videntur fulciri. *Tibi derelictus eſt pauper* (dicebat vir ſecundum cor Dei, ad Deum) *& orphano tu eris adjutor.* Ubi enim alibi tot in malis conſolatorem invenient? ubi in tot tribulationibus Salvatorem quærent? Pupillorum, & Viduarum cauſæ quem Patronum? quem Judicem reperient, niſi te, te ſolum *Patrem Orphanorum; & Judicem Viduarum;* quàm enim, mortuos reſuſcitare tuæ ſolius eſt virtutis, & potentiæ; tam eſt cauſas horum reſuſcitare, tuæ ſolius Omnipotentis charitatis proprium opus.

Cornel. à Lap. hic.

Pſal 9.

Pſal. 67. 6.

Utrumque hoc qualiter combinaverit Chriſtus, notatu digniſſima res eſt. Afflictiſſimæ Matri ſuper unico Filio comploranti evangelizaturus Chriſtus bona, quæ ab ipſo ſolo ſperari poterant; dicebat: *Mulier noli flere!* & quod poſt hoc Evangelium lætum ſequitur; ut connectat par eſſe miraculum ſolari mœſtos, & mortuos ſuſcitare; Filium reſuſcitavit, *Et tradidit illum matri ſuæ.* Quodſi nullo dicto verbo Filium reſuſcitâſſet, ſatis extitiſſet ad perenne ſolatium matri; poſtea verò, quàm evangelium, hoc eſt, bonum nuncium ore ſereno matri dediſſet, cogebatur quodammodo Divinitatem oſtendere mortuum reſuſcitando. Ita fecit & cum Puero Centurionis: cujus fidem admiratus, grandem illam concionem præmiſit: Venturos *ab Oriente, & Occidente plurimos*, & recubituros in regno cœlorum inter Principes, & amicos Dei, qui nunc ignorantes idola colerent. Sic etenim ad corpora reſuſcitanda ſeſe demittebat altiſſimi

Tam eſt Deo proprium, ſuſcitare Viduarum cauſas: quàm mortuos reſuſcitare. Luc. 17.

Matth. 8.

altissimi virtus, ut ad lucrandas Evangelio potissimùm animas ejus ferretur intentio. Si Divinum opus est, & præsentia Messiæ, solari in temporalibus, omnium Divinissimum erit solari mœstos in anima, & spiritu verè pauperibus afflare sanctitatem, quasi cœlestis spiraculum vitæ.

Tales spiritu, fortunísque pauperes fuêre hodierni Bethlehemitico in campo Pastores. Illi perâ, pedóque pastoritio instructi *custodiebant vigilias noctis super greges* suæ fidei, curæque commissos. Cum ecce! vix Nato Salvatore, destinatur ad eos Angelus fulgentissimo quacunque ferretur, lumine undique coruscus, atque ipsâ oris pulchritudo satis indicabat non aliunde, quàm è cœlo tantæ venustatis nuncium advenire. Qui cœlestis Ephebus adeò non horrebat Pauperrimos illos, ac rusticanos gregum Præpositos, ut sese iis misceret medium, paludamenti sui auro illorum pæne manticas, pannósque contingens. Ad imitationem nempe Regis sui, qui ipsâ illâ nocte inter bruta animalia medius jacebat. *Non enim est dedecori in servo, quod præcessit in Domino.* Ipsa itaque claritas, quæ campum latè omnem instar Solis circumfulserat, attentionem conciliaverat maximam Pastoribus, novitate miraculi stupefactis. Quibus Angelus: *Nolite timere* (inquit) *Ecce enim evangelizo vobis gaudium magnum, quod erit omni populo: quia natus est vobis hodie Salvator.* Tum verò signa, quorum indicio stabulum, atque Infantem Divinum invenire possint, ubi ad illum adorandum accesserint, rite edocet. Cujus denique Concionis, quâ pauperes isti, atque agrestes evangelizabantur, epilogum subsecuta est cœlestium chorum Symphonia, *laudantium Deum, & dicentium: Gloria in altissimis Deo, & in terra pax hominibus bonæ voluntatis.* Quid hic illi rei tam inauditæ novitate, atque dulcedine perfusi? Continuò profectionem eò, quò à cœlesti Legato vocabantur, concludunt. Dicebant inter sese: *Transeamus usque Bethlehem!* Deus est, qui vocat, nox favet, Angelus invitat. *Transeamus!* in tantæ lætitiæ nuncio mora omnis meritò sceleris arguetur. Surgamus, eamus ocyus. Cras enim de Curia Judices, de Sanctuario Pontifices, de palatio Reges, ac Reginæ aderunt, mammis suis Divinum Infantem lactaturæ; nósque pauperes conspectu Divini Pueri, qui natus est nobis, arcebimur, & excludemur. Ita illi, nec segniùs executi, quod consultando statuerunt. *Et venerunt festinantes, & invenerunt MARIAM, & JOSEPH, & INFANTEM positum in præsepio.* Jam verò quis oratione explicet benignitatem, & humanitatem Dei, Pauperes istos non modò admittentis ad conspectûs sui delicias, sed etiam per Angelum vocantis, animabus illis undique desertissimis primam Natalis sui diei venerationem, quam multiplicibus deinde donis remuneraretur, deferendo. Quantum hoc Divinitatis opus? quàm indubitatum Præsentis in terris Messiæ documentum? Ut Pauperibus, desolatis, agrestibus evangelizari, hoc est, annunciari lætitia, ac salus haud posset, nisi continuò inferretur: Igitur Deus adest. *Et in terris visus est, & cum hominibus conversatus.* Baruch. 3. 38.

Luc 2.

Pastoribus annunciatur Christi Natalis.

Forum colloquiũ.

Transeamus, si placet ad alios Pauperes, sive demum Gentiles, qui non Deum, non Fidem, non Legem, non Virtutes, quibus cœlum mercarentur, habebant; sive fideles quidem, & quondam domesticos Dei, verùm qui propter peccata sua depauperati, ægrè animam trahebant. Et hi, & illi patentissimus Christo campus erant ostendendi suam illis præsentiam, & Divinitatem. Non sum equidem nescius, multos, qui in temporalibus pauperes sunt, esse spiritu divites, truncis arborum similes, qui rudi sub cortice occultos continent thesauros intrinsecus. Contrà quantâcunque fulgeant pompâ, ac videantur nonnulli potentes, sunt tamen internè pauperrimi, hoc est, peccatores: quibus evangelizare, hoc est, annunciare salutem, muneris est Messiæ, muneris est Christi, vel, in quo Christus inhabitat. Nescio profectò, utram ex duabus his paupertatibus intellexerit S. David, cùm præsente Deo ita precabatur. *Unicus, & pauper sum ego, Deus adjuva me.* Quare unicus? eò quòd *Pater meus, & mater mea dereliquerunt me, & Dominus assumpsit me.* h e. Mansi unicus, quia columnas, quæ me fulcire poterant, Deus abstulit Patrem, & matrem meam, & relictus sum Orphanus, & solus. Calamitatem hanc nôrunt ii, qui suos ne quidem noverunt Genitores, & adhuc in cunis derelicti sunt Orphani. Talibus adferre solatium, verè est Divinum. *Dominus assumpsit me*, sic, ut defectum auxilii humani compensare Dei solius sit. Spiritualem

Multi Divites, virtutibus pauperrimi.

Psal. 24.

Psal. 126.

tualem porrò egeſtatem alibi ita declara-
Pſal. 87. vit: *Pauper ſum ego, & in laboribus à juventute mea.* Quænam illa pauper-
tas? qui labores? ſi ab Juventute ſua Rex erat, quomodo pauper, cui terræ, & maria ſerviunt? & ſi Princeps, quo-
modo in laboribus, quem Duces, quem exercitus ſuccollant? ſic tamen omnino eſt. Nudum, ſpoliatum fecêre *delicta Juventutis, & ignorantiæ*, quarum, ne in judicio ſuo Deus meminerit, obſecrat, rogat. An non verè pauper, qui in ſi-
nu proximi dormientem oviculam, ſi poſſet, cleperet; ſi non poſſet, vi au-
ferret? Quid illo pauperius, qui alteri-
us ſanguinem ſitiret? hoc fecit Rex tantus! hoc impii Divites, hoc agunt raptores, qui inauditâ crudelitate atque avaritiâ ſubditorum ſudorem, & ſan-
guinem exſugunt, & qui deberent Pau-
peres conſervare, & paſcere, ab ipſis paſci volunt; ſic, ut longè pulcherri-
ma, & aptiſſima definitione Spiritus Sanctus uſus ſit, cùm Pauperes diceret
Eccli. 13. #. 23. eſſe, Paſcua Divitum. *Venatio Leonis, Onager in eremo: Sic & PASCUA DIVITUM ſunt PAUPERES;* Tantò revera pauperiores & ipſi Reges, quantò minùs famem, ſitimque ſuam ex-
pletam putant, niſi aliorum ſanguine paſcantur. Talibus inclamat Chriſtus
Luc. 6. VÆ! *Væ vobis divitibus!* Dum pau-
peres frigent in corpore, vos in anima frigetis; dum illis quotidianum deeſt alimentum, vos extremam Verbi Divi-
ni penuriam ſubitis; accidi ſibi fortunas illi in dies ingemiſcunt: vos cœlum, ſa-
lutem, gloriam veſtris ſceleribus immi-
nui, ac perdi non dolebitis? Illi ſunt
Luc. 8. terra bona, & *fructum afferunt in pati-
entia:* Vos petræ, vos ſpinæ, quæ ſuf-
focant ſementem Patrisfamilias; ut in animabus veſtris Evangelii potentia (quæ eſt in ſalutem omni credenti) ſua ſuſcitare miracula non poſſit.

Hoc dico ad eos Divites, qui cùm pauperrimi ſint virtutibus, & Bona ubi-
que poſſideant, præterquam in cœlo: egeſtatem attamen, hanc ſuam non no-
ſcunt, & ideò nec medelam quærunt.
Vocatio Magorum, hoc eſt, pauperum ſpiritu. Secus fecêre tres Magi ab Oriente: quo-
rum conſpectibus hâc ipsâ gloriosâ nocte exorta Stella fulgentiſſima, veluti lingua aliqua enarrans gloriam Dei incarnati, & Nati; lucidiſſimis radiis ſuis ſatis indica-
bat, unde? & quas in terras eos invita-
ret, illo loquente intus ad pectora, qui foris per ſtellam oculos illuminabat. Hæc Stella magni Regis eſt (ajebant Reges) qui Natali ſuo totum illuſtraturus terra-
rum orbem advenit, fugaturus Princi-
patus, & Poteſtates tenebrarum re-
gnantium, criminum, & peccatorum; quibus finem imponet AGNUS, qui Na-
tus eſt, cujus ſignum luminoſiſſimum apparuit in cœlo. Eamus, & cum mu-
neribus requiramus eum. Ita dixerunt, ita ſpe pleni ad requirenda Salvatoris cu-
nabula longo ſeſe itineri conſecrârunt. Non neſciebant ii ſeſe claros avito Impe-
rio Reges eſſe, ſed qui unà Diaboli ca-
ptivos ſe ingemiſcebant; divitiis ſe abundare, ſed eſſe cœleſtium inopes meritorum; habere Arabiam ſua thura odoriſera, ambram, & caſiam: at po-
pulis deeſſe DEUM, & Fidem. Habere aurum, at deſiderari charitatem; veſ-
tiri paludamento, & aurato chalybe; at nudos eſſe virtutibus, quibus cœlum ematur; itaque opus habere Salvatore mundi, qui *Pauperes*, & computre-
ſcentes in vitiis ſuis animas *evangelizet.* Tali ſui cognitione humiliati, atque com-
puncti, ductu felicis ſtellæ, ac interio-
ris gratiæ illuminati vigore, Divinum Infantem reperiunt, prono genu ado-
rant, exoſculantur, gratulantur. Adeò non ſublimibus his viris ſcandalum præ-
buêre aut præſepis barbaries, anguſtiæ ſtabuli, jumentorum ſocietas; aut cor-
puſculi, in quo Divinitas thronum fi-
xiſſet, teneritudo admirabilis; ut tantò chariorem, & amplius appetendum exi-
ſtimarent, quantò ſui causâ agnoſcerent ab Angelis minoratum, & cœli Domi-
num, Oppiduli civem conſcriptum. Et quodnam iis Evangelium Bethlehemiti-
cus iſte Parvulus prædicavit? Jam tum tacitè Reges admonebat: Oportere eos Matth. 18.
effici Parvulos, ſi cupiant intrare in Re-
gnum cœlorum.

Quàm ab horum exemplis diverſa omnia fecit Herodes, ejúsque non tam in Imperio, quàm vitiis ſucceſſor, cui deinde nunciavit Chriſtus: *Dicite vulpi* Luc. 13. *illi!* non ibo ad illum, indignus eſt Re-
gno Dei, & Prædicatore Chriſto. Ad-
ductus ergo ad eundem in paſſione; & cupienti videre ab eo miraculum, vel miraculosè dictum, Sapientia Dei con-
ticuit. Cur enim loquatur inemenda-
bili, adultero, inceſtuoſo, qui ſervum Chriſti, immo *VOCEM* Domini capti-
vam attinuit ob veritatem prædicatam? Nempe Divites peccatis ſuis occludunt Chriſto Os, ut nequeat iis evangeliza-
re ſalutem, quia ſeſe pauperes non agno-
ſcunt. Scilicet, *non eſt opus medico* Matth. 9. *valenti-* 12.

Divites occludunt Chriſto Os.

valentibus (opinione suâ) *sed malè habentibus*, & verè contritis, isti clamabunt post Agnum Dei, qui tollit peccatum mundi; isti leprâ peccatorum expulsi à conspectu Dei, levabunt vocem suam post Medicum cœlestem: *JESU Præceptor miserere nostri!* isti cum illuminatissimo Centurione illo, negabunt animarum suarum domicilium dignum esse tanti Hospitis præsentiâ, quod Christus ingrediatur; attamen intrantem sic susciipiunt, ut ei vulnera sua omnia pandant, nec ab eo avelli patiantur. Viderint divites, qui se Evangelio, hoc est, salutis nuncio indignos efficiunt. Ego redeo ad Pauperes, revertor ad Christum, & repeto:

§. II.

Secunda Ratio: Quia pauperibus benefacere, qui retribuere non possunt, est Divinum.

Pauperes evangelizantur hodie in Bethlehem; igitur venit Christus. Optima illatio. Quis enim pauperibus, qui non sunt capaces retribuere, benefaciat, nisi Deus, aut in quo Deus inhabitat? hoc enim proprium Deo, facere bene gratis, intuitu honoris sui, & amore nostri. O Domine gloriæ, & virtutum! qui omnia propter temetipsum operatus es, & quid demum redhiberi tuæ magnificentiæ possit post tot beneficia collata largissima manu, ac verè Regiâ; quando & ipsa laus (quale solum vectigal reddi potest) non est speciosa in ore peccatorum, nec te digna: Psal. 55. ut verè *Pro nihilo salvos facias illos*, & unicè intuitu bonitatis, quam in te summam esse oportet, & quam Regius Vates Psal. 15. 2. prædicat: *Deus meus es tu, quoniam bonorum meorum non EGES.* quasi dicat: Inde agnosco, quòd verè Deus sis, quia benefacis, & nihil recipis; das omnibus affluenter, & nemini improperas. Et hoc Divinum est; in quo gloriari Principes non possunt, qui conferunt beneficium in Rempubl. aliquod, & Centum recipiunt, quare? quia *bonorum* nostrorum *EGENT*, & ostendunt se non esse DEUM, nec Dei imitatores. Datur Pax, & expilantur Regna, spoliantur Provinciæ, nuper ditissimæ Gentes ad manticam rediguntur. Non hæc fuit PAX, quàm Christo Nato Angeli prædicârunt. Erat illa PAX Dei, ideóque ditissima; erat PAX à Principe, & Dominatore, qui sua venerat dare, non diripere aliena; qui ut *Homo* sanguinem, quem à nobis acceperat, in Passione red-

Principes & Divites cum fœnore seminant beneficia.

didit cum fœnore; & ut *Deus* gratis nobis cœlum donavit, & ostendit quòd homo Dei imitator, possit proximo suo pauperi, & indigenti fieri Deus. HOMO HOMINI DEUS. Hoc summum in terris encomium non habent Judices, & Magistratus, qui possident *STATERAS mendaces*, ubi lanx ad eam partem, à qua PLUS accipit, inclinatur. Non Divites Usurarii, quorum beneficia sunt semen, sed centuplo refundendum; & pauperes sunt terra, quæ sibi nihil reservat, omnia aliis. Qui tales foveat, qui soletur, DEUS sit oportet. Et ideò Christus verus Deus de Deo vero, quia *Evangelizando Pauperes* in iis semen æternæ salutis jacit, & fructus, qui est laus, & gloria Dei, in Seminantem non redundat fine alio, quàm ut porrò benefacere pergat. Psal. 61. 10.

Quamquam si Deus sit capax retributionis, à Pauperibus Deus recipit plurimum. A Divitibus quid? Impuritates, scelera, adulteria, fornicationes, rapinas; à Pauperibus gloriam, & affectum gratitudinis: *Bene omnia fecit, & surdos fecit audire, & mutos loqui.* Hoc vectigal benefactori Deo non solvunt sæculi potentes, figurati in novem illis Leprosis, qui corporali leprâ beneficio Christi deletâ, majorem aliam in anima ingratitudinis lepram abstulerunt: *Decem mundati sunt, & Novem ubi sunt?* Luc. 17. 17 *Non est inventus, qui rediret, & daret gloriam Deo, nisi hic alienigena;* id est pauper, fundo, & possessionibus carens, & quantò profligatiore fortunâ, tantò mente altior, & fide sublimior, qui Christum conjecit esse homine majorem, nec alium, quàm Deum verum de Deo vero, qui miserabilis, & Orphani lacrymas respexisset; quo argumento victus, in Homine Deum adoravit. *Cum magna voce magnificans* v. 15. *DEUM.*

Deus à Pauperibus plus recipit.

Ita hodie Pastores, ita pauperrimi gregum Præpositi, excellentiâ, ac magnitudine beneficii, seu quòd Angelica legatione honestati, atque instructi; seu quòd ad Verbum Incarnatum adorandum primi vocati, admissi, recepti essent; plurimùm lætati, omni dubitatione ex animis deleta, Deum verum corde, & ore confessi sunt, qui magnificâsset misericordiam suam in pauperibus, & abjectis terræ, non habentibus usquam refugium, nisi in Deo. Qui hodie verè DEUS, non prius Nobiles, 1. Cor. 1. deinde ignobiles; sed ignobiliora mem- 23.

bra, & ea, quæ non sunt, admirabili honore dignatus, vasis contumeliæ, lucem, ac splendorem Divinitatis suæ adorandæ invexit, contulitque. Simul eruditens Viros, sed & Mulieres misericordiarum, si exemplô Neo-Nati Salvatoris Nostri sese ad pauperum lacrymas, & preces demittant, si eos, qui in solo Deo, & non alibi refugium habent, foveant, ope, consilio solentur, & pro posse quisque suo res Divinas edoceat, & ad Christum perducat: fieri posse, ut efficiatur HOMO HOMINI DEUS, in gratiam, & amorem ejus, qui cùm esset in *forma DEI*, assumpsit *formam servi*, Phil. 2. in qua hodie Pastoribus ministravit solatia, nobis sacratissima contulit exempla misericordiarum. Qui vivit, & regnat in sæcula.

AMEN.

IN NATALI DOMINI.
SERMO II.

Tyrnaviæ in Cathedrali, 1707.

Et in terra PAX *hominibus bonæ voluntatis.* Luc. 2.

SUMMARIUM.

Agebatur tunc, cùm ista fulminabat Orator, *de Pace Regni cum Rege. Quâ occasione ostendit, à plerisque ignorari VIAM PACIS: eámque docet esse*

I. *Deum: sicut et literarum numero PAX, SS. Trinitatem indicat.*
II. *Christum in Bethlehem.*
III. *Bonam voluntatem, hoc est, Justitiam.*

Pax numero literarũ, SSS. Trinitatem indicat.

VErbo abbreviato, abbreviatum pariter respondet verbum: PAX! quæ quemadmodum tribus literis Sanctissimam innuit Trinitatem: sic omnium in se bonorum plenitudinem comprehendit. Hæc de cœlo venit, & hodie primum velut *vox Turturis* audita est in terra nostra: PAX! Cum Ecclesia triumphante se pariter associat militans, vox Angelorum miscetur, & hominum, cœlestibus hymnis respondet Echo gratissima terris: PAX! Deus, Cœlum, Angeli, homines, linguæ, & nationes omnes, terrâ, marique resonabili sono concinunt ubique: PAX! PAX! Felicem terram, felices nationes, ac populos, qui dulcedinem vocis hujus non tam auribus hausérunt, quàm cordis palato gustârunt! Sed vereor AA. ne id, quod suavissimo concentui Philomelæ subscripsit aliquis: *Vox, præterea quenihil;* hoc, inquam, idem Angelorum, hominúmque modulatissimo cantui Cœlum inscribat. Septingenti septem supra mille labuntur Anni, ex quo cantus hic repetitur, an ideò cœlum desiit mundum punire bellis? An hodie sub ipso hoc sacratissimo cantu non verberantur fortallitiorum mœnia, non concurrunt acies, non funditur Christianorum sanguis, non ergastula captivorum lacrymis, ac gemitibus implentur? Aut ergo cantilena hæc fallax sit oportet, aut certè mundus illâ dignus non fuit: ut cùm *Princeps Pacis* nascitur, & PAX SSS. innuit Trinitatem; homines Martem, & Diabolum resonent. Quod ego jam inde statim ominabar futurum, cum promulgatæ divinitus Paci conditionem pæne impossibilem annexam videbam. Quamnam illam? Bonam voluntatem. *Pax hominibus bonæ voluntatis.* Ut primùm vidi non plures bonas, sed unam in omnibus voluntatem requiri ad Pacem istam, *Periimus!* dixi: quomodo in tam diversis mentibus unum consilium, & ab tot affectibus una Voluntas, & concors sententia sperari possit? Et si hæc est conditio de cœlo allatæ Pacis, ut sint homines unius in bono voluntatis, quemadmodum hoc posterius sperandum non est, ita votum Pacis impossibile erit: adeóque aliud verbis dicunt Angeli, aliud sensû; voce *Pacem*, *Pax hominibus;* in rê, nihil.

An verê Angeli *Pacẽ* prædicent, & non ironicè loquantur?

Jam si illa tot hominum coadunata Voluntas deberet insuper concordare cum Deo, ac divina Lege; rursus major est difficultas; quomodo enim tam diversarum mentium ut plurimùm cum Deo dissidentium, fiet una voluntas, ut omnes idem sentiant, velintque, quod Deus sentit, & vult? Atque adeò frustraneum hoc votum est; & si millies nascatur Dei Filius, id non obtinebit. Attamen persuadere mihi non possum, quòd non

non ſinceriſſimè voverent Angeli Pacem: *Pax hominibus!* propter quam ipſe hodie *Princeps pacis*, tanquam Mediator, in terras deſcendit. Ad hanc pacem requiri pariter *bonam voluntatem*, ita clarum eſt, ut quantumcunque clament Angeli, & Cœlum, nunquam ſine illa Pax vera coaleſcere, aut diuturna eſſe poſſit. Velleitas ipſa mundi, quâ Pacem optat, & vult, nec tamen aſſequitur, mihi certum facit, ab hominibus ignorari viam veræ Pacis, dicente Pro-
Pſal. 13. pheta: *Contritio, & infelicitas in viis eorum, & VIAM PACIS NON COGNOVERUNT.* Tota Europa Pacem anhelat, & quærit, at non eâ viâ, quâ reperiri poſſit, multique utinam non ſint, qui eam intelligere nolint, ut bene agant. Quærenda eſt illa in cœlo, requirenda in *Bethlehem*, deinde inter nos conficienda in terris. Quonam medio? medio *bonæ voluntatis*. Difficultas maxima eſt, quomodo bonam illam voluntatem cum Deo, per Chriſtum, & mutuò inter nos aſſequamur? ad quod dico: Demus Deo, quod Dei eſt: & quod eſt hominum, hominibus; ſtatim erit *bona voluntas*. Adhuc brevius: Fiat juſtitia erga Deum, & homines, confecta eſt Pax. *Pax in terra.* Sine hac nec bona voluntas erit unquam, nec Pax: ut præſenti dictione oſtendam, ſi & vos pari voluntate, quâ ego hanc Cathedram conſcendi optimâ, dicentem ſuſtineatis.

§. I.

Pacem, tanquam unum de pretioſiſſimis, Deus abſcondit, eámque vult indagari, & quæri.

Quòd Deus PACEM in mundum miſerit, & omnia quæ Deus in ſuis theſauris pretioſiſſima habuit, obtulerit mundo mittendo Filium ſuum, certiſſi-
Rom. 8. mè probat Apoſtolus: *Qui etiam proprio Filio ſuo non pepercit, ſed pro omnibus nobis tradidit illum: quomodo non etiam cum illo omnia nobis donavit?* Si Filium proprium, inquit, igitur OMNIA. Inter *omnia*, erat unum, & bonorum maximum, PAX. Cætera quippe omnia bona, & dona etſi miſiſſet, ſed Pacem inter Deum, & homines non dediſſet; quid enim mihi mundi totius opes, ſi, quâ univerſa conſervantur, deſit Pax? ſi iis pacificè frui non datur, quid pro-
S. Chryſoſt. Hom. 3. in Ep. ad Coloſ. deſt? *Ipſa eſt mater omnium bonorum, ipſa eſt gaudii mater, & ornamentum.* Ideò tanquam à bonorum omnium præcipuo accepit nomen *Deus Pacis*. Dando ergo Filium, dedit Deum, & in Deo *Pacem*, & in Pace, omnia. *Pax ſuper Iſraël!* id eſt, omnia.

Miſſa eſt ergo in mundum Pax? ita eſt. Sed & illud non minus certum eſt, eam, quemadmodum & alia pretioſiſſima data Dei, occultiſſimè reconditam eſſe. Si de ſecretiſſimis naturæ raritatibus quæſtio ſit, labor humanus, & ingenii mira vis de telluris viſceribus eruit aurum, de profundo maris gemmas, & margaritas: & quâ unâ hæc omnia conſervari deberent, Pacem, Pacem in-
Pſal. 33. quam dum *inquirit, & perſequitur*, perdit ipſa veſtigia; an quia non viâ bonâ quæritur? an quia revera quemadmodum res eſt pretioſiſſima, ſic etiam occultiſſima, Pax eſt adeò rara vel inter germanos, nedum inter finitimas Gentes naturâ, moribus, habitu differentes? Jam ſi Pater familias aliquis domeſticam concordiam, & pacem toties tam levibus de cauſis turbatam videt, ingemiſcit, & cum S. Jobo fateri ſæpe cogitur: *Infer-*
Job. 17. *nus domus mea eſt*; quid Provinciæ à Provinciis, Reges ab inimicis Regibus non habeant ſibi timendum? Quis tam diverſas ſociabit in unum voluntates? Propterea gentium belli pertæſarum hoc tempore generalis ad Deum clamor auditur: *Fiat pax in virtute tua! tuâ* inquam, *virtute*, Magne Deus! qui corda Regum in manu habes, & quocunq; volueris, illa inclinabis; *fiat pax*, quam mundus inter ſe facere non poteſt; quam accenſis luminibus quærit, nec invenit; currit poſt eam, illa fugit, & ubi jam jam apprehendere putat, evaneſcit. Et unde hoc?

Huic difficultati de gentibus non aliud reſpondet S. David, quàm quòd: *Viam Pacis non cognoverunt.* Pſal. 13. Et quomodo hic Error poſt tot lectiones Hiſtoriarum, Tractatuum, ſubtilitatum ab hominibus eruditiſſimis, magnisque politicis: ineundæ pacis modalitatem, & viam ignorari? Mittantur igitur, quos habet mundus doctiſſimos, eloquentiſſimos, acutiſſimos. Non eſt hoc, quod quæritur, reſpondebit David: id ipſum quæritur, quid ſit, quòd ipſa illa ingeniorum maria *viam pacis non cognoverunt?* Cur? quia *Non eſt timor Dei in conſpectu eorum.* Si ergo timor Dei, non eſt ante oculos eorum, quomodo quærent viam Pacis? Ii, qui volunt facere pacem, & pacem ſtabilem, agant primus, ut ſit *Timor Dei*, & ipſe Deus in conſpectu eorum, & tunc ſperent pacem. Cæterum id accidet ipſis, quòd

Pacem eſſe opus Dei: & ejus viam etiam à ſapientiſſimis Politicis ignorari.

Habacuc Prophetæ, qui cùm juberetur parata messoribus edulia in Babylonem
Dan. 14. perferre Danieli, reposuit: *Domine, neque Babylonem scio.* Bene, ostendam tibi. Domini mei, si quæritis pacem, quærite primùm DEUM, & cum DEO. Estne Deus vobiscum? éstne timor Domini,& reverentia mandatorum ejus inter vos? Secùs frustra operamini. Vultis ire Jerosolymam, h. e. ad *visionem pacis*, & viam ad pacem Dei ignoratis? In omnibus similibus circumstantiis principium, & fundamentum bene concludendi est Deus; si verò *non est Deus in*
Psal. 9. *conspectu*, quid tum; *Inquinatæ sunt viæ illius in omni tempore.* Si inquinatâ viâ, si viâ iniquitatis quæritur, quomo-
Jer. 6. do stabit? *Pax! Pax! & non erat Pax.* quare? quia *non cognoverunt viam Pacis.* Nihil stabile, nihil diuturnum, cujus fundamentum, & basis Deus non est.

§. II.

Via ad veram pacem, Deus.

Quodsi quis quæreret: Cur sibi in thesauris suis hoc Deus reservavit? facilis
Isa. 45. est responsio: quia Deus est Pax. *Ego creans pacem;* ut dare pacem, videatur esse Deo tam proprium, quàm quidquid aliud condere ex nihilo rei, & subjecti, quod est proprium Creatoris. Atque hinc est, quòd inter tot mundi confusiones, perturbationes, discordias mutuas gentium, quæ nec Christiani sanguinis diluvio componi queant, nec Mediatorum interventu sopiri: altissimum consilium Dei triumphat, dum ista permittit, ut sibi relicti fateri demum cogantur illud: *Tota nocte laborantes nihil cepimus;* sibi soli reservando gloriam pacis; ut dum agnoscitur Deus, *per*
Prov. 8. quem *Reges regnant, & Principes imperant, & potentes decernunt justitiam:* & ad ejus gloriæ divitias inscrutabiles humili prece recurritur, UNA MORTE immissâ super aliquem, ostendit magnificentiam potentiæ suæ,& UNO MOMENTO fit, quod plurimis annis finiri nequibat per homines, quia homines sunt,inquirentes *viam pacis*,ubi non est.

Via igitur, & idea veræ Pacis in cœlo quærenda est, & est ipse Deus. Hic mihi nemo interserat ullum humanum exemplar, neque enim admitto; sufficit Christianis, & credentibus in Deum, Deum adduxisse in exemplar, quomodo inter homines Pax stabilis, & vera coalescat. Scrutemur, si placet, *vias Domini*, quibus inimicos suos armis domuerit, & pacem cum subditis composuerit. Quænam igitur illæ viæ? *Uni-* Psal. 24.
versæ viæ Domini, misericordia, & veritas. Quid ergo egisse putatis Deum in celeberrimis expeditionibus suis sive bello, sive pace tunc, cum *cuncta cogitatio cordis eorum* (id est, hominum) *intenta esset in malum*, h.e. in injuriam & vilipensionem æternæ Majestatis ejus? Totum (ut compendiò dicam) redigitur in *Misericordiam*, & *Veritatem;* ita ut siquando ad vindicem gladium, & flagella veniri debuit, id totum sive in pœna, sive in modo *Misericordiâ*, & *Veritate* temperabatur. Primum in mundo inimicitiarum seminarium fuit Paradisus, post peccatum gravissima dissensione facta inter Deum, & hominem. Si soli Veritati standum fuisset, manifestum erat delictum, manifestum edictum mortis temporalis, & æternæ; homo prævaricator, majestas divina læsa,SSS. Trinitas, quæ recens hominem condidit, palmari injuriâ affecta: an quidquam defuit ad formidabilis sententiæ executionem? Nihil. Sed quia in divino regi- Pax fiet, & exemplo Dei justitiam cum misericordia temperemus.
mine pariter assistit *Misericordia*, quoties miserorum causa tractatur, uti decebat pacis, & misericordiæ Principem, mox deliberabat de remedio veneni, quô Paradisum serpens devirginaverat:omnia illa media, quibus inimicitiæ semen invidiâ Diaboli sparsum erat, commutando in pacificationem. *Veritati* satis fuit, de homine pœnam mortis sumpsisse, quæ carnem perimeret, & animæ parceret, & quid hoc ad æternas pœnas? Ecce *misericordiæ via!* Quid plus? ipsa Caro, in qua bellum inchoatum est, elevabatur in instrumentum pacis inter hominem, & Deum; hinc meritò Apo-
stolus: *Nusquam Angelos apprehendit,* Heb. 2.
sed semen Abrahæ: ex quo carnem sumpturum erat Verbum, sed absque peccato; quod caro deliquerat, caro deleat; ita *Veritati* satisfactio, dum morimur; & *Misericordiæ triumphus*, dum salvamur, inscrutabili divinæ pietatis consilio fuit servatus ex æquo.

Pari servatæ clementiæ stylo, temporibus,qualia postea subsequebantur,infestissimis, compactabat cum peccatoribus, qualis erat David, sed pœnitens, & ad exemplum Dei mansuetus; non obstante hostilitate præterita, tot promissionibus thronum ejus firmatum, stabilitúmque voluit: *Semel*, inquit Deus, Psal. 88.
juravi, si David mentiar, semen ejus in æternum manebit, & thronus ejus sicut sol

ut sol in conspectu meo, & sicut luna perfecta in æternum, & testis in cœlo fidelis. O Domine! vide, atque etiam vide, cum quo tam liberalem facias pacem. David est David, & posteri ejus erunt pariter filii David; vestigia ejus prementne in bono, nescio; in malo quidsi etiam superabunt? Et quid his facies? *Si autem peccaverint* (inquit) *visitabo in virga iniquitates eorum, & in verberibus peccata eorum: misericordiam autem meam non dispergam ab eo, neque faciam irritum testamentum meum. Visitare iniquitates eorum*, justum erat; misericordiam non auferre, quid erat, nisi misericordia. Istud erat regimen Dei, iste modus Pacem stabiliendi inter se, & peccatores; ista praxis amplius devinciendi subditorum affectus: punire, attamen in ira misericordiæ recordari. Legite Salomonis in somno postulatum, & conferte cum divino annutu, & subscriptione favorabilissima: & videbitis utraque ex parte tam Salomonis petentis, quàm Dei annuentis, viam stabiliendi thronum, & pacem firmandi modum unicum esse, eúmque divinum, ac cœlestem; si fiat *veritas, & misericordia.* Ipso regiminis principio Salomoni tres vias aperuit Deus, ad felix gubernium multum emolumenti allaturas: *1mò*, Religionis studium: *Si ambulaveris in viis meis. 2dò.* Imitationem Davidis, patris sui: *Sicut ambulavit Pater tuus. 3tiò.* Executionem sapientissimi, pulcherrimique postulati Salomonis ipsius: *Quia postulasti verbum hoc: & non petisti tibi dies multos*, quod solent, petere, qui non ut vivant, edunt: sed ut edant vivunt; *nec divitias*, ut exhaurias subditos, terrásque, & maria tuis facias servire voluptatibus; *aut animas inimicorum tuorum*, dum non inclinaris ad avaritiam, & crudelitatem, ac sanguinis humani sitim; sed nomini tuo, qui pacificus es, conformiter regnare, Deique, & Genitoris tui mansuetudinem premere cupis: sic *Viam Pacis* invenisti; & ego dabo tibi sapientiam in regendo, gloriam, opes, Imperium felix, ac diuturnum, ut tui similis nec ante te fuerit, nec post te surrecturus sit. Quid hoc regimine felicius, ubi clementiâ, & veritate sulciuntur Imperia, misericordiâ devinciuntur subditi, & thronus plus quàm Sinico muro, populorum amore vallatur? Videant hinc, qui contraria omnia suadent Regibus suis: si, quod uno digito claudere possunt, tot millia manuum adhibeant; quódque malagmate obduci potuit, aceto, & sale vulnus exasperent. Non est hæc VIA PACIS, non modus Dei, non medium concordiæ, sed fomes periculosioris incendii, ubi de liberis populis agitur. Si sit Deus *dissensionis*, & non *pacis*, quis ad thronum accedat adorator? Quocirca quemadmodum ad Principes cum fiducia accessum habemus tanquam ad Numinis Vicarios: *Ego dixi: Dii estis*; sic hi meminerint pariter, quantò dignitate viciniores Deo facti sunt, tantò propensius sequi debere Deum in clementia, & veritate. *Universæ viæ Domini, misericordia, & veritas.* Hæc Via pacis, hæc forma, ad quam imprimi debeat pax nostra.

3. Reg. 3. Confirmatur ab oratione Salomonis in somno.

Psal. 24.

§. III.

Via Pacis, Christus in Bethlehem.

In sæculi legibus Pax est finis belli, & fructus victoriæ, & ideò quia Pax ditissima quæritur, & lucrosissima, sibi ipsa fit impedimentum, ut aut talis Pax nunquam futura sit, aut diuturna non sit. Hæc pariter non est *via Pacis*, qualem quærimus; velle omnia lucrari, & nihil perdere, non est hoc sociare dexteras, sed in mutuum sanguinem armare. In casu nostro, dum *viam* ad veram pacem inquirimus, ait Apostolus: *Unus enim Deus, unus & mediator Dei, & hominum, homo Christus JESUS: qui dedit redemptionem semetipsum pro omnibus.* Habemus ergo viam, & mediatorem pacis nostræ Christum in Bethlehem: habemus in hoc Parvulo Bethlehemitico Deum, cum quo, & per quem in pacem, & gratiam redeamus; habemus in ipso Deum-hominem, per quem cum Deo in amicitiam homines revertamur, & pacem. *Ipse enim est Pax nostra, qui fecit utraque unum: faciens pacem.* Admirabile dictum Apostoli: *Ipse est pax nostra, & faciens pacem.* Ipse est *Pax*, quia Deus; *faciens pacem*, quia homo, quasi dicatur: Iste Rex, est pax: & ipse Rex pacem procurat, & facit. Periculosa, & suspecta pax inter Deum & subditos, inter Majestatem, & miseriam: quando ab una parte omnia lucrari, ab altera nihil perdi velle fixum est. Omnia alia facta sunt. Mundus erat pacificandus, non judicandus; non exacerbandi peccatores, sed consolandi, sed sanandi, sed ex inimicis faciendi amici; *Non enim misit Filium suum, ut judicet mundum: sed ut salvetur mundus per ipsum.*

1. Tim. 2.

Eph. 2. ℣. 14. & 15.

Joan. 3.

Securè

Securè proinde ad hanc ſe pacem mundus reſolvit.

Mediatores, & Conſiliarii Pacis Chriſtū ſibi proponant Ideā.

Domini mei, & omnes Chriſtiani, quorum intereſt conſilio, & auxilio promovere pacem, ubi amabò, legiſtis hìc dicto vel facto Chriſtum meditatum fuiſſe patibula, & gladios, ſanguinem, & cædes miſerorum: & non potiùs egiſſe Mediatorem, medium ſe interponendo inter iratum Deum, & peccatores, ut fulmina averteret procul, & potiùs in ſe reciperet, & ſuomet ſanguine Paternas repararet injurias? Hoc ſi fieret ab iis, quorum intereſt, ſpectaréntque univerſale, & publicum bonum Dei, & hominum, quàm aliter affulgeret ſpes Pacis! Sed quia quorum intereſt id facere, negligunt; & quorum nihil intereſt, nihilominus contra legem, ſtatum, & vocationem ſuam ſanguinaria dictant conſilia, periculoſiſſimos mundo *Mediatores* ſe faciunt. Quisquis fieri vult mediator inter Deum, & mundum, aut Deus ſit oportet, aut tanta charitate præditus, ex qua cognoſcant omnes in ipſo inhabitantem Deum, qui *non quærit, quæ ſua ſunt.*

1. Cor. 13.

Chriſtus lucra, & commoda ſua poſtpoſuit paci noſtræ.

Hìc ſiſtamus parùm, & ad gloriam unius illius Mediatoris noſtri JESU Chriſti diſpiciamus, quàm Pax iſta lucroſa fuerit aut Deo, cum quo: aut Chriſto, per quem confici debuit, & quam hodie Angeli promulgant: *Gloria in excelſis Deo, & in terra pax hominibus.* Certè Bethlehemiticum ſtabulum docebit, qui fructus ex hac pace redundaverint in filium Dei, ut vel hæc ſola fides ſufficiens eſſet, ut plenis amplexibus tota Chriſtianitas, vel cum ſui detrimento, rueret in pacem.

Suppoſitô, quod Chriſtus fuerit verus Deus, & homo, ex quibus naturis unitis Mediator eligi debuit: de ſuo jure debuit aliquid remittere, ut Deus; & de noſtro aliqua ſuſcipere, ut homo. Et ecce habemus Apoſtolum teſtem de auditu, Paſtores teſtes de viſu: *Tranſeamus in Bethlehem, & videamus hoc Verbum quod factum eſt.* Venerunt, in præſepio jacentem invenerunt, & adorârunt. Quomodo in præſepio? *Quoniam* (inquit Paulus) *propter vos egenus factus eſt, cùm eſſet dives, ut illius inopiâ vos divites eſſetis.* Exinanivit ſe divinitas, uſque ad corpuſculum, majeſtas uſque ad ſtabulum, ſapientia uſque ad ſilentium, dominium uſque ad ſitim, & famem; gloria uſque ad pedes jumentorum. Tanti! tanti conſtitit Mediatori Opt. pax noſtra! hoc lucrum, hi fructus pacis, hæc emolumenta laborum, & victoriæ ex reparato genere humano in Chriſtum redundârunt. Potiùs ergo egeſtate ſua pacem nobis ditiſſimam paravit, ut illius inopia, multorum fierent divitiæ: quod erat boni Mediatoris. Quid plura? Tot mundi impietatibus, ſcandalis, & ſceleribus offenſa divinitas placari debuit, ſi inveniretur una de millibus tantæ dignitatis Perſona, quæ ſatisfactionem offenſæ parem præſtare poſſet, & vellet. Deus homo factus, qui de ſuo jure, ut vidimus, tam multa, & magna remiſerat, pœnas pariter exceſſibus tantis debitas in ſuomet innocenti corpore luendas ultrò ſuſcepit, tantùm ne protraheretur pax, etiam ſanguine, & morte ſua dignam illam margaritam putavit.

2. Cor. 8.

De ſuo jure remittit Deus: ſatisfactionem in ſe recepit, ut Deus-homo.

3tiò, quod in legibus ſæculi foret contra omnem rationem ſtatûs, admiror, Dei Filium non habuiſſe conſiderationem, & reſpectum, cum quo faciat pacem? An ignoravit, *Quis ut Deus?* ſcivit. Et quæ res tantam Majeſtatem vicit, & impulit, ut cum ſervis tractet pacem, cum perduellibus amicitias meditetur? ô Deus! ô incarnata Dei Sapientia! Ubi cognoverint Gentes Idolis aſſuetæ, quid dicturæ ſunt, cùm audierint ſic humiliatum Deum pro ſuis Vaſallis? ſi non leges, non ratio, non edictorum reverentia, certè tantus amor efficiet, ut omnes ad Deum redeant, & tanti beneficii recordatio ſtimulus erit perpetuarum gratiarum; quòd Vaſalli naſcantur in palatio, eorum Dominator in præſepio: quid dicent etiam Chriſtiani? cùm ſecùm altiùs penſaverint Deum, & hominem; Verbum, & Infantem; æternum, & temporalem; ſublimem, & humilem; in cœlo, & in ſtabulo; in alis Cherub, & ad pedes jumentorum; & hæc propter ſervos divino dudum judicio damnatos? Prætendite, ſi placet, conferte omnes Prætenſiones læſæ Majeſtatis veſtræ; adducite violata edicta, vaſtatas Provincias, profanata ſacrilegio Templa, impietates, ſcelera quæcunque poteſtis, enumerate; nunquam plura adferetis, quàm quæ contra Deum; & tamen dicitur: *Pax*, & dicebatur *Pax!* quia quod erat ſummum in Deo, ultrò remiſit; id quod infimum erat in homine, aſſumpſit. Utrinque aliquid remiſſum, aliquid aſſumptum: ex tam divina combinatione repentè Angeli clamârunt: *Pax! Pax in terra!*

4tò

A pace exclusit neminem.

4tò Pax ista Mediatore Dei Filio concluſa, pax erat universalis; neque enim hujus aut illius Gentis rationem habuit, ſed omnium, ut qui pro omnibus venerat, omnes ſalvaret, omnium peccata deleret, *Pacem his qui longè, & pacem his, qui propè.*

Eph. 2. 17.

5tò, Pacem fecit, non attendens, utrum deinceps eam violaturi eſſent? Luto fragiliores homines, cautiores Deo videri volumus, dum pacem, nequando iterum violetur, diſſuademus. Deus cùm in cœlo Iridem tanquam fœderis teſtem erigebat, utrum ſcivit pacem cum Noëmi poſteris perennaturam? an ignoravit impietates futuras, abſit! Ut quid ergo fecit pacem, ut quid pactum? Et quid iſtis tuis lacrymis adhuc fiet, dulciſſime Parvule Neo-nate! An iſta per genas tuas defluentes amoroſæ guttæ erunt teſtimonia, & ſtimuli perennes, ne unquam in amorem tuum injurii, tantóque beneficio ingrati futuri ſimus? Putásne omnibus, pro quibus profundis, proficuæ erunt lacrymæ? Scito, majorem mundi partem, pro quibus hodie Mediator veniſti, rurſus cœlo rebellaturam, & Diabolo fœderandas non aliquot animas, ſed Provincias, Regna, Nationes. Et quid tum? An ideò pacem non debuit facere Filius Dei? Aſſecurationem majorem petere non debemus, quàm Deus. Si pax ſtabit, ſtet; ſi ſolvetur, iisdem viis, & mediis erit componenda: & ne toties rumpatur Pax, en tertiam Viam, eidem conſervandæ, ac reparandæ ſummè neceſſariam, pro qua nec jam cœlum penetrare, nec in *Bethlehem* proficiſci opus. Via hæc intra nos quærenda eſt. Et quænam illa?

§. IV.

Via Pacis, bona Voluntas, hoc eſt: Juſtitia erga Deum, & homines.

Stet ergo veritas: rectiſſimè Angelos, ſinceriſſiméque pacem fuiſſe precatos hominibus, & dum bonam Voluntatem memorant, rem petere poſſibilem, ſcilicet Pacem; & cauſam Pacis rationabiliſſimam petere, dum petunt *bonam voluntatem*, id eſt, Juſtitiam ad Deum, & homines: quâ obtentâ illico conflandos gladios in vomeres; ſtatim Leo, & agnus ſimul morabuntur, & poſt longa odia gentium dexteræ jungentur. Cum Chriſto Nato talia miracula ſacrorum Vatum oraculis prædicta legimus paſſim:

Pſal. 71. *Orietur* (inquit David) *in diebus ejus juſtitia, & abundantia pacis.* Bene præmittitur Juſtitia, quæ revera mater eſt, origo, & cuſtos fidiſſima pacis Chriſtianæ; & hanc cum Chriſto nato exorituram, quando in Evangelio legent, vel audient: *Reddite quæ ſunt Cæſaris Cæſari: & quæ ſunt Dei, Deo;* ex hac juſta diſtributione neceſſe eſt oriri *abundantiam pacis.* Quare *abundantiam?* eò quòd ſequetur duplex pax: inter Deum, & homines. *Duplex vinculum cæteris paribus plùs ligat.* Ligabit pacem noſtram ex una parte Deus auctor pacis, ex alia omnes adminiſtratores juſtitiæ tum quoad Deum per veram Religionem; tum quoad ſe mutuò, dando cuique quod ſuum eſt. Donec manebit hoc vinculum, ſtabit Pax; quæ ſi nutet, fuiſſe alicubi vinculum Juſtitiæ ruptum neceſſe eſt; alicubi debuit ſubtrahi Deo, quod Dei eſt, & ſubtrahi hominibus quod fuit hominum; oportuit vel Præpoſitorum, vel ſubditorum bonam voluntatem verti in malam, charitatem in odium, æquitatem in rapinas, in lucra propria, *in meum, & tuum, frigidum illud verbum, & quidquid eſt malorum, in mundum inferens, innumeráque gignens bella:* ait Os aureum. Adeò mutuò connexa ſunt Juſtitia, & Pax Chriſtiana, ut ubi illa, id eſt, Juſtitia, Legum divinarum, humanarúmque fontibus cuſtoditur, ex ejus alveo Pax velut Paradiſi fluvius egrediens totum inundat terrarum orbem. *Hæc dicit Dominus:* Iſai. 66. *Ecce ego declinabo ſuper eam quaſi fluvium pacis.* Quare ſi quis compendio nôſſe vult *viam pacis*, aliud nec Deus dixit, nec ego adferre poſſum: *Quærite pacem;* ſed prius quærite Juſtitiam, quâ habitâ:

Juſtitiam, quia eſt ad Deum & homines: pariter duplex ſed qui ut Pax.

Orat. de S. Philogon.

Mox *Salus, & PAX niveis reviſent*
Oppida bigis.

Loquamur de conſervata, vel violata erga Deum juſtitia, quæ eſt moderatrix eventuum belli, vel pacis. Occurrunt hìc mihi tempora Noë, multum ſimilia ætati noſtræ, tantùm quòd ibi mundus diluvio aquarum, nunc verò Chriſtiani ſanguinis profluvio det pœnas. Et quæ cauſa tantæ mundi ruinæ? Ætatem illam mundi contaminatiſſimam videbat Deus: *quòd multa malitia hominum eſſet in terra, & cuncta cogitatio cordis intenta eſſet in malum omni tempore: tactus dolore cordis intrinſecus; delebo, inquit, hominem, quem creavi.* Quot verba, totidem ponderanda documenta. Et quomodo poterat terrarum orbis ſic uniri in malo? quomodo morta-

Gen. 6. Juſtitia erga Deum violata mundus perit juſto Noëmo pax.

mortalium omnium voluntates convenire in unam intentionem conculcandæ justitiæ Dei? Universus mundus consensit in hoc, ut Creator omnium contemnatur, justum est, ut universali diluvio puniatur. Mirabile! aliis intereuntibus Noë servatur, & potuit etiam deleto genere humano in pace vivere. Audite causam: *Noë vir justus, atque perfectus in generationibus suis, cum Deo ambulavit;* sine dubio in una voluntate. Miraculum! quòd excepto Noëmo omnium cogitationes, voluntates, studia confœderabantur in malo, contra Deum, hinc perditio: majus miraculum! Noëmum non habuisse partem in consilio tot millionum consentientium in malo. Nunc utriusque fructum notate: Sceleratissimos illos sua perdiderunt peccata; Noëmum servatorem suum justitia servavit, & quia *ambulavit cum Domino*, pacem habuit. Videte nunc, si justitia non sit mater pacis; & iniquitas non sit origo infortuniorum mundi, ac bellorum seminarium?

Verùm quia nec cœlum semper fulminat, postcaquam Deus tam memorabili bello perdomuit mundum, de Pace cogitavit. Et quia justorum cogitatio ubique cum Deo est, de Pace cogitavit Noë, qui cùm lætaretur Arcam (quæ ultimam mundi spem vehebat) post tot fluctuum discrimina salvam in montibus Armeniæ requievisse, ad explorandum utrum irâ Dei compositâ, aliquis fortè pacis radius affulgeret: dimittit Corvum, ut videat, & pacis agat Legatum. Isto non redeunte, mittit Columbam: Columba redit, quòd nusquam reperiret, ubi figeret pedem. Ex legatione duorum horum animantium totum discursûs nostri propositum apparebit: Nunquam Pacem habiturum mundum, quousque justitia non erit, & consensus unanimis cum Deo. Ex istis duobus animalibus quodnam putatis fuisse certius signum Pacis? Dicetis utique omnes, *Columbam*, cum ramo virentis olivæ reducem. Verùm si æquè *Corvus* attulisset rostro prehensam aliquam Calvariam ad Arcam, nónne æquè fuisset nuncius Pacis? Nullus dicit, at ego dico. Quia attulisset Justitiam Numinis completam esse in sceleratis. Ita nuncium Absalonis ab quercu pendentis, sufficit Joabo Duci, ut receptui caneret. Pariter dico: visâ illâ Calvariâ, sacrificium divinæ Justitiæ completum intelligentes, optimè concluisissent: *Ergo est PAX.* Emaneat ergo *Corvus*, & admiretur cadavera Gygantum, oráque quondam blasphema, superbæ dominationis furore sui Deique oblita, jam obstructa, jam clausa, jam exesa miretur, & concussis gaudio alis dicat: *Sic pereant inimici tui Domine!* Hunc sortiantur exitum, qui te derelinquunt, qui in pios grassantur, qui pupillos opprimunt, qui *Honoris Idolum* adorant, & ponunt in cœlum os suum; qui Templa tua, & aras spoliant, servos tuos fame, siti, cædibus, exilio vexant; qui patrimonium tuum sacrilegè invadunt, & dividunt. Corvo ita Justitiæ Dei applaudente, adsit jam Columba, & virentibus Arcam triumphalem baccis coronet, & dicat: Pax! *Pax in terra hominibus bonæ voluntatis! Cantemus Domino, gloriosè enim magnificatus est, equum, & ascensorem dejecit in mare;* & justitiæ servatores servavit incolumes.

Corvus typus justitiæ, & Columba pacis.

Exod. 15.

In allata Tragœdia deleti mundi, Deus videtur solas suas injurias vindicare voluisse, quod videtur rectè inferri ab oppositio, quòd Noë servatus sit ob justitiam erga Deum, eò quòd *ambulâsset cum Domino.* Utrum regula ista par habeat robur: si justitia non servetur cum proximis, pacem aut nunquam futuram, aut nunquam fore diuturnam, restat ut expendamus. Reflectite vos velim, ad id, quod aliàs ex me audivistis: Deum sæpe exemplarius vindicare proximis illatas injustitias, quàm suas injurias; quod si verum est, quemadmodum pax nequit coalescere inter Deum, & hominem, nisi justè vivatur, h. e. quæ sunt Dei, dentur Deo: sic, si exerceatur injustitia erga proximum, eò remotiorem futuram à Repub. pacem, quò remotior fuerit justitia ab hominibus. Saltem à pari stat argumentum. Si homo non subditur Deo, non est pax; si homo homini sit lupus, inter homines quomodo stabit pax? Dicat nobis Rex pacificus, & justus, quos fructus colligit aliqua Respubl. ex manifestis injustitiis, flagellum pestis, aut famis? parùm esset; incendia civilium bellorum? nec id satis. Punit Deus ruinâ collabentis Imperii, & translatione Regni ad alios Dominos. O pœnam formidabilem! *Regnum* inquit, *à Gente in Gentem transfertur propter injustitias, & injurias, & contumelias, & diversos dolos.* Bene. Quia ergo propter injustitias jus alterius violavimus, digna

Bella Christianorum sunt pœna injustitiarum in proximos.

Talis pœna est translatio Regnorũ.

Eccl. 10.

digna retributio fit, ut id, cujus gratiâ juſtitia violata eſt, ſacrificetur juſtitiæ, detúrque alteri. Diviniſſima inventio Dei! Etenim ſi *Juſtitia* Divo Martyri Cypriano *eſt Tutamen Patriæ, immunitas plebis, munimentum Gentis, cura languorum, gaudium hominum*: ſublatâ Juſtitiâ quid erunt Regna, niſi latrocinia? Neceſſe eſt ut turbetur tranquillitas ordinis, dum minores majoribus in prædam cedunt, & tenuiores potentiorum ludibrio, atque temeritati exponuntur, atque ita domus integræ, & Familiæ pereunt, potentiorum libidini ſacrificatæ: *Juſtitia, tutamen Patriæ, immunitas plebis, munimentum Gentis.* Deſtruite hoc munimentum; expoſuiſtis Gentem periculo ultimo, plebem direptioni, Regnum cineri, in Patriam tot ſæculis florentem igni, gladio, latrociniis omnibus latum aditum aperuiſtis. Experientiâne hoc ſuâ, an alienâ doctus ſit Salomon? illud certum eſt, eum Regem fuiſſe juſtum, & ideo pacificum. Primum regiæ poteſtatis auſpicium ille à juſtitia cœpit duabus adminiſtrata Mulieribus, cum celebrem illam de viva prole, maternóque in eam jure Controverſiam throno ſuo dignam putavit, examinavit, decidit. *Date illi infantem: hæc eſt enim mater illius.* Et nos mirabimur, ſiqui, vel ſiquæ non de infante ablato, ſed in ſervitutem redactis, ſed exſpoliatis Familiis, de poſſeſſionis legitimæ gradu dejectis querantur, & juſtitiam petant à cœlo? Ibi pro unius pueri incolumitate, & unius afflictæ matris juſtitia, ac ſolatio erigitur Thronus, circumſedent Principes, congregantur Judices, conſuluntur Leges, elicitur veritas, ſententia acceleratur: nos ſiccis oculis violatas tot millium Parentum fortunas, & depauperatas Familias intuebimur, & aures ferientibus cœlum genitibus claudemus? Poſt tot malas voluntates Pâxne illa ab Angelis prædicata petitur? Illâne pax, cujus Dei filius auctor, mediatórque fuit, deſideratur? *Quid vobis, & Paci* Chriſtianæ? *Non eſt pax conſcientiis impiis*, dicit Dominus.

3. Reg. 3. Ad Regentes documentum.

4. Reg. 9. 19

Pax fruſtra quæritur donec injuſtitiæ dominabuntur.

Hoc idem reſpondit Heros ille à Deo unctus, & vocatus in Regnum, & coronam Domini ſui. A quo transferebatur regnum, erat impii Patris impius filius, Joram. Expediebat is fortè nuncium obviam Jehu, cum Proceribus ſibi adhærentibus feſtinanti in Regiam, qui interrogaret adventûs, & tanti apparatûs cauſam. *Hæc dicit Rex: Numquid pax eſt? Et ait Jehu:* QUID TIBI, & PACI? Nunc tibi oſtendet Deus, qualem pacem meruiſti tu, & Pater tuus, qui dominandi libidine alienum jus violâſtis, innocentem ſanguinem fudiſtis, conculcâſtis juſtitiam pedibus impiis. Theatro funeſtiſſimarum mortium prima hoſtia cecidit Rex Joram ſagittâ percuſſus: *Et egreſſa eſt ſagitta per cor ejus.* Ecce pax! Par ultio divina ſecuta paulò poſt impiam Jezabelem, dum fortè purpuriſſo oculos depingebat, actam de feneſtra palatii præcipitem, & à canibus devoratam; poſtremi fatalem ſcenam ſanguinariam clausêre Achabi LXX. filii, & tot regiorum Juvenum capita in cophinis compoſita, ad pedes Jehu allata in Jezrahel. O juſta Dei judicia! Talem pacem ſortiti ſunt, qui matrem pacis Juſtitiam conculcârunt. Sed amabò quid ſignificant illi COPHINI, quibus 70. filiorum Achab capita compoſita auditis? Caſum hunc non ego fortuitum exiſtimo, quem jam pridem inter divinæ ultionis Sacramenta adoravi. Ut ergo in lucem proferat Deus, injuſtitiæ Parentum, quibus ſubditos, & alios pauperes exſugunt, ut filios ſuos ditent, & poſt ſe beatos in hoc mundo, felicésque relinquant; quantum inquam tales injuſtitiæ noceant, hic oſtendit Deus. Quemadmodum enim Achab poſt occiſum Naboth, vineámque hominis pauperis iniquè occupatam, ex ea Cophinos uvis plenos ſuſtulit: permiſit Deus in pœnam, in eosdem cophinos filiorum capita cæſa, & ſanguine ſtillantia compingi. Et adhuc pacem ſperent oppreſſores? nec animadvertunt in eorum capita cudi in cœlo tela, exacui ultrices romphæas in terris, per quas retributio peccato par reddatur? Nunquam certè tantum Chriſtiani ſanguinis fluxiſſet per mundum, ſi innocentia, ſi juſtitia, ſi bona voluntas dandi cuique quod ſuum eſt, meliùs cuſtodita fuiſſet. Chriſtiani! deſideratis Pacem? Reges, Respublicæ, Provinciæ, evacuatis populis, exhauſto ærario, incineratis agris, & villis exoptatam ſuſpiratis pacem? *Quid vobis, & paci*, quamdiu injuſti eſſe non deſinetis? Vultis, ut Dominus Deus veſter det vobis *requiem per circuitum*, ut non ſit occurſus malus? Ceſſet inter vos *Sathan*, qui impia ſuggerat conſilia; ceſſent Jezabeles ſuadere Maritis rapinas, & opreſſiones; Ceſſent falſi teſtes, & Cauſidici iniquitatis, & Majorem habeant

4. Reg. 9. 19.

ibid. v. 24.

4. Reg. 10.

Pœna talionis injuſtitiæ Achabi repenſa divinitus.

3. Reg. 5.

beant rationem Veri, quàm auri; Ceſſent adulteri, & ceſſabunt gladii divini; Ceſſent, qui Religionem auro vendunt, traditores Chriſti! Donec impii eſſe deſinatis, *Quid vobis, & paci?* Pax Chriſtiana filia eſt Juſtitiæ. Demus Deo, quod Dei eſt, & quæ hominum ſunt, hominibus; & pacem confectam gratulabimur.

Idem ſentire, idem velle Chriſti gratiâ effici poteſt.

Et hoc erat in re votum Angelorum: *Pacem* precari, hoc eſt, juſtitiam, & bonam voluntatem quàm terris peregrinam, tam verè Chriſtô natô exorituram gratulari. Precantur rem magnã, at Chriſti gratiâ facilem; Precantur ablata reddi, odia deponi, arma comburi, ſociari dexteras in oſculo pacis. Potuit poſt Adæ lapſum totus in unam malam voluntatem conſpirare mundus, non poterit Dei Filio Nato in unam tota Chriſtianitas conſpirare charitatis unionem? Adhúcne plus in nos poteſt Diaboli fallacia, quàm Chriſti gratia? Etiámne plus tangit nos dolor propriæ contumeliæ, quàm divinæ? quàm Patriæ, & tot pauperum vulnus? quàm Matris Eccleſiæ lacrymæ, & concatenata pericula? Prætenſiones Dei contra nos Chriſtus nativitate ſua diſſolvit, *pacificans per ſanguinem crucis ſive quæ in cœlis ſive quæ in terris:* Æquum eſt nos quoque deponere ad Chriſti cunas *Meum*, & *Tuum*, frigidum illud verbum: & ſtatim ex terra erit Paradiſus, ex hominibus Angeli, ex bello Pax. Si adhuc pergimus Deum lædere, & homines, *Quid nobis, & Paci?* Vertite funditus omnia, fatigate cœlum precibus, & hoſtiis; aliud non reponetur in terris, quàm, Fiat juſtitia, pereat mundus; Mutentur voluntates, detur Deo, quod Dei eſt, & hominibus; & illicò fiet *In terra Pax hominibus bonæ voluntatis.*

Colos. 1. 20

AMEN.

DOMINICA INFRA OCTAVAM NATIVITATIS.

SERMO I.

Tyrnaviæ in Cathedral. 1706.

Ecce poſitus eſt hic in ruinam, & in reſurrectionem multorum in Iſraël. Luc. 2.

SUMMARIUM.

An quis jure dicat: *Ruina mea eſt Chriſtus?*

I. *Non Pater Mittens.*
II. *Non Unigenitus Miſſus.*
III. *Sibimet, & aliis vera ruina, Peccator.*

Ab inconvenientia Evangeli hujus cum Natalis Dominici gaudiis.

NIſi Eccleſia Romana ex more vetuſtiſſimo iſtud prælegi curaret Evangelium, timerem Dominici Natalis diebus toti mundo gaudioſiſſimis, ex illo ad vos hodie verba facere. Quàm enim diverſa hæc ſtropha eſt ab illa, quam Angeli nuperrimè cantabant: *Gloria in altiſſimis Deo, & in terra pax!* Hodie contrà Puer, digito monſtratur prophetico, & quid dicitur? *Ecce hic poſitus eſt in ruinam, & in reſurrectionem multorum!* Quomodo in altiſſimis gloria, & in terris ruina? Quomodo pax Natalem Chriſti comitatur, ſi damnatio ſequitur multos? Quod emolumentum ex inclinato cœlo, Chriſtique deſcenſu in terras, ſi cum Chriſto non aſcendamus, ſed deſcendamus; non ſalvemur, ſed damnemur? Veritatem dictorum negare non poſſumus, quia *Os Domini locutum eſt;* tam enim verum eſt dictum Angelorum, quàm hominum, per quos prophetavit Deus de Filio: *Ecce poſitus in ruinam!* Sed dum mæſtos oculos in illud colloquium, ac perſonas jacio, tui me miſeret primùm, de Filiabus Adam prælecta Virgo Mater! quid audio? *Et tuam ipſius animam pertranſibit gladius.* Hæccine merces uteri, & uberum, quibus cœleſte illud pignus cautè portâſti, & lactâſti? hócne præmium lacrymarum, quibus Natum tuum ad jumentorum pedes humiliatum Mater perfudiſti? ſi ſic

tibi

tibi futurum erat, ut quid de millibus deligi? ut quid salutari ab Angelo Mater, & rerum omnium Domina vocari debuisti; quam tot lacrymæ, tot luctus, & gladii finire, & coronare debebant? Abite ergo Angeli cum cantu vestro! dum alibi Matrem gladii manent, & Filium vaticinia ruinarum. Fierine unquam possit, ut tales tantósque in mundi salutem factos apparatus, post incarnati Verbi adventum mundo tot votis expetitum, nec paucioribus gaudiis auditum, adhuc ruinæ sequantur? Fierine possit, ut qui ad *opera Diaboli dissolvenda* expectabatur, ut fortem illum armatum dominatione spoliaret, exuerétq; quibus confidebat armis; is non pacem, non quietem nobis, non securitatem salutis, sed pericula denunciet; & qui venenum tollere venerat, venenum quô pereamus, propinet, *Positus in ruinam.* 1. Joan. 3. 8

Ultimum palladium, ac solatium est, quod additur: *Et in resurrectionem multorum.* Sed hoc ipsum in quæstione: Quomodo unus idémque Dei Filius naturâ suâpte misericors, esse tam severus possit, ut salvet, & damnet; coronas, & supplicia decernat; aliis cœlum, aliis gehennam largiatur? *Ego occidam, & ego vivere faciam.* Aliquos occidam, aliquos vivere faciam. Quænam res in Deo, & Christo tam paradoxos producit effectus, causa justissima est disquirendi, quantumvis pro tantæ Festivitatis reverentia tempus esset silendi. Sed video vos tantæ Quæstionis motæ resolutionem audire velle; Dico: Quòd effectus tam oppositi, nempe *Ruina, & Resurrectio multorum*, hoc est, damnatio, & gratia sive salus æterna sequantur in Deo; dico inquam, jacturæ salutis causam unicam esse, ipsummet Hominem. Ut proinde nemo jure dicere possit: *Mea ruina, est Christus.* Quod ubi ostendero, spero fore, ut hodie *Revelentur ex multis cordibus cogitationes*, dum intra se quisque disquiret: ô Anima, unde, putas, accidant defectus, & *ruinæ tuæ?* Quod ut salutariter fiat, attentionem, benevolentiámque vestram imploro.

Stet, & æternum stet hæc Veritas: *Positum* esse Christum *in ruinam;* sed etiam debet stare Veritas, eundem Christum adventu suo *Resurrectionem* in mundum attulisse; ita ut siquid sinistræ opinionis exoriri possit, quòd sit *ruina* invecta per Christum, continuò diluatur dicendo, quòd in mundum etiam *resurrectionem* attulerit. Quis autem scandalizabitur in hoc de Deo, quòd justus dicatur, & misericors? justus in prævaricatores, misericors in corde contritos? *Simeon prophetat* (verba sunt Sancti Episcopi) *in ruinam, & in resurrectionem plurimorum venisse Dominum JESUM: ut justorum, iniquorúmque merita discernat, & pro nostrorum qualitate factorum Judex verus, & justus aut supplicia decernat, aut præmia.* Itaque per *ruinam*, cum S. Doctore intelligimus hìc pœnam, quæ debita est peccatis; per *resurrectionem* autem gra-tiam, quæ est semen gloriæ. S. Ambros. hìc.

§. I.

Observa: Christum non dici Ruinam, *sed: Positum in ruinam. A quo?*

Verùm quia pœna præsupponit peccatum, & gloria supponit meritum: de hoc ipso quæritur, Quis sit causa? Quis auctor ruinæ? an Christus? An, qui Christum posuit in ruinam? Nunquam prophetavit Sanctus Simeon Christum fore, vel esse *ruinam*, sed, *Positum esse in ruinam.* Restat inquirere, à Quonam? & quomodo positus Christus in ruinam? In quæstionis hujus theatro duæ præcipuæ Personæ comparere debent: videlicet Pater mittens Filium, Filius missus; quæ utraque Persona conjungitur in celeberrimo textu Joannis: *Sic Deus dilexit &c.* videlicet & Mittens, & Missus, & finis quem ille mittendo, & iste veniendo intendebat. Dubitari possit fortasse, utrum non positiva intentione ruinandi animas Pater misisset in mundum Filium, & Filius veniendo id executus sit? Si ita, mirum non est, si dicatur: *Positus in ruinam*, à Patre videlicet mittente, & etiam à se tali missioni obtemperante, & acceptante. Joan. 3.

Videtis, post tot immortalia beneficia in omne genus humanum collata, ad quale Tribunal devoluta sit causa Dei Patris, & Unigeniti. Vos oro, expendite, ponderate pulcherrimum testimonium ex ore Christi ad Nicodemum, cujus authoritate ab omni tali suspicione absolvatur & mittens, & missus; Deus Pater, & Unigenitus ejus; & intentio utriusque; videlicet, Nec Patrem misisse, nisi ex amore; nec Filium venisse, nisi ex eodem amore. Quis autem amat, & ruinat? Audiamus os Christi: *Sic Deus dilexit mundum, ut Filium suum Unigenitum daret: ut omnis, qui credit in eum, non pereat, sed habeat vitam æternam.* Illud *Sic*, innuere mihi videtur tria: *1mò*, Voluntatem dandi Filium suum, *2dò* modum dandi, & *3tiò*, finem, ob quem dare voluit.

1mô. Voluntas, seu misericordia, & amor mittentis Filium.

Itaque expendi potest in Deo voluntas, sive Decretum æternum, liberum, & absolutum, ex pura commiseratione, unóque bonitatis suæ intuitu, dandi pro salute, ac reparatione mundi proprium Filium suum: reperisséque hoc excellens ac nobile medium salvandi mundum, cùm sexcenta alia suppeterent. Hoc est illud: *Sic. Sic Deus dilexit mundum, ut Filium suum Unigenitum daret.* Ex-

2dò. Modus, sive executio decreti.

pendi potest etiam modus dandi, sive Decreti executio omnino admirabilis: Cùm enim venisset *plenitudo temporis*, misit Filium suum sine dilatione, sine procrastinatione, quæ longè tædiosissima amantibus esse solet; quia *spes, quæ differtur, affligit animam* vel suæ, vel alterius salutis amantem. Quodsi illi secreto SS. Trinitatis consilio, in quo deliberabatur de Filio mittendo, de *modo*, & *tempore* mittendi, similibúsque tanti momenti circumstantiis tam augustæ expeditionis: si inquam, illi consilio interfuissent aliqui de primis Archangelis, qui non habent nisi limitatam charitatem, & utique majorem in Déum, quàm in nos: disuasissent, laborâssentque impedire missionem Divinæ Personæ saltem pro illis circumstantiis mundi, rerúmque publicarum. Quam ob causam? Quia tunc regnabant Herodes, virulenti Pontifices, lapidum adoratores Cæsares, Proconsules parum Dei reverentes. Itaque expectetur tempus faventius, Reges meliores. Quantumcunque de fundo carceris miserabiles illæ animæ vociferatæ fuissent ad aures Filii Dei: *Utinam dirumperes cœlos, & descenderes!* & ad Patrem: *Mitte, quem missurus es!* Respondissent isti Ministri: Vota esse bona, sed à talibus, qui nesciunt mundi statum, & quid honori SS. Trinitatis conveniat. Si enim Christus nunc mittatur, quid faciat cum lapidibus, & Tyrannis istis? Quodsi Evangelium cœperit prædicare, & homines convertere, certissimæ turbæ, seditiones, incendia, mortes innumeræ sequentur, mala inaudita, Deique offensæ, quàm unquam fuêre, maximæ. Quæso, cum talibus reflexionibus quando fuisset mundus salvatus? Et ecce! *Sic Deus dilexit mundum*, ut Filium suum mitteret, cùm maximè regnarent peccata, & leges omnes conculcarentur; non enim ad Davidis, ad Ezechiæ tempora venit, non ad Constantinos, Theodosios, Carolos, reservatus fuit adventus Magni Dei, & Salvatoris nostri, ad Reges, & Reginas divini honoris studiosissimas: sed & citò, & hoc tempore, ad medias persecutiones; nec Filius segnior exequendo, quàm Pater mittendo, opus redemptionis incredibili pietate susceptum, inchoatum, & paucos intra annos vidit feliciter absolutum. Denique *3tiò* expendi

3tiò. Finis, qui fuit, animarum salus & reparatio.

posse finem, ob quem Deus dederit Filium suum, videlicet, *ut salvetur mundus per ipsum: ut omnis, qui credit in eum, non pereat, sed habeat vitam æternam.* Et non obstante salvandorum paucitate etiam post Incarnationem Verbi, quódque plurimi ob malam voluntatem, & Divinæ gratiæ neglectum damnandi forent: propter illos attamen paucos voluit Filium suum incarnari, nasci, pati, mori; ut quantumvis non ab omnibus acceptaretur, fieret tamen abundans, atque *copiosa* pro omnibus *redemptio.* Et non sint in genus humanum hæc in Deo maximæ propensionis, & amoris indicia? Et non sint contra *Calvinianos* arma triumphalia militiæ nostræ? Audi majora.

§. II.

Deus non potuit amare, & ruinam intendere.

Ex quo dicto Christi, de Patris sui voluntate in mittendo, sic formatur argumentum. Deus ex infinito amore suo misit Filium suum, *ut salvetur mundus per ipsum:* quicunque ruinatur, & quibuscunque *positus est* Christus *in ruinam*, ii nunquam salvantur, ut clarum est. Nolle aliquem salvari éstne amoris indicium, an furoris? Jam si tantô beneficiô dando Christum, dedisset eo fine, ut Christus sit *ruina*, & impedimentum salutis, numquid quod una manu ædificâsset, altera destruxisset? *Vox quidem vox Jacob*, vox amoris; sed *manus* & opera fuissent *Esau.* Jam si supponas Christum missum esse in *ruinam*, & attendas admirabilem Incarnationis executionem, & accelerationem: sequitur, Deum non tantum absolutè intendisse *ruinam*, sed etiam festinâsse, ut animæ citiùs gratiâ Dei spolientur, exuantur, damnentur. Ex quo sequitur iterum: Adventum Magni Dei, & Salvatoris nostri, ex parte ruinandorum non fuisse beneficium, sed hostilitatem, tormentum, & pœnam. *3tiò*, Præstitisset ipsis, Christum non venisse, & natum nunquam fuisse. *4tò*, Lucem, *quæ illuminat* Joan. 1. *omnem hominem*, hoc est, veritatem, doctrinam, miracula, passionem, ipsis fuisse venenum; ignem, quem venit mittere in terras, fuisse non ad illuminandos

nandos illos, qui ſedebant in tenebris; ſed ad comburendos divinitus ordinatum. Denique omnia nomina *Admirabilis*, *Dei*, *Fortis*, *Principis Pacis*, *Agni*, *Meſſiæ* fuiſſe Titulos ſine re. Deus Omnipotens liberet nos à Dei amore tali, ſub cujus velo latet exitium, & ruina animarum noſtrarum! Quorum cum in ſummam illam, ſempiternámque bonitatem omnino nihil cadere poſſit, nec amando nos ruinam, ſed bonum, verúmque profectum noſtrum intendat, Patrem divinum habemus tali ſuſpicione liberatum, atque defenſum, nósque de optima in nos voluntate redditos omni ex parte ſecuros.

§. III.

Nec Filius potuit intendere ruinam.

Videamus ex parte Chriſti, utrum hac intentione advenerit, ut per ipſum procuretur *ruina*. Ipſiſſimum hoc, quod docui de Deo Patre mittente ſuum Filium, dico: Quemadmodum Deus ex ineffabili ſuo amore miſit, ita & Filius ex infinito, puriſſimóque amore ad nos venit; cum quo amore Chriſti quodſi vel tenuiſſima effingi poſſit ſuſpicio intentatæ *ruinæ*, vel unum, vel alterum negare debebimus, videlicet vel non amore impulſum veniſſe, vel ex induſtria intendiſſe ruinare animas: id quod repugnat Salvatori. Quod ſic probo: *Non enim miſit Deus Filium ſuum in mundum,* Joan. 3. *ut judicet mundum, ſed ut ſalvetur mundus per ipſum.* Quis ergo judicat? Ut quid igitur Chriſtus judex vivorum, & mortuorum? Reſpondet Chriſtus, & reſolvit: *Qui enim*, inquit, *credit in eum,* Ibid. *non judicatur: qui autem non credit, jam judicatus eſt, quia non credit in nomine Unigeniti Filii Dei.* Correſpondentia hæc eſt Filii cum Patre, qui Filio dedit omne judicium; quod judicium Chriſto præſide fore rigoroſiſſimum, certum eſt. Jam ſi veniſſet eo fine, ut ruinetur vel unus, jam totum tribunalis, & judicii rigorem contra ſe vertere deberet, quicunque enim eſt cauſa delicti, magis peccat; ſi Dei Filius cauſa extitit ruinæ in tempore, eſt cauſa ruinæ æternæ: ergo ſanguis animæ de manibus ejus requiratur! quia non erat in mea poteſtate evadere ruinam certiſſimam, ad quam author, & impulſor fuit Deus antecedenti decreto. *2do.* Hanc ruinam, quæ orta eſt ex adventu Chriſti in mundum, 1. Cor. 1. 23. vocat Paulus *ſcandalum*. *Judæis quidem ſcandalum.* Jam ſi ex ſententia Chriſti, ei qui proximi ſcandalum, & per hoc ruinam intendit: *Expedit, ut* Matth. 18. *mola aſinaria ſuſpendatur in collo ejus,* 6. *& demergatur in profundum maris;* eidem pœnæ fieret obnoxius Chriſtus ipſe, qui erat homo ſimul, & Deus, ſi veniſſet in animarum ſcandala, & ruinas puſillorum. A quo tam procul abfuiſſe ſummam illam, perfectiſſimámque ſanctitatem, documento ſint potentiſſima argumenta, ad quæ provocabat eos, qui non in ejus vita, non moribus, ſed quod omnium nobis bonorum caput erat, in ejus divinitate ſcandalizabantur; provocando eos ad opera, quæ nullus hominum facere potuit, niſi ſolus Deus: *ruinæ*, ſiquam accipiebant, totam cauſam excutiens de humero Dei Patris, & ſuo, ita ut videntes tanta inhabitantis divinitatis teſtimonia fiant inexcuſabiles, ſi infidelitate ſua pergant perſequi Filium Dei, & in peccatis ſuis moriantur. Tanti fuit Chriſto ab ſe amoliri vel umbram ſcandali dati, nequando anima aliqua quacunque ratione queri poſſit dicendo: *Ruina mea eſt Chriſtus.* Quomodo ruina, qui eſt reſurrectio noſtra? *Ruina mea eſt Chriſtus!* Dicat hoc Mors! cujus Chriſtus mors fuit, qui morte ſua nobis aditum vitæ aperuit ſempiternæ. Dicat hoc Peccatum! *mea ruina eſt Chriſtus*, qui, *ut deſtruatur corpus peccati,* Rom. 3. 6. advenit; ut deleat Adæ maledictum, adventúque ſuo piiſſimo mundum ſanctificet. Clament hoc tenebrarum Principes, & Idola gentium! clament Lupanaria, & pompæ Diaboli: *Unus ædificans* (Diabolus) *& unus deſtruens* Eccl. 34. 3. (Chriſtus) qui *In hoc apparuit, ut diſſolvat opera Diaboli*, & fortior ſuperveniens impia dominatione exuat, catenisque vinciat arrogantem Tyrannum. Dicat! *Ruina mea Chriſtus;* Ruina mea eſt Filius Virginis; ruina mea Agnus, qui tollit peccata mundi: *Quem propo-* Rom. 3. 25. *ſuit Deus propitiationem per fidem in ſanguine ejus.* Ille ſanguis, illud pretium, ac ſumma, omnium uno die captivorum mihi ſuſtulit dominatum. *Ecce poſitus hic in ruinam!* Felices *Ruinas Mortis*, *Peccati*, *Diaboli*, ſuper quas ædificabatur Templum Agni, Eccleſiæ ſanctitas, innumerabilium reſurrectio animarum.

1. Joan. 3. 8.

§. IV.

Quilibet peccator ſibi, & aliis eſt ruina, & laqueus.

AA. Chriſtiani! Admiremur magis Chriſtum ſicut hominibus multis *in reſurrectionem*: ſic multis (proh dolor!)

Quinam in veritate dicere poſſint. Ruina mea eſt Chriſtus?

Expoſitum eſſe *in ruinam.* Non admiror Morti, non admiror Diabolo, ſed hominibus *in ruinam?* Siquis ex hac corona veſtra alto gemitu nunc ducto, cum ſolo Deo loquens dicat: Ah Deus! *ruina* mea quis? nisi iſte, & ille malus conſiliarius, ſocius corruptor, peſtilens, & fraudulentus amicus, & ſub pelle agni lupus! *Ruina* mea (ut quondam Uxoris Putipharis) oculus in Adoleſcentem crebrò jactus, ac defixus; *ruina* mea (ſtudioſus dicat) lectio obſcæni voluminis; *ruina* mea (filia quæpiam memoret) indulgentia Parentum nimia, converſatio ſequior, literulæ, munuſcula miſſilia, meus hamus, & laqueus extitêre: mirum ſortaſſe non erit hominem homini laqueum tetendiſſe, & qui tangit picem, inquinari ab ea. Sed dum audis ex alio, quisquis ille ſit: *Ruina mea eſt Chriſtus*, ruina mea eſt Sanctus Sanctorum; mea ruina eſt, lux vera illuminans mundum; mea ruina eſt Agnus, qui tollit peccatum mundi; Parvulus de Bethlehem me ſeduxit, jugulavit, occidit; qui venerat omnes ſalvare, me perdidit. Obſtupeſcite cœli ſuper hoc! Sit interea verum verbum hoc; ſit *Poſitus in ruinam* Chriſtus benedictus: à quonam *Poſitus?* utique ab aliquo; non à Deo Patre, qui Filium ex amore miſit; non à ſe ipſo, quomodo enim ruina, qui eſt reſurrectio noſtra? Quomodo deſtructor, qui omnium reparator? Quomodo peccat; & tollit peccata mundi? Si in ruinam poſitus Sanctus Sanctorum, ab aliquo poſitus fuit, & poſitus *in ſignum*, *cui contradicatur* à malis, obtemperetur à bonis. Doctrina, ſermo, exempla, miracula Chriſti undecunque perfectiſſima, teſtabantur verum Filium Dei; occaſionem nihilominus ex his ipſis captabant Pontifices, & Scribæ calumniandi divinitatem in ipſo inhabitantem, ſicut nunc ex Evangelii verbis Hæretici ſugunt ſibi ruinas, hæreſes, carnis libertatem, maledicta in Eccleſiam comminiſcuntur. Alii ex Chriſti prodigiis convertebantur, ut Centurio: *Verè*, inquit, *hic homo Filius Dei erat!* vidit, & credidit; alii videbant, & blaſphemabant, & ad lucis æternæ fulgentiſſimos radios dum ceræ liquefiebant per gratias, lutum indurabatur per naturam. A quonam igitur poſitus *in ruinam?*

Ex Innocentiſſimo Chriſto ſcandalum accipi potuit, non dari.

Ex parte ſua Chriſtum (de hoc enim eſt quæſtio) manifeſtè patet, ruinam nemini intendiſſe, qui venerat omnes illuminare, h. e. ab omnibus ruinam amoliri, & ſalutem conciliare; quod ex omnibus illis titulis fit manifeſtum, ex quibus ruina, vel provectio fabricæ conſurgere conſuevit. Vocat ſe *Lapidem* Chriſtus, & Paulus confirmat: *In Lapide angulari Chriſto JESU Domino noſtro*, fundatam eſſe Eccleſiam, & ſalutem animarum omnium. Sed quemadmodum *Lapis angularis* in domibus commodi pariter, & incommodi habet multum: ille geminum parietem conjungit pariter, & ſuſtentat; ex adverſo nulla pars ædificii tantum patitur, & videtur eſſe nociva, cur? ibi quippe offenditur ſæpius, ibi currus ceſpitant, hærent; ſed anne ideò, quia ſic poſitus eſt murus? at ſic fieri oportebat; quemadmodum ergo ſtultè maledicta jacias in lapidem ad quem rota tua colliſa eſt, quam juxta artem regere debueras: ſic impiè convitiabitur peccator Filio Dei dicendo: *Ruina mea eſt Chriſtus.* Equidem ſi Evangelia non legiſſes, non incurriſſes in hæreſim, non damnarêre ob Chriſtum: at Chriſtus non hoc fine venit, non hoc fine Evangelia condidit, ut diſputes tanquam Philoſophus, ſed ut credas tanquam fidelis; à quonam *poſitus* tibi *in ruinam* Chriſtus, nisi à te ipſo? *Nunquam legiſtis in ſcripturis: Lapidem* (iſto lapide premebat Chriſtus ſuperbos Phariſæos) *quem reprobaverunt ædificantes, hic factus eſt in caput anguli? à Domino factum eſt iſtud, & eſt mirabile in oculis veſtris. Ideò dico vobis, quia auferetur à vobis regnum Dei, & dabitur genti facienti fructus ejus.* In caput anguli miſſus erat lapis politus, lapis pretioſus, Dei Filius, cui ſuperædificare poterant & felicitatem terrenæ dominationis, & cœleſtis; ſed quia hoc fundamentum ſpreverunt, utramque perdiderunt. Timeant ruinas, qui fidem deſeruerunt! quod timebant Judæi, juſto Dei judicio edictum audiunt: *Auferetur à vobis regnum Dei.* Videant, cum quo luctentur! Lapis eſt. *Et qui ceciderit ſuper lapidem iſtum, confringetur: ſuper quem verò ceciderit, conteret eum.* Aptiori ſimilitudine explicari res hæc non poterat, & tota intentio Incarnati Verbi explanari. Nam

Probatur ex teſtimonio Chriſti qui ſe *Lapidem* vocavit.

Matth. 21.

Imprimis ad excelſum iſtud animarum ædificium requirebatur Lapis fundamentalis & angularis. Datus eſt Sanctus Sanctorum. Ipſe fuit *Lapis, quem reprobaverunt ædificantes.* Illi ſine dubio volebant ad cœlum ire per ſuos lapides, per cærimonias ſuas; & divinum lapi-

Duplex ruina: utramque ſibi imputet peccator.

lapidem nitebantur deſtruere, & alios ſubſtituere, qui non quadrabant. Attamen ipſiſſimum lapidem, quem reprobaverunt iſti, approbavit Deus, & approbat totus hodie mundus. Quòd ſuperba Synagoga ad hunc lapidem ſe confregerit, Chriſtus in cauſa? Illi, illi, qui malè uſi hoc Lapide, & non pro ſalute ſua. Sic inter nos accidit. Alicujus Suſannæ pulchritudo etiam ſenibus fit in laqueum; quomodo Dei donum factum eſt illis exitium? Paternus in Joſephum amor, ac benevolentia amplior, fuit fratribus odiorum ſeminarium, & materia ruinarum: per quemnam aut Joſeph, aut Suſanna *poſiti in ruinam?* dicam: Vah! horum oculus invidus, illorum aſpectus laſcivus ſtatuerunt ſibimet ruinam, ubi non erat; effrænata paſſio dona Dei vertit in exitia: cecideruntſuper lapidem, & confracti ſunt. Hæc prima ruina eſt, inquit Chriſtus, violentorum, & impetuoſorum, non attendere ſibi, & cadere *ſuper Lapidem.* Sequitur ſceleſtos alia pœna longè graviſſima: qui uſque eò ſodicant, ſancta vellicant, Chriſto injurias inferre non deſinunt, donec Sacro-ſancto hoc fidei lapide emoto, corruat ſuper eos machina tota ſtructuræ cœleſtis. Chriſtus inter ignominias, & ſcandala adhuc ſtabat; & illi plus ultrà ſodicabant, ut planè evellerent eum ex ædificio, quod ſtruebatur; factum eſt & hoc: evulſus eſt, occidione deletus eſt, ſepultus eſt; tum primò accidit iis, quòd Philiſtæis in Gazenſi palatio congregatis: ut fortiſſimus Samſon concuſſis atque labefactatis columnis plurimos obrueret, inque ruinis Triumphi ſui ſepeliret; impleretúrque ſuper Synagogam furioſi voti, quò ſe coram Pilato obſtringebant, men-
Matth. 27. ſura: *Sanguis ejus ſuper nos!* Habetis, quod quæſiviſtis. Nunquam obſtinati peccatores, niſi damno ſuo, innocentiam Chriſti vellicârunt: aut in lapidem hunc ipſi ſe confregêre, aut ab eo contriti ſunt, & in nihilum redacti.

Chriſtus eſt *ſignum*, in quod poteſt bene, vel male collimari.

Utinam non etiam hodie Chriſtus ponatur *in ſignum*, *cui contradicatur.* Luc. 2. De ſigno hoc ſic Iſaias: *Dominus ipſe vobis dabit ſignum. Ecce Virgo concipiet.* Iſa. 7. Sub quo termino *Signi*, quale myſterium lateat, explicat D. Auguſt. *Duo genera hominum demonſtravit, & contradicentium gratiæ Chriſti, & percipientium gratiam Chriſti: ut illis ſit aqua contradictionis, iſtis ſanctificationis; nam de ipſo Domino in Evangelio legitur: Et in ſignum, cui contradicetur.* Declaremus, ſi placet, à ſimilitudine artis jaculatoriæ, quomodo Chriſtus proponatur *in ſignum* non ruinæ, ſed gloriæ multorum. Pro experimento artis jaculatoriæ ponitur in certa diſtantia *ſignum* in tabula. Iſtud ſignum ſi conſideretur, inventum propoſitúmque eſt hoc fine, ut aliquis lucretur. Quòd aliqui tangant, aliqui non, non arbitror poſſe tabulæ vitio verti, nec præmium proponenti. Quodſi cœcus aliquis accedat, aut ebrius, ac pæne ſtadiò aberret, quis ſcopum incuſabit? Tu Deus optime! qui infinito amore impulſus doctrinam, vitámque Chriſti *in ſignum* erexiſti, in quem collimaremus omnes cœleſtis præmii candidati; ſi quis tot præſidiis inſtructus, tot gratiis adjutus *ſcopum* non tangit, & in tanta donorum ubertate nihil aquirit: vitio, cœcitati, pertinaciæ ſuæ imputet, quâ fecit, ut inde ſibi ruina obvenerit, unde alteri reſurrectio emerſit, & gloria. Quot ſunt, qui Salvatore uti reſpuunt, nec honori, nec ſaluti ſuæ provident, cùm poſſunt, & invitantur. *Propter quod tradidit illos Deus in deſideria cordis eorum*, inquit Paulus; hoc eſt, dimiſit facere quod volunt, dum unicum, & maximum bonum nolunt. Qualia putas peccantium eſſe deſideria? an quisquam hoſtis infeſtior excitari talibus poſſit, quàm ipſi ſibimet? *Quæ nullus unquam hoſtis in ipſos patravit, ea libentiſſimè, & promptiſſimè amplectuntur; & quod nullus unquam Judex in eos ſupplicium ſtatuerit, ii illud in ſe ipſos attrahunt.* Ultima hæc verba perpendamus: II ILLUD IN SE IPSOS ATTRAHUNT. Cùm enim Dei natura longè remotiſſima ſit ab hoc, ut cuiquam ruina intendatur, & ſupplicium: phrenetici iſti, malorum omnium maximum atque graviſſimum ultro *in ſeipſos attrahunt*, dum nihil de ſalute, nihil de deſiderio ſalvandi animas ſuas, nihil de pietate Dei cogitantes, Chriſtum inſuper oſtentui, ac ludibrio habentes, ſtatuunt eum ſibi mutuò in ſignum, cui linguis, vitâ, moribus datâ induſtriâ contradicant; ut quod Veritas illa æterna ſtatuit pro ſalute, & reſurrectione, id iſti interpretentur pro *ruina*; & quod ſtatuit pro certiſſimo ſigno æternæ vitæ, id ipſi velut æternæ damnationis teſſeram fugiant, atque perhorreſcant. O dementiam ſingularem!

Rom. 1.

Theodoret.

S. Auguſt. l. 4. Quæſt. ſuper Numer. q. 36.

Hic

Peroratio ad duas SS. Trinitatis Personas.

Hic sanè nescio, cui condolentis animi exhibeam affectum; An tibi Deus Optime Maxime! qui Unigenitum tuum de æterno paterni sinûs accubitu dimisisti in terras? An tibi ô Fili Dei! An verò tibi mœstissima Matrum, cujus animæ doloris gladius infixus? Omnes enim videmini mihi expectatione vestra delusi. Pater non consecutus propositi sui scopum, quô Unigenitum suum dedit. Tu verò ô Fili Dei, qui venisti, ut per te mundus salvetur, quid demum illo sanguine tuo? quid oppetita morte, & tot laboribus lucratus es, nunquid jacentium erectionem? Multorum equidem, sed non omnium. O scopum divinissimum! ô intentionem optimam saluberrimámque! Sed ô relegandam filiorum Adam socordiam, qui tot salutis præsidiis uti neglexerunt! At tandémne aliquando ex sacrario pectoris tui, Deipara Virgo, gladius refixus est? Non arbitror; quantùm ego cor tuum didici, gladius ille infixus erat ob Filium, sed ob Filium sic afflictum, sic injuriis ipsis exultantem, sic militantem, & vincentem, neque tamen ante Triumphi sui currum, nisi paucissimas manubias deducentem. Omnibus salus impensa, omnibus oblata gratia, non ab omnibus acceptata. Absolvo vos, vos omnes, quia nec Deus Pater, nec cum Matre Filius cujusquam damnatio, ac ruina extitistis. Quis ergo? sibimet ipsi peccator supplicium est, qui fœdus cum morte iniit, dum vivere licuit; dum salvari potuit, respuit, non respuit. Et quis hoc tyranno sævior, quis crudelior? Ego tamen priùs, quàm sermonem finiam, per te Sacratissima Virgo, supplicem meum libellum porrigi Filio tuo cupio, oróque, ut si dignatur secundùm nomen suum meus verè JESUS, & Salvator fieri, sit, sit *ruina* veteris hominis mei, & *resurrectio* novi! Atque ut hæc brevis oratio cœlum quantocyus penetret, tuis manibus commendo.

AMEN.

IN EADEM DOMINICA
SERMO II.

Ut revelentur ex multis cordibus cogitationes. Luc. 2.

SUMMARIUM.

Christus Natus, Proba multorum cordium.

I. *Judæorum cogitationes revelatæ.*
II. *Amor, & odia multorum in Passione aperta.*
III. *Deiparæ Virginis conformitas, fortitudo heroica.*
IV. *Gladio rimante, multorum cogitationes arcanas patefieri.*

Tyrnaviæ 1707.

OMnis novitatis, & mutationis insolitæ proprietas est, admirationem conciliare, & prout unicuique placet, de ea judicare, animíque sententiam prodere; jam in hanc, jam in illam partem. In terris major novitas non est facta, quàm in partu Virginis. Aliquando de Pacis Templo consultum Oraculum, quamdiu Templum illud mansurum esset? Respondit: *Donec pariat Virgo.* Quæ res cùm impossibilis judicaretur, Templum, & Urbem fore ÆTERNAM Romani concluserunt. Hanc stupendam novitatem cœlesti prodigio factam orbi nostro gratu-
Jer. 31. 22. laturus Propheta: *Novum*, inquit, *creavit Dominus super terram.* Quodnam illud? *Fœmina circumdabit virum.* EC-
Isa. 7. 14. CE *Virgo concipiet, & pariet Filium.* Eadem Virgo, & Mater, nec qualemcunque paritura filium, sed Deum-Hominem. Nescio, an ex parte Virgineæ Matris, an ex parte Dei-Hominis majus admirationis argumentum?

Novitas Virginei partûs peperit multis cogitationes.

Ex admiratione tanti mysterii quænam cogitationes exortæ, hodie pertractat Simeon: venisse tempus ait, quo multorum cordium secretissima sensa, & cogitationes revelentur. Ipse mirabatur hoc *novum* quod *creavit Dominus*, & sciebat, quid cogitaverit de Parvulo, dum illum sinu complexus senilis Parvulo commodabat ulnas, in puero confessus Deum: in quem tanquam lapidem primarium videbat multos offensuros, & plurimos usque ad cœlum surrecturos. Habemus ex parte illius quid cogitaverit de Christo. Habemus & de S. Joseph, quid cogitaverit; cùm non multò antè videret divino tumescentem germine

mine Virginem Sponſam, neſciens quid
Pſal. 44. in ea lateret, & quòd *Omnis gloria filiæ Regis ab intus;* ſpem inter, & metum fluctuabat, animo torquebatur. Quid porro alii de Chriſto cogitaverint, ignotum eſt; quis enim totius generis humani ſenſa cogitatáque tunc in calculum revocâſſet, quânam opinione tenerentur, cum dicatur à Propheta: *Pravum*
Jer. 17. *eſt cor omnium, & inſcrutabile, quis cognoſcet illud? Ego Dominus ſcrutans cor, & probans renes.* Solum Deum dicit Propheta ſcire cogitationes tot cordium, ſeu illæ bonæ ſint, ſeu perverſæ. Bonus iſte Senecio prævidens ex hoc Infante multorum cordium auguria: timendum ait malis, ſperandum optandúmque piis denunciat. *Ecce hic poſitus eſt in ruinam, & in reſurrectionem multorum in Iſraël: & in ſignum* (quaſi in ſcopum) *cui contradicetur*, utique à malis, in quod collimabitur à bonis. Alterum quod prophetat: Animam B.M.V. gladio ſeriendam, & hoc grave eſt. Tertium; quòd per Chriſtum ſecreta cordium & intimæ cogitationes hominum denudabuntur, & fient in ſole; & quorum Deus ſoli ſibi reſervavit ſcientiam, Infante diviniſſimo nato manifeſtabuntur. Scio cupidiſſimos plerosque mortales expiſcandi aliorum ſenſa, & cogitata, fuerúntque qui optaverint ad cor proximi feneſtram conditam fuiſſe. Faxo hodie copiam reſciendi cogitationes multorum de Chriſto olim, & fortaſſis etiam veſtras ipſorum, quid ſentiatis, ſed etiam quid ſentire deberetis, hoc eſt bene. Chriſtus Natus, & Paſſus, eſt PROBA MULTORUM CORDIUM. An ita ſit, ex his quæ dicturus ſum, colligite, & favete.

§. I.

Duplex claſſis ſecretorum cordis.

Duplex eſt claſſis occultorum cordis: alia ſunt ſecreta cordium, quæ libenter aperimus, & placet nobis, placerétque amplius, ſi totus mundus ſciret; ſcilicet eorum, qui Deum amant, ut Sancti, qui ſuas cogitationes optarent omnibus eſſe notas, ut & alii Deum amarent. Mœroris pleniſſima corda tum maximè allevantur, cùm in amicorum aures totum cor ſuum effundere poſſunt ſicut aquam, ut ſi aliam non accipiant medelam, ipſa illa expectoratione dolor fiat levior, pectúsque allevetur. Contra ſceleſti nihil magis vitandum putant, quàm ſua à quoquam arcana reſciri, hinc commune illud: *Ju-*

ra, perjura, ſecretum prodere noli; eò quòd ſi quæ lux eſſet & rima in eorum cor, apparerent in illo mari monſtra, tales denique apparerent, quales ſunt. Fit tamen occultiſſimis Dei Judiciis, ut quod foris artificiis ſubtilibus tegere laboramus, id aliquando demum in cubiculis, & ſuper tecta prædicetur Secretiſſimè fecit Deus cum Tobia Patre, Tob. 12. & Filio, dum ſpecie Juvenis Angelum Comitem juniori deſtinavit Tobiæ: is enim ubi feliciter reduxiſſet divinitus commiſſum ſibi clientem, ſe tandem, quis eſſet, manifeſtans, gaudio & admiratione perculſos admonuit, ut benedicerent Dominum; & occultationis ſuæ rationem dabat: *Etenim* (inquit) *Sacramentum Regis abſcondere bonum eſt; opera autem Dei revelare honorificum.*

Inter opera Dei maxima & amabiliſſima, quæ ad tempus abſcondi debebant, & ſuo tempore revelari, erat auguſtiſſimum Incarnationis myſterium, Unigenitus inquam Filius humana jam carne veſtitus, de quo dicitur: *Mundus eum non cognovit;* aliquando tamen gemma hæc pretioſiſſima cognoſci debebat; quomodo enim Salvator eſſet mundi, ſi ſe mundo non revelaret? Certè inter omnia Dei opera iſtud fuit & revelari digniſſimum, & confiteri honorificentiſſimum, immo & ſaluti conſequendæ ſummè neceſſarium. Atque hoc eſt, quod dixit Simeon, *Ut revelentur ex multis cordibus cogitationes:* quidnam ſenſerint de Chriſto, quid de Virgine Deum-Hominem paritura, quid de ſeipſis: quæ omnia ita neceſſaria cognitu fuêre, ut ſine his nec dignitas Chriſti ſuo ſtaret gradu, nec Mariæ puritas, nec illorum ſalus, quorum gratiâ inclinavit cœlos, & deſcendit Deus, *operaturus ſalutem in medio terræ.* h.e. in omnium oculis, ut nulli eſſet ſe excuſandi locus, vel conquerendi, quòd Salvatorem neſciverit. Itaque Chriſto jam nato prædicuntur multorum ſenſa, & cogitationes revelandæ, id quod ſcilicet cùm tam variis cordibus ſine dubio futurum prævidebat S. Simeon, ut Deus fragili carne veſtitus ab aliis reciperetur ut *Dei virtus, & ſapientia;* ab aliis fugeretur ut *ſcandalum*, à multis contemneretur ut *ſtultitia* ac fatuitas. Hæc diſparitas judiciorum ortum habuit ex Chriſti perſona, prædicatione, prodigiis, & finali paſſione Crucis. Chriſtus mirabilia patrans, Chriſtus Crucifixus, erat Clavis ad plurima corda, ut ſecretiſſimæ multorum

Incarnationis myſterium revelari fuit mundo neceſſarium, & Deo honorificum.

Illúdque fuit objectum variarum cogitationum, & judiciorum. 1. Cor. 1. 23.

cogitationes, ac judicia de Christo, ex occasione Christi agentis, vel patientis innotescerent, & ad Solem venirent apricum.

§. II.

Judæorum cogitationes revelatæ.

Certum est differentes fuisse intentiones, quibus Salvator expectabatur venturus, multósque hoc ipso *Salvatoris* nomine fuisse deceptos, & spem multorum elusam. Judæorum Principes dico, qui vel *noluerunt intelligere, ut bene agerent;* vel eorum multi, quia carnales, sacræ Scripturæ mysteria de Christo loquentia, ejúsque adventum, opera, gloriam prædicantia, longè in alium sensum acceperunt. Legendo quippe oracula Prophetarum, quòd Christus futurus esset *Salvator*, credebant illum venturum cum potestate regia, velut alterum Moysen, novum Josue, Davidem, qui Gentis & Patriæ libertatem armis asséreret, devictarum ac subjugatarum Nationum spoliis & auro ditaret Provincias, instauraret Templum magnificentius. Cum enim in Prophetia Isaiæ legerent pulcherrima, ac magnificentissima illa nomina, quibus prædicebatur
Isa. 9. 6. fore *Admirabilis, Deus, fortis &c.* Et legerent in Psalmorum Libro, quod *Co-*
Psal. 71. *ram eo procident Æthyopes, & inimici ejus terram lingent: Et adorabunt eum omnes Reges terræ, omnes gentes servient ei;* toto cœlo alia cogitatio Judæorum fuit. Tum enim statim ab ortu di-
Matth. 2. vini Infantis cœperunt *revelari cogitationes ex corde* Regis Herodis, qui auditâ ex adventu Magorum famâ Neo-Nati Regis Judæorum, *turbatus est*, coronæ enim suæ metuebat; à quo? ab Infante? sed tali, quem Judæi Regum Gentiúmque Domitorem, bellicosissimum, &
Cogitatio Judæorum non erat de rebus animæ, sed sæculi. Victorem futurum prædicabant. Sed cordatiores Judæi, qui Tyrannum oderant, & favore Romanorum elatum, extinctum cupiebant, adeò ad nuncium illud non turbabantur, ut illi portas Urbium potius reseraturi essent, & Tyrannum vinctum manibus victoris tradituri. Ecce novam cogitationem de cordibus Judæorum in Solem protractam! Christum venturum nempe, ut in Regum comas involet, & ante se terga Tyrannorum verti faciat, de quo pulchre Ecclesia, & verè: *Non eripit mortalia, qui regna dat cœlestia;* non cum venisse, ut aliena possessoribus eripiat, sed ut propria largiatur indigentibus, quod Dei
Psal. 15. 2. est. *Deus meus es tu, quia bonorum meorum non eges.* In hoc cognosco, inquit David, te verè Deum esse, quia mea non petis, sed tua largiris, & das.

Et ipsorum Christi Domestiorum.

Plus admiror, ex cordibus ipsorum Christo adhærentium hujusmodi ferè cogitationes revelari: quid enim illud? quòd duo Zebedæi filii Matrem urgent ad petendos honores, & præripiendam in Christi Regno sessionem? Quid sibi vult, quòd Petrus omnium Discipulorum nomine de præmio scíscitatur? Quid? quòd in Olivarum jugo jam jam scandentem cœlorum sublimia Triumphatorem Dominum quæstione pulsant:
Domine, si in tempore hoc restitues Regnum Israël? tantum quòd apertius dicere erubescebant: Nos ô Domine, credideramus, te sessurum in solio Davidis Patris tui, & regnaturum in Israël, & nos quoque tecum bene beatéque victuros! Atque ita patet, verè à Simeone Sancto Sene prædictum, fore ut Christo nato, & passo *revelentur ex multis cordibus cogitationes*, quid senserint de Christo tam externi, quàm & domestici; quomodo, & quos in fines gloriâ Christi uti voluerint, videlicet tanquam pallio, quo temporaliter protegantur, & ornentur, & ab aliis honorentur. Un-
Act. 1. 6.
de Apostolus: *Omnes quæ sua sunt,*
Phil. 2. 21. *quærunt, non quæ JESU Christi.* Sic revelatæ sunt occasione JESU Christi cogitationes Pontificum Judæorum, qui Messiam in gloria venturum sperabant ad ipsorum opes, lucra, dignitatem stabiliendam: at verò Crux ipsis fuit scandalo, & horrori; paupertas, humilitas, mortificatio carnis invisa; onus Prælationis, & labor pro animabus exosus. *Omnes, quæ sua sunt, quærunt, non quæ JESU Christi.* Si fors inter Ecclesiæ Prælatos, & Sacerdotes sint hodie nonnulli, qui Christo non alium in finem uterentur, quàm ad lucra propria, & commoda temporalia, ad quietem, ad otium, ad securitatem suam, ad vitam suavem & delicatam, ad amplificandas ex Christi patrimonio Consanguineorum opes, & promotiones; contrà laborem officii, Apostolatûs onera, prædicationis sudores, & pastorales curas vitarent: toti sanè Ecclesiæ, ipsis adeo Hæreticis palàm *revelarentur* eorum *cogitationes*, videlicet, voluisse eos Christum, sequi propter alia, non propter id est, ob Christi gloriam, fidei propagationem, animarum salutem, quæ magna pericula, labores, & industrias requirunt; convincerentúrque ab Apo-

De Agni vellere lanam & purpuram amamus plures.

stolo,

ſtolo, eſſe ex numero quærentium ſe, & non Chriſtum, & Chriſti lucra, ac gloriam: *Omnes, quæ ſua ſunt, quærunt, non quæ JESU Chriſti.* Hoc quantum ad cogitationes circa exiſtentiam Chriſti: quid ſit Chriſtus? quid Salvator? *Ut revelentur ex multis cordibus cogitationes.*

§. III.

Revelatio ex multis cordibus affectuum, Amoris, & Odii, vel maximè Paſſionis tempore.

Cogitationibus ſic revelatis ex occaſione Chriſti nati, & paſſi, ſequitur etiam multorum cordium affectus paulatim fuiſſe in lucem productos, eósque diverſiſſimos, prout agnoſcebant, vel non agnoſcebant Chriſtum. Quemadmodum ſi in theſaurum incidat ſapiens, & ſtultus, longè diverſos ab utroque affectus elici; ſapiens agnoſcendo pretium, honorificè tractat; ſtultus ignorando deridet, & calcat: ſic pro qualitatibus æſtimationis Chriſti neceſſe eſt affectus diverſiſſimos in hominum cordibus fuiſſe conſecutos: Sed duos potiſſimum manifeſtatos eſſe vel maximè Paſſionis tempore, auctor eſt S. Auguſt. *Amorem, & Odium, quô ſcilicet ferebantur in Chriſtum tunc vel maximè, cùm pro ſalute illorum patiebatur, & moriebatur.* Alii quippe credebant, alii ridebant; alii flebant, multi blaſphemabant; alii percutientes pectora convertebantur, alii Chriſti nomen etiam poſtea conſpuebant; erant, qui reſurrecturum deſperabant, ut jam clypeum fidei, & haſtam pene abjicerent.

S. Aug. Ep. 59. Tyrin. in c. 2. Luc.

Ratio autem, cur nominatim de duobus hiſce affectibus manifeſtandis prædictum ſit à Simeone, pro circumſtantia Paſſionis Chriſti; hæc eſſe poteſt: *Primò* ex parte illorum, qui ſincere amabant Chriſtum; in nullo enim verus amor in aliquem ſic eluceſcit, ſicut in calamitate, & anguſtiis, & vel maximè in mortis diſcrimine; in quo poſitum Salvatorem noſtrum pauci ex omnibus charis, verè tamen ſequebantur conſtanter deflentes, in quibus amor compaſſivus eluxit, & quid in animo, quid in corde volvebant, ibi erumpebat. Et quia Chriſtum ſummi faciebant, & amabant, vel ſic derelictum ab omnibus, ſpoliatum & nudum nullâ terrenâ ſpe, aut præmio invitati, conſtanter ſequebantur, verè fideles amici uſque ad mortem, mortem autem Crucis. Fides certè & amor hominum nullibi ſic eluxit, quomodo in confinio mortis Chriſti; videre nudum, dilaceratum, excarnificatum, inter Pontificum blaſphemias, diras, ludibria: audire quaſi querulantem de Deo Patre: *Deus meus! Deus meus! ut quid dereliquiſti me?* & tamen in eo ipſo articulo, cùm ſervis ac ſicariis debita pateretur ſupplicia, eundem ab uno ùt Deum invocari: *Domine memento mei, cùm veneris in regnum tuum!* Magnus amor, magnum cordis arcanum, inſcrutabile ſecretum, quod Chriſti paſſio ex corde Latronis, & Centurionis in ſolem protulit. Verè novo iterum miraculo rumpebantur petræ, & per fiſſuras prodibant cogitationes ex multis cordibus uſque ad illum diem clauſis, in, & poſt mortem, Chriſti divinitatem confitentibus: *Verè hic homo Filius Dei erat.* O fidem! ô amorem ſincerè compatientium Chriſto morienti!

Tempore paſſionis odia multorum patuerunt.

Sed quia multa ibi corda erant, in tam diverſis cordibus multæ & diverſæ erant cogitationes. Erant ibi non credentes, erant multi odientes Chriſtum. Sicut alibi amor, ſic hic odium plenis cataractis erumpebat. Quodnam majus odium eſſe potuit, quàm mortem inferre? fecerunt & hoc. Occiderunt in Chriſto non hoſtem, ſed civem, ſed amicum, ſed Benefactorem ſummum, maximúmque. Odium capitale! Plus adhuc auſi, cùm & mortuo inſultaverunt lanceis. *Heus tu! quid miſerum laceras? jam parce ſepulto!* O furor! ô crudelis rimator cogitationum Chriſti! nonne quatuor fontibus apertis abunde patefecit, quid de nobis cor Chriſti cogitârit? fruſtra jam fruſtra cor mœſtiſſimum porro ſcrutaris, non ibi invenies animam quam contriſtes & vulneres; non ibi reperies cogitationes. Vis ſcire, & oculis intueri quid vivens cogitaverit, vide Vulnera perfide! aſpice pendentem, contemplare mortuum. Vos manifeſtâſtis, quid de eo cogitaveritis, ex abundantia enim cordis veſtri ora locuta ſunt; eructâſtis verba impia, oſtendiſtis factis conſilia quæ corde foviſtis. De duobus his affectibus (ſi multorum liceret corda ſcrutari) locus hic eſſet tractandi & protrahendi multorum cogitationes in lucem. Crediderim non deeſſe corda, talia quidem, quæ ſi Chriſto morienti tunc adfuiſſent, intimo dolore ſciſſa patefeciſſent amores ſuos, & veram dilectionem Chriſti; illi ſunt, qui nequid oculis Chriſti triſte ac luctuoſum cauſent, potiùs oculos ſuos convertunt ad Chriſtum Crucifixum, & in ejus vulneribus per fidem,

fidem, ſpem, & charitatem commorantur velut columbæ in foraminibus petræ. Erunt corda (quod metuo) foventia cogitationes, quas non poſſunt ſtabilire, vel male reſoluta in conſpectu Chriſti ea perpetrare non metuunt, *quæ non licet homini loqui.* Abſit hoc à te Chriſtiane! id enimverò foret acerbioris odii argumentum, quàm eorum, qui Chriſtum occiderunt hominem, ſi jam Deum agnitum rurſus in temetipſo crucifigis, & oſtentui habes. Illi mortuo quintum inflixerunt vulnus, ictum tu ſextum ſuperſeminâſti. Ah parce ſepulto! parce Medico, parce Deo, & tanto amatori tuo!

2. Cor. 12. 4.

§. IV.

De B. V. M. corde in paſſione manifeſtato.

Inter corda (ſi ad particularia deſcendimus) quorum intimos ſenſus & cogitata revelanda dicit S. Simeon, ánne etiam cor doloroſiſſimæ Virginis computandum? Et quidem principe loco; enimverò S. Senex nullius cor nominando animam B. M. V. non tacet: *Et tuam ipſius animam pertranſibit gladius.* Quo dicendi genere ſummus deſignatur dolor. Certum eſt autem, quemadmodum Amor & Odium occultiſſima cordis arcana pandere ſolent, ſic Dolor ſecreta cordis manifeſtat, *& neſciunt materna* (ut cum Ambroſ. loquar) *viſcera patientiam* & ſilentium. Jam verò ut perveniamus ad cognitionem ſecreti digniſſimi maximique quod occaſione hac morientis filii ſui ex Mariæ corde revelatum eſt, priùs de dolore agendum, de vulnere, de hiatu quem fecit gladius à Simeone prædictus in anima MARIÆ. *Tuam ipſius animam pertranſibit gladius*, quòd certè in Paſſione impletum eſt, quia & de illo articulo pronunciatum eſt, cum ipſa *ſtabat juxta crucem*, in qua cernebat uteri ſui pignus pendere Unigenitum. Cum moriente mori parata, non poterat; optabat dilecto configi cruci, & tormenta ſecum dividi, quò mitiorem redderet dolorem Filii, quem ipſa plus incomparabiliter, quam ſe diligebat. Sed ipſi ſervabatur alia laurea martyrii, quale habent *Martyres interni*, Martyres occulti. Alii gladii (inquit Melliſluus) penetrant carnem Chriſto conſecratam, & cadit victima caro Martyris interempta: tuum ô Beata Mater! non ſinum, non latus, ſed animam verè gladius ille pertranſivit, *alioquin non niſi eam pertranſiens carnem Filii tui penetraret. Et quidem poſteaquam emiſit ſpiritum tuus ille JESUS, ipſius planè lancea non attigit animam, quæ ibi jam non erat; ſed tua planè inde nequibat avelli*, & quæ Chriſto nocere non potuit, te Martyrem effecit, eodem ictu & filii latus aperiens, & pertingens uſque ad diviſionem animæ & ſpiritûs tui. O factum bene!

Hæc Prophetia impleta eſt tempore Paſſionis.

Serm. de 12. Stellis.

Habemus AA. viam in cor Virginis apertam: nunc videamus ea, quæ revelatione indigebant, Sanctóque Sene prædicente futura certiſſime erant, & ita evenerunt. Sed quid ergo in illis Deiparæ doloribus venit in manifeſtam lucem? Primum quod in conſiderationem venit, & cujus cauſa uſque huc occulta eſt: Quòd Deus Virginem Matrem quam tot privilegiis inter omnes filias Adæ ornaverat, nec tamen ab doloris gladio eximiam eſſe voluerit. Hoc mens mea non capit. Nam ſi dolor eſt pœna, illa anima, quæ ab omni etiam hereditaria macula eximia extitit, ut quid gemit? ut quid torquetur? quid ibi quærit gladius, ubi nullus eſt reatus? Quodſi dicas, ipſum Dei filium *exolviſſe, quæ non rapuit*; facilis reſponſio; ſi enim *Poſuit Dominus in eo iniquitates omnium noſtrûm*, ceſſemus mirari pœnas, miremur potiùs pondera noſtrorum in eo peccatorum: at cùm credamus Deiparam neque peccâſſe, neque peccata aliorum luenda aſſumpſiſſe, & nihilominus eam ſic doluiſſe: iſtud eſt abſconditum ab illa ipſa quæ ſic probatur: & à nobis. Niſi fortè dicamus, totam culpam incurriſſe, quia peperit filium. At eum ipſum honorem quanta cum modeſtia deprecata? & quæ fœminarum dulciſſimo tali hoſpiti non ſuos obtuliſſet ſinus, commodâſſet gremium? Velamen iſtud reſolvet Mulier illa ſanctiſſima, quæ filium petebat à Deo, & ſic orabat: ſi audiendo audieris precationem ancillæ tuæ, & dederis mihi *ſexum virilem*, *dabo eum Domino omnibus diebus vitæ ejus.* In quæ verba eleganter D. Chryſoſt. *Non dixit: ſi mihi dederis puerum, dabo pecunias* (ſuſpendam aris anathemata, & donaria) *ſed, ipſum totum donum retribuam, primogenitum, id eſt, orationis filium;* quo charius illi nihil datum eſt, illud datori reddebat Domino. Ecce ſtylum Dei occultiſſimum, & revelatione digniſſimum in MARIA! An chariſſimum quod petebat Deus, nempe Filium ſuum, quem juris Mariani fecerat; parata eſſet Abrahami exemplo offerre Deo? an mœſtitiâ, quæ inde naſcitura erat,

Tunc patuit heroica conformitas voluntatis B. V. cum Divina.

1. Reg. 1.

In cap. 6. ad Epheſ. hom. 24.

Chriſtus paſſus, fuit magna proba cordis Mariæ.

erat, turbata adversùs Deum aliquid loqueretur? an orbitatem ſuam objiceret, aut cum Rachele quereretur: *Si ſic mihi futurum erat, quid neceſſe fuit concipere?* Sed horum nihil in Maria reperitur; tam reſoluta, ſi petatur, reſtituere, quàm ſibi ſervare divinum pignus; tam parata ad ſpectandum in Cruce, quàm in lecto reclinatum eburneo; tam æquo animo clauſura oculos morientis, ſi id detur; vel ſi & id negetur, quamcunque Filii acerbitatem perpeſſura, quàm illo vivo ac ſoſpite latatura. O grande documentum! & occultiſſimum cordis arcanum Mariani ad doctrinam omnium, quæ in Sanctorum cordibus lateant, & ſoli Deo cognita ſunt, ſi fiant demum manifeſta hâc, vel illâ probâ à Deo immiſsâ. Sic Mariani cordis proba Paſſio Chriſti fuit, quæ oſtendit remotis cineribus ignem fortitudinis, heroicæ conſtantiæ, & reſignationis voluntatis Marianæ cum Divina: *Stabat* (inquit Sanctus Scriptor) ſub cruce *verecunda, modeſta, lacrymis plena, doloribus immerſa, ita tamen divinæ voluntati conformis, quòd (ut Anſelmus ait) ſi oportuiſſet, IPSA FILIUM IN CRUCE POSUISSET, ATQUE OBTULISSET: neque enim minoris fuit obedientiæ, quàm Abraham.* Optimè inducit mentionem Abrahæ. Juſſione divina, veluti Lydio lapide explorabatur pectus Abrahami, quid in eo lateret, quod etſi Dei oculus probè nôſſet, neceſſe tamen fuit ad exemplum, & doctrinam multorum id etiam à toto mundo ſciri, quanta nimirum ea fides fuerit, quæ Unigenitum immolare non dubitabat. Sed quantò excellentior Iſaaco Chriſtus erat, tam Abrahamo imbecillior ad patiendum ſexus virgineus: *Vicit planè ſexum, vicit hominem* Maria, *paſſa eſt ultra humanitatem, torquebatur namque magis in filio, quàm torqueretur ex ſe, quem ſupra ſe incomparabiliter diligebat.* Quid igitur? Dolores omnes, qui Jobos, qui Jephte Duces, qui frangerent Abrahami conſtantiam, proſternerent viros fortes, una Puella ſuperavit; omnes iſtæ procellæ aliud non extuderunt ex corde Mariano, quàm promptiſſimam illam voluntatem: *Si oportuiſſet, ipſa Filium in Cruce poſuiſſet, & obtuliſſet.* Si voluntas Dei eſt, coronetur ſpinis! ſi ita Deo placitum, moriatur ante oculos meos, ipſa famulares ſubjiciam humeros ad aſcenſum palmæ, affligatur cor Matris, dummodo ſtet cor Dei! Si de auro, de argento conſecrando in Templum Domini dicebat David: *Quæ de manu tua accepimus, dedimus tibi:* ego omni auro pretioſiorem uteri mei filium, quem de manu tua ſuſcepi, reddo tibi. O gladium fortunatum! qui cor Virgineum profundè rimatus tantam conſtantiam, tales cogitationes, tam divinos & heroicos affectus in ſolem produxit! Cedat Virgini noſtræ palmam ipſe Beatus Simeon acerrimi gladii interpres & vates: ipſe de alieno corde vulnerando, & inde proferendis in lucem cœleſtibus arcanis, agebat vatem ſincerum; & ipſe, cum ſenilibus ulnis illum ipſum divinum geſtaret infantem, quid cauſæ habuit addendi illud: *Nunc dimittis ſervum tuum Domine!* nisi quia de ſtatione vitæ hujus miſſionem petebat, & longævus miles aliquando rude donari poſtulabat. *Abſolvar nunc quæſo Domine, ne diutius hîc hærens, quæ nolim, intueri compellar. Etenim Spiritus Sanctus qui in me eſt, palàm oſtendit, quæ in te ſuperventura ſunt. Dimitte nunc obſecro, ne videam audax, neſariúmque Judæorum in te facinus, ne videam Coronam ex ſpinis, ne videam Servum alapam infligentem, ne videam lanceam in te adactam, ne videam te clavis Cruci affixum!* Talia Beatus Senecio, dum amantia Chriſto infigit oſcula, lacrymans optabat: *Nunc dimittis me Domine!* O quàm longè aliæ cogitationes hæ, à cogitationibus divinæ Matris! Ille mori deſiderat, ne Chriſtum talia patientem oculis ſpectet; & Maria optat fieri ſuperſtes Filio, *ut, ſi oportuerit, ipſa Filium in cruce ponat, & offerat.* O conſtantiam Virginis ſingularem! *Benedicta tu Deo præ omnibus mulieribus ſuper terram, quia hodie nomen tuum ita magnificavit, ut non recedat laus tua de ore hominum, qui memores fuerint virtutis Domini in æternum; pro quibus NON PEPERCISTI ANIMÆ TUÆ, ſed ſubveniſti ruinæ ante conſpectum Dei noſtri,* offerendo quod habuiſti pretioſiſſimum in æternam redemptionem generis noſtri.

S. Antonin. 4. P. Tit. 15. c. 41.

Fortitudo B.M.V. illuſtratur comparatione Abrahæ.

Amedæus Homil. 5.

S. Timoth. Jeroſol. Orat. de S. Simeone.

1 Par. 29. 14

Judith. 13. 23.

Atque ex his jam liquet, Chriſto Nato, & paſſo multorum cogitationes, multorum odia, & amores patuiſſe: *Ut revelentur ex multis cordibus* ſenſa de Chriſto. Quanta ſit uniuscujusque fides, & amor in Deum, Chriſtus proba cordium eſt. Eſt aliquis gladius, qui in manu Chriſti diſponitur ad tentandum & riman-

Quot cordium hodie proba-tor ſit Chriſtus.

& rimandum pectus alicujus Matris, à qua prolem ſuam petit ad ſervitium ſuum, non quo corpus cæditur ferro, ſed lento vitæ religioſæ martyrio immolandam, *ſuper unum montium*. Magna proba. Sed hic gladius oſtendet, quid in corde lateat, quæ fides intus, quis amor in Deum, quod placendi Deo ſtudium; vel è contrario, an amor maternus cœleſti Vocationi præponderet? Multæ Matres cùm filii parvuli ſunt, eos religioſorum veſte induunt, & conſuetudo eſt pia. Sed parvulos filios cùm ipſi nolunt, facimus religioſos, & cum ipſi volunt jam adultiores, impedimus à ſancto propoſito, & mille moras euntibus objicimus. Non deſunt (& quid mirum?) Matres, quæ per ſe, vel Cognatos illecebris mundanis, ſaltibus, & deliciis in filiorum pectore divinum amorem ſuffocant, & Dæmonis partes in tentando multæ egregiè obiverunt. Sic *revelantur ex cordibus cogitationes*, qualem æſtimationem habuerint Chriſti. Chriſtus, talis proba eſt *Clericorum*: cùm enim in perſona Chriſti ab Epiſcopo interrogantur de caſtitate, de correſpondentia vocationis, de onere Apoſtolatûs, de cura animarum, de obedientia; *Poteſtis bibere calicem, quem ego bibiturus ſum? Dicunt ei; poſſumus.* Omnia tunc promittuntur. Subinde in manu Chriſti diſponitur aliquis gladius probator cordium, & ſcrutator cogitationum, quæ in uniuscujusque anima latent, ut foras revelentur. Ad juſſionem Prælati prodit, an, & qualis ſit obedientia & reverentia; in occaſione fit periculum, quanta ſit fortitudo & caſtitas; inter populorum crimina apparebit, quis ſit animarum zelus; in Parochiarum mutatione innoteſcet vocationis ſpiritus, an verè Chriſtum, an alia quæramus. Ille gladius neminem efficit pejorem, tantummodo exhibet talem foris, qualis intus eſt. O! quot corda rimatur gladius iſte, ut revelet, ut expectoret an intus ſint cogitationes pacis, & charitatis, an odii? an ſit propenſus animus ad condonandas in gratiam Chriſti injurias, an adhuc vindictas meditetur? Has ego cogitationes, hæc & ſimilia ſecreta vellem videre in cordibus veſtris; hoc inquam optarem animo meo, & veſtro, ut in divinis viſitationibus reperiremur optimè diſpoſiti, & animus in nobis, tanquam fons & ſcaturigo optima, pares venæ ſuæ affectus produceret odii peccati, & amoris Dei, & virtutum. Quod præſtet nobis Chriſtus ſanguine ſuo! & Maria precibus ſuis obtineat.

AMEN.

IN EADEM DOMINICA
SERMO III.

Et tuam ipſius animam pertranſibit gladius. Luc. 2.

SUMMARIUM.

An B. V. plura per vitam gaudia, an dolores habuerit?

AUdîſtis in Evangelio ex ore Simeonis, tanquam Patris ſpiritualis, benedictionem MARIÆ, JOSEPHI pariter, & Parvuli, quem utpote pretioſiſſimam mundi gemmam cœlique delicium, ipſorum curæ, & cuſtodiæ commiſerat Pater æternus. Eis bene precabatur tanquam Pater Eccleſiæ; & MARIAM monebat tanquam Propheta, facibàtque certiorem tum de Filii, tum de ſuomet ſtatu, periculisque venturis præmonebat: Puerum hunc, quem ulnis geſtaret, futurum pacatorem orbis, aſſertorem pacis illius, quam mundus dare non poteſt; elevatorem generis humani, ac terribilem aliquando vindicem peccati, & ideo *multis in reſurrectionem, & in ruinam*, prouti quiſque eo uti voluerit, ſervitutum; denique ſtatuendum pro *ſcopo*, ac *ſigno*, cui à multis contradicetur, & quò collimabunt amores, & odia multorum. Sed & te (dicebat ad Mariam) non alia excipiet providentia, quàm Filium: *Et tuam ipſius animam pertranſibit gladius*, non inquam lambendo attinget, ſed profundo ſcrutabitur vulnere, *ut revelentur ex multis cordibus* ſecreta cogitationum. Haud equidem me latent, inquit, dotes eximiæ, ac privilegia divinitus tibi collata, quando ad exornandam exaltandamque perſonam tuam noluit Deus in operando ullis legibus adſtringi; Mulier & ipſa formata ex

In quæ Legibus diſpenſatum cum Maria.

ta ex carne & sanguine, sed absque fomite; nata infans, sed cum usu arbitrii; impeccabilis, sed cum merito; incorrupta, sed absque sterilitate; fœcunda, sed sine violatione cùm conciperes, sine onere dum gestares, sine dolore, cùm pareres. Pulchra, sic, ut pudicitiam intuentibus aspires. Jam verò generalis maledictio, quâ omnes, velut diluvio sorbemur, ad te accedere non potuit: *Hucusque procedes, & hic confringes tumentes fluctus tuos.* Et cùm in te una exornanda tam prodigum ac liberale extiterit Numen, ac veluti quondam ad pedem montis Sinai, sic nunc in gratiam tui, confractæ sint tabulæ divina manu descriptæ: nihilominus in communione dolorum, & martyrii tantum abest ut tecum dispensetur, ut dulcissimum cor tuum omni horâ transverberaturus sit mucro invisibilis; & quemadmodum è regia Davidis domo sanguinem, & stirpem, sic gladium quoque hæreditabis: *Non recedet gladius à domo tua in sempiternum.* Hujusmodi erat Simeonis prophetia sublimis, quâ prædicebatur fore, ut non esset satis ad Deiparæ decus, & excellentiam, si tantùm *Virginum*, nisi fieret & *Martyrum Regina.*

Job. 38. 11.

2. Reg. 12. 10.

Quod audiendo, facilè apud se concludet quisque: si talis, tantáque Virgo à gladio passionis eximia non est, quid tecum peccatrix anima fiet? Omnis peccator sibi fabricat gladios, quibus feriatur, & vulneretur. Et certè innocentissimæ Virginis vitam qui deinde secuti sunt rerum eventus, eos velut alternantes fluctus si ad invicem conferamus: Utrum *plura per vitam gaudia, an dolores* habuerit? non facilè statuemus. Quamcunque cœli partem, cùm est serenum, contempleris, perinde est; ubique stellæ, & stellæ: non secùs in omni vita Deiparæ quocunque oculum jacias, omnia amaritudinibus mixta; verè *Lilium inter spinas!* Quod erit dictionis hodiernæ argumentum, mustorum, sicut non dubito, solatio excipiendum.

Simile.

Cant. 2. 2.

§. I.

Justorum vitæ cursus lætis, & adversis temperatus.

Quodsi omnes illi despectus, ignominiæ, cruces, adversitates, per quas olim transeundum, homini simul sub unum conspectum, & in uno lucis radio, proponerentur penetrabili vivacitate, certum est, hominem vel illo momento moriturum, vel, quod Christo (qui simul Deus erat) accidit, imaginationis vehementiam toto corpore sanguineum sudorem elicituram, aut hominem in ætatis primo flore canos indubiè aquisituram. Sed providentia cœlestis, quæ *attingit à fine usque ad finem fortiter, & disponit omnia suaviter*, ea à nobis sciri noluit, sed quemadmodum sertum è diversicolorum varietate contexitur florum: sic vitæ nostræ periodos ex prosperis & adversis ita temperavit, ut illa non extollerent hominem, & ista non frangerent, alterum altero permiscendo. *Quod certè* (inquit D. Chrysost.) *in omnibus Sanctis facit: quos neque tribulationes, neque jucunditates sinit habere continuas; sed tum ex adversis, tum de prosperis Justorum vitam quasi admirabili varietate contexit.*

Homil. 8. in Matth.

Applicemus ad Virginem Matrem, sertique virginalis textum admirabile contemplemur. Sicui filiarum Adam repentina ac inexpectata contigit felicitas, quâ de humili fortuna ad regnum & coronas invitata, repente rerum Domina, & Imperatrix salutata sit: cogitare faciliùs possumus, quàm eloqui magnitudinem felicitatis ac lætitiæ Mariani pectoris, cùm Virgo illa humillima in oculis suis, nihil unquam tale suspicata repentè Angelicâ videt legatione ad divinam se invitari maternitatem, faustissimúmque illud AVE, quasi ipso literarum numero SS. Trinitatis gratiam, & amorem complexum, è gratioso divini Legati ore audit, accipitque. Fortuna profectò omnibus retroacti temporis Reginis invidenda, quarum nulla fuit, quæ tam desiderato infanti gremium, ubera, sinum, & cor non libentissimè oblatura fuisset: *Multi Reges* (inquit Christus) *& Prophetæ voluerùt videre, quæ vos videtis, & non viderunt.* Una de millibus eligitur Virgo, sola salutatur ab Archangelo *inter Mulieres benedicta*, rerum omnium creatarum Dominum gremio paritura. Hora sanè nulla felicior MARIÆ, nulla gaudiosior illuxit; quæ denique pectus illud virginale quàm repentinâ, tam novâ ac ineffabili gratulatione replevit. Sed quàm diuturnum extitisse putatis gaudium istud? Quemadmodum ubi rosa, ibi spinæ: sic MARIÆ gaudium cogitate succedente mox amaritudine respersum, novi partûs miraculo gratulationéque sinum exultantem subitus confudit eventus eò molestior, quò magis domesticus, & inter duos amore devinctos, & spiritu unitos. Audite mysterium, & stupete.

In vita Mariæ ubique dolores.

Luc. 10. 24.

§. II.

§. II.

Martyrium internum S. Josephi, pariter & B. V.

Vix à salutatione Elisabethæ redierat, jámque aliquot à concepto Dei Verbo menses abierant: cùm ecce Joseph testis alioquin, & comes individuus Virginis, Sponsam utero tumescente gravidam vel credit, vel indiciis non omnino ambiguis suspicatur; certè dubitat, & ad rei tam inexpectatæ eventum fluctuat animo, totúsque perhorescit. Scit intactam à se Sponsam, & prægnante tamen utero gravem aspicit, & quomodo fidem oculis neget? Novit vitam, novit omnia in hac Virgine admirabilia præcessisse, educationem in Templo, votum virginitatis editum, tam prodigiosam secum desponsationem, quæ omnia suspicionis vel umbram longissimè arcebant. Occurrebat tamen animo, potuisse invitam violari; verùm nec istud individua domi, forisque apud Elisabetham, Josephi præsentia, fidelissimúsque oculus patiebatur credere. Quid igitur ageret? Prægnantem loquebatur uterus; quò se converteret? An illam ut adulteram traduceret? amor prohibebat; cum illa habitare pergeret? deterrebat infamia. Quid ergo? *Magis credebat castitati ejus, quàm utero ejus; plùs gratiæ, quàm naturæ; conceptionem manifestè videbat, fornicationem suspicari non poterat. Probabiliùs esse credidit, Virginem sine viro posse concipere, quàm MARIAM posse peccare.* Nova mentem incessit dubitatio, num hæc fortè electa de millibus esset Virgo, quam Vatis Isaiæ oraculo Deum parituram audiisset? Sed & hic (quæ erat viro demissio) indignum se tantæ Virginis judicabat consortio, potiúsque patriâ exulandum, quàm manendum decerneret. *Voluit occultè dimittere eam.* Admiranda Dei judicia! Cum adeo charo sibi capite Deus sic agit? Elisabethæ fœminæ, quam aut nihil, aut minus concernebat, Divinæ Incarnationis detegitur secretum: *Et unde hoc mihi, ut veniat MATER DOMINI MEI ad me?* Sic salutabat, quæ jam sciebat, quid in utero Virginali lateret; & Josepho gravidæ Matris Sponso, Filii sub hoc utero latentis Nutritio servatur occultum. Scitis in conjugio quantum sit hoc martyrium, ubi quò ardentior amor, eò crux acerbior, suspicio. Quòd verò etiam innocentissimi quique huic periculo expositi sint, clarum est in Virgine Deipara. Nihilo minor MARIAM cura premebat, utpote quàm & tam anxia Sponsi solicitudo, & vultus pallidior tristiórque non latebat. Conjugalem fidem, virginitatem voti Sacramento firmatam in dubium vocari, Sponsi animum variis de Sponsa suspicionibus agi satis intelligebat; tacebat tamen altum, & cùm *duo* essent sub eodem tecto *Martyres*, quemadmodum S. Josephus urgebatur charitate, ne Sponsæ decus, ac famam læderet, ideo cogitabat *occultè dimittere;* sic patientiâ & silentio durabat Virgo, eligens potius existimationis subire periculum, quàm tot Dei donorum, domesticæque gloriæ agere præconem; totam interim fiduciam in Deo reponendo, ut qui auctor fuit miraculi, esset etiam depulsor periculi, & consolator innocentiæ; sicut factum est.

Imperf. in Vita S. Joseph. c. 7.

Matth.

Elisabethæ revelatur Incarnatio Verbi: & S. Josepho occultatur.

§. III.

Particulares alii casus adversitatum, & admirabilis patientiæ B. V.

Progrediamur ad alia. Illâ ipsâ nocte Sacratissimâ, de qua prædictum fuit: *Et nox sicut dies illuminabitur:* Primogenitum suum castissimis effundit visceribus, at ubi? in stabulo omnibus cœli injuriis pervio, natúmque reclinat in præsepio. Novæ Matri, Angelica paulo antè legatione honoratæ hominum societate excludi, & communi cum bestiis tecto divinam eniti prolem, profectò idem erat, ac affusâ frigidâ fervorem restinguere lætitiæ, plúsque dulcissimi Parvuli, quàm suam miserari calamitatem. Nocte eadem audit concentus Angelicos: & statim Pastores perâ & pedo instructos cernit subeuntes; cogitare poterat: Istine ergo Neo-nati Regis Aulici? isti Incarnati Verbi adoratores? Et ubi *Reges nutritii, & Reginæ nutrices,* quos Isaias canebat? Quid dico Reges? quid dico Pastores? Animalia Filium meum circumstant, & calorem membris trementibus aspirant. Paulò antè audiit cani *Gloriam Deo in altissimis:* brevî pòst cernit dilecti sui cruorem in circumcisione effundi, ac stillare in terram. Hodie duce stella ab ultimo oriente appulsos aspicit Principes prono genu divinum venerantes Infantem, thesauris mysticis, quid in Puero hoc lateret, auro regiam potentiam, thure Sacerdotium, ac Divinitatem; myrrhâ naturæ mortalis substantiam, mortémque pro genere humano obeundam indicantes. Quomodo putas cor Virginis affectum, cum cerneret ad filii pedes Regum capita in-

Psal. 138.

Isa. 49. 23.

ta inclinata, votis, muneribus, lacrymis, divino Puſioni bene precantes, fauſtique omnia acclamantes? Sed nec hic diuturna lætitia: Ecce tibi! Herodes impius, ac ſceleratus rimatur ferro Bethlehemi cunas, & per tot innocentium latera unum quærit extinguere Puerum Regno ſuo ſuſpectum. Et ubi Pax, quam Angeli concinebatis? Sed non hoc eſt, quod quæritur. Joſeph divino jubetur nuncio ſine mora tollere Puerum, & Matrem ejus, & ſecedere in Ægyptum. Vides quomodo ſcenæ convertuntur, & tot læta temperantur triſtibus. Itáne verò MARIA in Ægyptum? Filia Sion ad Idololatras? Virgo ad Barbaros? Margarita ad immundum, ſuſpectúmque conſortium? Quæ tamen natalem terram exilio patientiſſimè commutavit, nec pudori metuit Deo præſide ſatis defenſa, nec proſperis elevata, nec fracta adverſis. Et, ſi omnem Deiparæ vitam conſideres, animadvertes ubique lætis adverſa miſceri, & gladio ſemel pectori immerſo, lætitiæ favos ſelle temperari.

§. IV.

Sed nunquam majore, confertioréque menſurâ, quàm in Paſſione Chriſti.

Et verè (ut ad Evangelium redeam) quis explicet, quantis cor Virginis exultabat lætitiis, cum audiret à Sene Spiritu Sancto pleno, & à veneranda Prophetiſſa Anna oculis fidei dignoſci, maximisque divinam hanc ſuam prolem laudari præconiis; quæ enim Mater non afficiatur voluptate maxima, ſi ejus prolem aliquis S. Franciſcus de Paula, de cunis elevatam prophetico Spiritu ſpectantibus oſtendat: *Hunc Puerum futurum Summum Pontificem*, ut cum LEONE X. contigit? Sed cum innumeri jam Pontifices, Chriſti unius in terris vices gerant, ex tam lætis, fauſtisque apprecationibus neceſſe fuit divinam Matrem ſummis exultâſſe gaudiis, quòd Dominatorem mundi, ac Salvatorem caſtis ſuſcepiſſet viſceribus, & Angelis plaudentibus utero benedicto effudiſſet Sacerdotem Maximum. Neſcio tamen, an non magnitudinem gaudii ſuperaverit doloris acerbitas, quòd eundem *dilectum uteri ſui, dilectum uberum* ſuorum audiebat multorum linguis, multorum odiis veluti pro ſcopo exponendum, ipsámque cor Matris eandem fortunæ aleam ſubiturum. *Et tuam ipſius animam pertranſibit gladius*, ſed non aliter, quàm per latus Filii. Alii in eum credent, alii irridebunt: idem tibi accidet; erit qui ſpoliabit Filium tuum Divinitate, & tibi *Deiparæ* titulus detrahetur. In comparatione ſceleris fortaſſe parum eſſet hunc Titulum auferri, niſi & dicerentur ea, quæ non licet homini loqui. Sed quid mirum, *Si Patremfamilias Belzebub vocabunt, quantò magis domeſticos ejus?* Et quid fiet, quando in Paſſione *revelabuntur ex multorum cordibus* odia diu latentia, & in veri Davidis caput undique lapides, & maledicta volabunt; de Curia Judices, de Sanctuario Pontifices, de compitis, & foro catervæ populorum, an totidem Dæmonum? clamantium, & ad Crucem depoſcentium Filium tuum audientur; audientur inquam horrendo ad Prætorium ululatu, & tuarum, ô Virgo, aurium tinnitu fulminales illi ſoni: *Sanguis ejus ſuper nos!* Quis tibi tunc ſenſus Virgo, cum dilectum illum tuum videres aut carnificum manibus nudari ad columnam publicam, ac urbe totâ ſpectante ſervorum more virgis pœnalibus ſubjici? aut ad ludibrium contexto de ſpinis diademate frontem incingi tam amabilem? pluráque majora, ac inaudita, qua Filio tuo capto, damnato, occiſo, poſt ipſam mortem maledictis impetito, ſepulchrali lapide ſigillo, armatis excubiis vallato, ac defenſo ſunt eventura? Subeunt hic mentem Eloquentiſſimi Martyris Cypriani verba: cum ad ipſum tanquam Præſulem perferretur atrocitas cædis tot innocentium Chriſtianorum, dicebat: ſe in ſingulis illis pati, occidi, proſterni non corpore, ſed affectu. *Jaculis*, inquit, *illis graſſantis inimici mea membra ſimul percuſſa ſunt; ſævientes gladii per mea viſcera tranſierunt; & in proſtratis fratribus* ET ME PROSTRAVIT AFFECTUS. Unico verbo mutato, ſi pro *fratribus* reponam FILIUM, incredibilem patientiam, animique tui deliquium expreſſi Virgo doloroſiſſima! Alapa illa, dices mearum fuit rubor genarum; junci illi, ac ſpinæ per mea tempora tranſierunt, ad columnam meus ex illo corpore ſanguis cucurrit, & calcatus eſt; lancea illa mortuo jam corpori immerſa feriit animam non Filii, quæ ibi jam non erat; ſed meam, quæ inde nequibat avelli; ego potata felle, ego confixa Cruci, ego ſepulta: *Et in proſtrato Filio, & me proſtravit affectus!*

O Davidis ſobolem germanam, à cujus *domo non recedet gladius in ſempiternum!* eſt enim noctibus, atque diebus jugiter

Bellarm. Conc. cui Titulus. *Miracula Hæreticorum.*

S. Cypr. Serm. de Lapſ.

jugiter pectori infixus dolor dilaniati, excarnificati, occisi Filii tui. Et quemadmodum *Erinaceus*, animal undique aculeis vallatum, spinis suis indormit, & surgit, vaditque in spinis, & si à quoquam molestetur, in sua se colligit arma, & spinis tegitur suis: non aliter sors tua dolorosissima Matrum, cum hac diversitate: quòd ille spinas exteriùs gerit; tu interius, ubi est principale cordis, ubi fons, & scaturigo vitæ, & amorum: in hac parte tenerrima, delicatissimáque infixum intus geris gladium, qui te quietem capere nullam finit. Verè, *ut mulierem derelictam, & mœrentem spiritu vocavit te Dominus!* Et si totius cursûs vitæ tuæ aut gaudia enumerem, quæ quidem proportione tot gratiarum maxima esse oportuit; aut comparem cum amaritudinibus, & dolorum mari, quos pro Filio, & cum Filio perpessa fuisti, dubius hæreo, an non amoris, & gaudii impetus, doloris magnitudine superentur?

Simile.

Isai. 54. 6.

§. V.

Mysterium quinque literarum in nomine B. M. V.

Demum ut Deiparæ, verè dolorum Matris Coronam, non aliunde contexam, quàm de præstantissimis, celebertimisque V. T. Fœminis, æquè virtutis causâ multa fortiter perpessis: eæ nunc initialibus Nominum suorum Literis exprimant Nomen *MARIA*num: Tu omnibus una fortitudine par, imò superior extitisti. Tu enim cum *Maria* Moysis, Aaronisque Pontificis sorore famâ inclyta, pendentes rubri maris scopulos prætervecta, inter cataractas sanguinis Filii tui stetisti intrepida: *Stantem lego, flentem non lego.* Tu altera *Anna* laudatissima, adversariæ Phenennæ (Synagogæ) capitalia odia excepisti fortiter, & ante Testamenti Arcam (quæ ipsa fuisti) Deum exercituum pro inimicis deprecata *in patientia possedisti animam tuam, & vultus tui amplius in diversa mutati non sunt.* Tu nova *Ruth* (h.e. *Saturata* opprobriis, ac maledictis) Filio tuo consepulta statum verè derelictæ, & Orphanæ tot annis instituisti, cúmque Regum coronis, & thalamis prætulisti. Tu nova *Judith* pro Ecclesia cilicium, saccúmque induta, dum Assyrii Ducis Diaboli contemnis convivia, ejus caput glorioſa sustulisti. Tu denique veri Davidis *Abisag* pulcherrima, castissimáque, gelida Filii tui membra de patibulo Crucis deposuisti, & brachiis, velut alis quibusdam complexa fovisti, calefeciſti, tumulo intulisti, & doloris magnitudine lacrymata dixisti cum priore Ruth: *Quæ te terra morientem susceperit, in ea moriar.* Moritura planè, nisi te brachium Domini tantisper sustentâsset, cœlestibúsque post glorificationem Filii gaudiis recreâsset. *Statuit procellam ejus in auram, & siluerunt fluctus ejus.* Vides, quomodo virginalis capitis sertum, vitæque totius cursus ex prosperis, & adversis temperatus.

S. Ambr. de obit. Valentin.

2. Reg. 1. 18.

Ruth. 1. 17.

Psal. 106. 29.

Quibus auditis, sentio, tanquam intus essem, *ex multis cordibus revelari cogitationes:* Si DEUS dulcissimum cor MARIÆ non solùm guttatim, sed fluminatim doloribus immersit, vitæque ejus coronam ex lætis, & adversis admirabili manu contexuit: necesse est divinas visitationes, & cruces immissas, esse unum è præstantissimis signis electionis ad gloriam, & veram sanctitatis notam in terris. Ita nonnemini quærenti ex B. Ignatio Lojola, Quomodo quis celerrimè ad sanctitatem pervenire possit? respondit: *Si contingat plurima pro Deo pati.* Et hoc obortis lacrymis dixisse memoratur, sive quia hanc ipsam à Deo gratiam meruit; sive quòd optaverit ampliora patiendi argumenta divinitus sibi offerri. Verùm siquid in ea parte defuit fors Societatis JESU Auctori Parentique Opt. suppletum videmus, compensatúmque esse in Filiis: ut videatur Divina bonitas IGNATII lacrymis excitata, pro peculiari suæ benevolentiæ donativo, Ordinis ejus alumnis hæreditâsse persecutiones. Et quid tum?

Documentum, ut anhelemus aliqua pati pro Deo.

Tribulationum duplex ille fructus est, quòd & justis augmenta meritorum pariunt, & coronas; & peccatoribus purgationem, & satisfactionem operantur. Hanc non potuit operari in immaculata Virgine purissima ille gladius, attamen erat ad coronas quærendas assiduè lateri infixus, qui delicias sæculi excluderet, nec permitteret vultum in diversa mutari. Vos admiror, qui intus in conscientia gladios mortalium criminum circumfertis, & jocamini cum Diabolo? Intus tortorem habetis, ac tyrannum: foris sectamini delicias? *Qui voluerit jocari cum Diabolo, non poterit gaudere cum Christo.* Potiùs ô Domine! cordi nostro figantur MARIÆ acinaces, & quidem pertingentes usque ad divisionem animæ, qui à nobis resecent amorem terrenæ vanitatis, peccata purgent, adstringant Deo, & æternis, tribuant denique

S. Chrysol.

denique virtutum & coronarum incrementa meritis, & interceſſione B.M.V. AMEN.

Alius Epilogus ad B.V. Hungar. *Patronam.*

Poſſet alius Epilogus inſtitui ad Beatiſſimam Dei Matrem: precando eam, ut quandoquidem MARIAni Nominis ſui Coronam, ex Illuſtribus Heroidibus Teſtamenti Veteris, genere, ac virtute præſtantiſſimis, & patientiâ Inclytis contextam habeat ſibi dedicatam: pro ſua clementia patiatur eam pedibus ſuis ſubſterni, quaſi coronidem gratiarum, beneficiorúmque innumerabilium teſſeram, quæ Anno hoc toto in anima, corpore, fortunis percepimus ab Unigenito Filio ejus Domino noſtro, JESU Chriſto: meritis, & interceſſione potentiſſima Hæreditariæ Dominæ Regni noſtri; quod illa non ſolùm precibus, gratiis, beneficiis, ſed etiam *lacrymis* uſque hodie ſuſtentat. Verè dolorum Mater! quia etſi peccatores ſumus, illa recognoſcit tamen in nobis, quod ſuum eſt. *Hungariæ Patrona fuit, nec deſinet eſſe.* Patiatur itaque mancipia die hodierno adſterni pedibus ſuis; peccatorum veniam, pacem, gratiam, Eccleſiarum tranquillitatem, boni publici incrementum, Urbis, totiúsque Regni ſalutem ſibi habere commendatam dignetur; ut & nos pro acceptis beneficiis ſemper grati, ac memores ampliora accipere mereamur: Gratiâ, ac benignitate D.N. J. C. cui Honor, & Imperium in ſæcula. AMEN.

IN CIRCUMCISIONE D. N. J. C. *SERMO UNICUS.*

Conſummati ſunt dies octo, ut circumcideretur Puer. Luc. 2.

SUMMARIUM.

Sanguis JESU, arcus fœderis.

I. *Quia erectus in ſignum reconciliationis, & pacis.*
II. *Figuratus Agni ſanguine in ſuperliminaribus domorum.*
III. *Deſignatus Iride Throni, in teſſeram amniſtiæ, & oblivionis injuriarum.*
IV. *Quia eſt Arcus converſus ad nos, & non adverſus.*

Jaurini in Cathedrali. 1706. Pſal. 1. ℣.

GEns noſtra Europæ advena, ſed Divinæ benignitatis munere in medio Chriſtianitatis plantata, *velut lignum ſecus decurſus aquarum* (quæ viſuntur in Hungariæ ſcuto) *fructum ſuum* datura *in tempore ſuo:* quemadmodum in lingua illud habet cum Deo commune, quòd nullius humanæ gentis idiomati affinis ſit: ita præter conſuetudinem cæterarum Nationum, Myſteriis Chriſti, & Beatæ Mariæ Virginis pulcherrimos Titulos indiderit. Ita hodierna Salvatoris *Circumciſo* quæ nobis Annum feliciter aperit: Hungaris *Parva Nativitas* dicitur. Magna Chriſti Nativitas, magna Filii Dei humiliatio, *Parva Nativitas*, aurora rubicunda, & primitiæ ſanguinis Filii Dei. In *Magna*, divinitas fulſit adorata à Paſtoribus, honorata à Magis, & Herodi ſuſpecta: hic nihil tale, tanquam unus de filiis Adam, nec ſimpliciter homo, ſed ſanguine ſuo reſperſa hoſtia matutina, & Agnus. Quanquam ego pæne mutâſſem hic nomina, tenerémque hodiernam Celebritatem multò eſſe illâ majorem, ac illuſtriorem: nam, ut taceam, quòd Anni reparatæ Salutis ab Kalendis his ſacratiſſimis numerentur; in Nativitate eſſe, & fieri hominem, erat imago innocentiæ, in qua creatus eſt Adam: in Circumciſione, ſtupenda omnia: Eſſe peccatorem, & Deum; Conditorem Legis, & legi ſubditum; Sacerdotem ſummum, ſimul & Victimam; de Virgine natum, & Moſaico cultro cum filiis Abrahæ ſubjectum. Hic verè tu factus nobis *Alpha, & Omega;* primus, & noviſſimus. Hoc factum hodie. Maneat tamen dies iſte, *Parva Nativitas.* Quidquid enim in alia Nativitate gloriæ

Circumciſio, cur vocetur idiomate noſtro, *Parva Nativitas?*

vel ab Angelis, vel à Regibus acceſſit, dies iſte imminuit, revera quantum creſcebat ætate, jam tum decreſcebat ſanguine, ac proinde rectè *Parva Nativitas*, dum ſic humillimus Dei Filius juxta legem Dei multùm minoratus ab Angelis, ſanguinis vectigal exſolvit, dum vix uſuram mundi inchoavit.

Utrum mihi de Pace agendum hodie, an de ſanguine? neſcio. Precabar octavo abhinc die Pacem cum Angelis, & bonam voluntatem bonorum omnium matrem. Si pax, quomodo petrini cultri? quomodo vulnus, & ſanguis? Reſolvo. In ſignum, & aſſecurationem pacis noſtræ, ſanguinem fudit Princeps pacis. Optimè. Ergo quemadmodum olim Deus in ſymbolum pacis, & fœderis, belli ſignum extulit in cœlo, *Arcum in nubibus*: quid terribilius? & tamen quid amabilius? Si hodie evicero, hoc ipſum agi cum *ſanguine* dulciſſimi Redemptoris noſtri, quòd *belli ſigno Pacem* denunciet: idem accidet mihi, quod Leproſis illis palabundis juxta caſtra Syrorum: qui dum hinc famem, inde hoſtilitatem metuerent, & ab alterutra certam mortem expectarent; ingreſſi obvium tabernaculum, & mox aliud ex alio: *comederunt, & biberunt; tulerúntque inde argentum, & aurum, & veſtes*, id eſt Pacem. Timuerunt bellum, receperunt ſilentium, pacem, victum, divitias. *Hæc dies*, dicebant, *boni nuncii eſt. Si tacuerimus, & noluerimus nunciare, ſceleris arguemur.* Ne paris & ipſe criminis arguar, ſi tacuero, & ſub belli ſanguine reperiens tantas divitias pacis celavero: ſtatui mecum, eas convertere in Xenia veſtra. Attendite, & favete.

Sanguis Chriſti funditur in ſignum, & aſſecurationem pacis.

4.Reg.7.9.

§. I.

De Corpore Chriſti, velut Paradiſo gratiarum 4. flumina.

Occaſione pretioſi Sanguinis, quem Dei Unigenitus jam peccatoris formam indutus, in Circumciſione ſudit: occurrit mihi, de Chriſti virgineo corpore, velut Paradiſo, quatuor flumina gratiarum profluxiſſe, ut totum irrigarent orbem terrarum; nimirum flumina *Sudoris*, *Lacrymarum*, *Aquæ*, & *Sanguinis*. Virginea illa caro ſudavit poſtea in horto præcipuè, ad eorum ſolatium, qui in Vinea dominica difficiles labores obeunt, & *in ſudore vultûs ſui veſcuntur pane ſuo*. Iſtud Chriſti ſudantis exemplum ſervit inſtar lintei, quò ſudorum guttas defluentes abſtergant, cœleſtisque ſpe denarii ſeſe conſolentur. Fudit etiam *Lacrymas* in Præſepi, & in Cruce, ut ait Apoſtolus: *Cum clamore valido, & lacrymis ſupplicationes offerens, exauditus eſt pro ſua reverentia*: ad ſolatium Viduarum, & Pupillorum, & omnium, quos mundi rabies tyrannica ad incitas redegit; qui in ſolo Deo ſpem cum lacrymis repoſuerunt. Attendant hi, & lacrymas ſuas Chriſti lacrymis permiſceant, ut unitæ plus proſint, fiántque in eis fons aquæ ſalientis in vitam æternam. *3tiò.* Fudit *Sanguinem*, cujus primitiæ in Circumciſione, plenitudo in Paſſione: ad ſolatium Martyrum, & omnium qui perſecutionem patiuntur propter juſtitiam. Et ut breviter ſingula perſtringam, *4tò.* Fudit *Aquam*, utique ex ipſo Chriſti pectore hauſtam, aquam vivam, in ablutionem peccatorum, & macularum omnium, qui per pœnitentiam ad Deum redeunt, vel reverti cogitant, orantes cum Ignatio Lojola: *Aqua lateris Chriſti lava me!* Vides quomodo omnia in emolumentum mundi converſa ſunt? Et quia ad *Aquam* devenimus; hodiernæ doctrinæ fontem:

Hebr.5.7.

§. II.

Expenditur finis, ob quem creavit Deus Iridem in cœlo.

Redeamus ad propoſitum Orationis ſcopum, & videamus, quomodo occaſione Diluvii erectus *in nubibus Arcus*, ſive Iris verſicolor, ſit ſymbolum Sanguinis JESU Redemptoris: & uterque ſub belli ſigno, pacem, & omnia bona deſignet? Poſt generale diluvium, quô ſuffocata magis ſunt, quâm abluta totius mundi delicta: terribili illâ expeditione confectâ, Deus abſolutè reſolvit pacem cum reliquo genere ineundam. *Igitur ſexcenteſimo primo* (à Nativitate Noë) *anno, primo menſe, prima die menſis, imminutæ ſunt aquæ ſuper terram.* Hoc jam detumeſcentis maris ſignum, erat pacis initium: &, Notate bene, ſi non pulcherrimè præluſit Deus Anno Chriſti Nati *primo*, *menſi primo*, *diei primo*, puta hodierno, quo celebramus primam Chriſtianæ pacis auroram, JESU Redemptoris Sanguine pariter, & Nomine conſecratam, atque fulgentem. Quod plus, ad ſpem Europæ noſtræ: deſignare videtur fauſtiſſimum hunc Annum, poſt M. DCC. SEXTUM, & PRIMUM: *Menſem primum*, & *Diem primum*, hanc ipſam auſpicatiſſimam lucem: quâ divinæ juſtitiæ mare detumeſcere paulatim, & belli furor imminui,

Gen.8.13.

Anni, quô ceſſavit diluvium: & Circumciſionis convenientia.

minui, & ſuſpirata Pax aliquando divino munere elaborari incipiat: ut in tam ſolemni Chriſti Redemptoris die exoriatur mundo juſtitia, & abundantia pacis. Sed unde hæc aſſecuratio?

Arcus in cœlo erigitur in ſignum pacis. Gen. 9.

In caſu Diluvii, Deus ipſe pacis Tractatum inchoavit (niſi enim vel Deus, vel cum Deo inchoetur, quæcunque ſit illa pax, non ſtabit) & ait: *Ecce ego ſtatuam pactum meum vobiſcum, & cum ſemine veſtro poſt vos.* Jam dicit, cum quibus ſtatuere velit pacem, & amicitiam, non tantùm inquit *vobiſcum*, quos juſtos inveni, & ſervavi mihi; ſed pariter *cum ſemine veſtro: & nequaquam ultrà interficietur omnis caro aquis diluvii, neque erit deinceps diluvium diſſipans terram.* Promiſſa pulcherrima, ſed non dum ſufficientia ad motivum credibilitatis. Quid ergo ait Deus? In hujus pacti mei teſtimonium, & memoriale æternum, inquit, *Arcum meum ponam in nubibus, & erit ſignum fœderis inter me, & terram.* Neque id ſatis, quod ſummum eſt, addit: *Eritque arcus in nubibus.* Quid tum? poterat reponere Noë: poteſt eſſe *arcus in cœlo*, & illo non obſtante hìc in terris fieri confuſio, ac nova revolutio. Non ſic, inquit Deus; ſed *Recordabor fœderis ſempiterni, quod pactum eſt inter Deum, & omnem animam viventem.* Hoc fuit initium Tractatûs pacis, hic finis. Et ad quid tantæ cautelæ, etiam quando Deus facit pacem? Dico: agebatur de tranquillitate, & aſſecuratione totius mundi, & cum maximo Monarcha Deo, de quo dubitari jure poterat, utrum poſt graviſſimas offenſas mundo jam verè reconciliatus credi poſſit: ergo in reconciliationis ſuæ teſtimonium, *Cœlum, Nubes, Arcum* invocat, ut illa omnia ſint teſtes contra Deum, ſiquando non obſervaret ſuum verbum. Quantum hoc ſolatium fuit mundo, videre oculis monitorem Dei in nubibus, & teſtem fidelem in cœlo Iridem, mediam inter Deum, & terras, perenne monumentum pacis, & amicitiæ concluſæ.

Qui pulchro repræſentat Dei juſtitiam, & miſericordiæ. Pſal. 100.

Quo poſito, dico: aptiore Symbolo non potuiſſe repræſentari juſtitiam, & clementiam, quam cantat Deo Prophetа Regius: *Miſericordiam, & Judicium cantabo tibi Domine.* Et ubinam apertiùs judicium Dei exprimi queat, quàm in Iride? Si Iridem ſpectes, debes cogitare quônam fine ſit creata, & erecta? & continuò reflectes te ad memorabile illud bellum, quod univerſum genus humanum intulit Creatori ſuo, cùm rupto omni æquitatis jure, pro tot titulis debito divinæ laudis, ac honoris vectigali quid? niſi injurias Deo rependit: & quâ menſurâ menſus fuit homo, eâdem videbat ſibi remenſum, univerſali clade mundo divinitus illatâ. Ecce *judicium! Quis enim reſtiſtit ei, & pacem habuit?* Job. 9. 4. Ergo in eo ipſo cœlo, unde executores Divinæ juſtitiæ abyſſi magnæ fluctus deſcenderant, novam erexit *miſericordiam* Deus, quia flexus eſt, quia placatus eſt, ut nequaquam ultra diſſipet terram. *Miſericordiam, & Judicium cantabo* pro hoc. Utrumque hoc, motivum fuit efficaciſſimum Apoſtolo exhortandi fideles ad ſecurum acceſſum in oratione ad Deum. Si, inquit, tribulatio inſtet, & periculum ex iis omnibus, quæ peregrinationis hujus exilium ſecum ferre conſuevit; ſi flammis Provinciæ conflagrent, ſi peſtes, ſi barbarorum gladii, ſi Tyrannorum edicta cervicibus Sanctorum impendeant: quid agendum? *Accedamus cum fiducia ad thronum gratiæ.* Hebr. 4. Sed qualis ille Thronus ſit, non explicat. Verùm ſi explicationem deſideramus audire, eam deſcribit S. Joannes: *Fui in ſpiritu, & ecce ſedes poſita erat in cœlo.* Apoc. 4. Tota majeſtas myſterioſa erat in lapidibus diverſi coloris pretioſiſſimis. *Et Iris* inquit, *erat in circuitu ſedis, ſimilis viſioni ſmaragdinæ*, ut quanquam multi eſſent colores, viderentur tamen omnes in unum Smaragdum abiviſſe. In *Iride*, ut cœpi dicere, duo illa magna opera Dei repræſentantur: *Miſericordia, & Judicium.* Arcus, eſt ſignum belli, & quid hoc, niſi *Judicium?* verùm quia iſte Arcus cœlum, & terram attingit, & conjungit; & quia roſcidus eſt, & pulcher, non ſolùm nobis depluit miſericordias, ſed etiam colore ſuo cæruleo noſtram fovet fidem, viridi ſpem, rubicundo charitatem, & amorem: fit, ut Arcus ille amandus potiùs ſit, quàm metuendus; præſertim poſteaquam duo brachia Chriſti in Cruce extenſa Arcum quendam nobis exhibent totum divinitatis thronum ambientem: ſic, ut illius Paſſio jugiter Dei oculis obverſetur, eúmque magis, quàm Iris Noëmitica, Eccleſiæ ſuæ pacatum, clementémque fore denuncier. Quod ſi ita eſt, video unam ex opportuniſſimis adeſſe Sacratiſſimam hanc lucem, in qua *cum omni fiducia accedamus ad thronum gratiæ*, quando Dei Unigenitus hodie in ſignum pacis ante thro-

Iris in circuitu throni, eſt Sanguis Chriſti, pacem & protectionem Eccleſiæ denuncians.

te thronum Dei comparet in *Iride* ſui ſanguinis. Felicem Thronum tali Iride coronatum, & circumdatum undique! tunc potiſſimùm, quando aperiendus erat in cœlo Liber, in quo varia juſtorum fortuna, multáque inſolita, & acerba continebantur ventura. Et nequis exiſtimet ea proventura à Deo averſo, atque irato, ſed à maximè pacato, ſuæque Eccleſiæ propitio ad magnam juſtorum coronam, & decus: voluit in *Iride* ſangvinis Filii ſui, tanquam aperto ſigno ſuæ reconciliationis, fœderisque ſempiterni, ſpem noſtram omnem reponi, fore, ut Rom. 5. *juſtificati in ſanguine ipſius, ſalvi ſimus ab ira per ipſum*, reddamúrque ſecuri de protectione divina, quâ fulti non modò periculis ſuccumbere, & frangi non debeamus, ſed etiam meritis ejus ſpem certam concipere de Dei adjutorio; magnóque præmio, ac ejus conſolatione in omni tribulatione noſtra.

§. III.

Idem figurabat Agni ſangvis domorum poſtibus illitus.

Pulcherrimè his præluſit *Agni ſanguis*, cùm imperio Dei inter Ægyptiacas mortes, domorum Deo devotarum poſtibus illinebatur. Et quânam causâ? Agni immaculati cruor futura erat nota, & ſigillum divinæ protectionis, ſuper cujuſcunque domûs limine ſigna rubeſcerent. *Erit vobis ſangvis in ſignum.* Iſte ſangvis, inquit Deus, vobis non bellum, ſed pacem, protectionémque meam ſignabit. Videbitis Regum, ac Reginarum cubicula morientium ejulatibus reſonantia, urbem omnem, vicos, compita non ſuffectura chariſſimorum funeribus humandis; ubique luctus, ubique complorationes, & ejulatus matrum, cadentibus pignoribus ipsâ vitâ carioribus, cùm juſtiſſimi furoris mei procella urbi incumbet. Vobis, ut illo periculo eximii evadatis, *Sanguis erit in ſignum. Et videbo ſanguinem, & transibo vos, nec erit in vobis plaga diſperdens.* Diviniſſimè. Si enim ſolum ſanguinem illini imperâſſet, fuiſſet idem, ac purpureum vexillum extuliſſe in ſignum dimicationis uſque ad ſanguinem: ſed quia additur, *Transibo vos;* ſangvis, fœderis, ac libertatis evadebat ſignum. Sed, contra quem ponebat Deus hunc ſanguinem in ſignum? illud enim, *Transibo vos*, vertunt: *Protegam vos;* contra quem! Deus ipſe erat interfecturus Ægyptios, Deus contra Deum pugnabat, & ut ſui victor ſit, indigebat quodammodo monitore ſanguine Agni immaculati. *Dediſti* (inquit Propheta) *metuentibus te ſignificationem, ut fugiant à facie arcûs.* ô ſpem fidelium ingentem!

Exo. 12. Signo cruento pacē, & protectionē deſignavit.

Duo hæc ſigna, ſive Arcum in nubibus ſublimè fulgentem, ſive in domorum ſuperliminaribus ſanguinem Agni rubentem: explicem, vel non explicem, intelligunt ſapientes, utróque pacem illam æterni Patris, quam Mediatore Filio ſuo confecit, deſignatam eſſe: ut proinde ſive Arcum memorem cœleſtem, ſive cruorem Agni terreſtrem, in utróque JESU Redemptoris ſanguinem pacificantem ſive quæ in cœlis, ſive quæ in terris; ima ſummis copulantem, rectiſſimè intelligimus. *Erit vobis ſanguis in ſignum*, et in perenne monumentum pacis inter nos, & Deum. Iſtum ſanguinem pretioſiſſimum præibant tanquam figuræ, cruenta Synagogæ ſacrificia, quæ Deus ordinavit populo illi carnali, ad oſtendendum, aliter non poſſe Deum placari, quàm ſanguine, quia *abſque effuſione ſanguinis non fit remiſſio*, ut univerſaliter docet Apoſtolus. Quia verò novâ Lege quaſi noviter creabatur Mundus, per conſequens Synagoga cum honore ſepelienda erat: ſic totum illud Vetus Teſtamentum, quod erat in ſacrificiis animalium, proprio Filii ſui ſanguine voluit ſepelire, ut ab hoc die una dominici ſanguinis oblatio omnes legalium differentias hoſtiarum impleret. Quid enim putatis, ſi ſanguis taurorum, & hircorum; ſi hominum, qui circumcidebantur; cruor effuſus pertinebat ad ſignum fœderis, & Deus flectebatur: quid faciet, aut quid illo momento feciſſe putabitis, quô primùm vidit cœleſtis Pater de innocentiſſima carne Unigeniti ſui ſtillantem ſanguinem? Iſti Filio meo, quem ante Luciferum genui, & cujus ſanguis plus quàm Abelis clamat ad me: quid faciam? Illius peccatum condonare non poſſum, quia nullum eſt; itaque cui dimittam? Cum Filio meo redire in gratiam non poſſum, qui nunquam me bello petiit, non honorem læſit, non amorem injuriâ violavit. Cum quo igitur pacem faciamus? DEUS Omnipotens, tu nôſti, contra quem, & quas habes prætenſiones! pro illis offertur hic ſanguis, illis impenditur hoc pretium, qui certiſſimè redemptione indigent, & de fundo carceris per Filium te orant, te obteſtantur, te invocant, ne reminiſcaris delicta ſua, vel parentum ſuorum! ſed pro illis hanc novam oblationem de terra, & pro terra miſericordiſſimè admitte, & ſuſcipe!

Applicatio à fortiori ad ſanguinem JESU Redemptoris.

Heb. 9.

Svaviſſimus Dialogus Dei Patris ad Filium.

Quican-

Quicúnque illi sint, pro quibus hoc pretium offertur, noli respicere; sunt captivi, sunt (proh dolor!) hostes quondam tui, sunt progenies ac sanguis Proditoris illius magni, cujus crimine divina, humanáque omnia permista. Ne quæso, ne recorderis iniquitatem servorum tuorum, sed clemens respice Unigenitum tuum, *Quem proposuisti propitiationem per fidem in sanguine ipsius.* Rom. 3. 25. Suscipe primitias has! donec plenaria in ligno Crucis solutio adveniat. Qui dat sanguinem, dat vitam; Filius tuus dando hodie paucas guttas, obligat se tibi ad vitam pro nobis deponendam. Æqvum est, ut tuam obliviscaris injuriam, quando Filius etiam suam deponit vitam. Ita tecum contra te pugnamus; contra tuam enim iram statuisti medelam, dum in perenne monumentum pacis, ac securitatis nostræ, hanc in Filii tui sanguine erexisti *Iridem*, quæ cœlum cum terris conjungat, ima summis copulet, *pacem his qui propè, & his qui longè*, annuncict sine fine perennaturam.

§. IV.

Nequando justitia Dei recordetur injuriarum: metus diluitur.

Pulcherrima quidem sunt hæc securitatis nostræ præsidia fundata in sanguine Filii Dei, quem Natum adoramus: *Néque* enim *est datum aliud Nomen sub cælo, in quo oporteat nos salvos fieri*, quod hodie proprio sanguine acquisivit: Nomen salvificum, sangvis pretiosissimus. Indubitata sunt omnia. Verum quod fratribus Josephi contigit, ut terrifica recordatione delicti, injuriæque in Josephum admissæ cum alias semper, tum maximè post obitum Patris sui angerentur, neqvando Josephus ultionem cogitaret, & non esset, qui furentem cohiberet. Gen. 50. 15. *Quò mortuo, timentes fratres ejus, & mutuò colloquentes: Ne fortè memor sit injuriæ, quam passus est, & reddat omne malum, quod fecimus. Mandaverunt ei dicentes: Pater tuus præcepit nobis, antequam moreretur, ut hæc tibi verbis illius diceremus: Obsecro, ut obliviscaris sceleris fratrum tuorum, & peccati, atque malitiæ, quam exercuerunt in te. Nos quoque oramus, ut servis Dei Patris tui dimittas iniquitatem hanc. Quibus auditis, FLEVIT JOSEPH.* Joseph supplicibus impendit lacrymas, & hodie supplici mundo Christus sanguinem offert, fundit. Sed an ista securitas, quam nobis sanguine suo pollicetur, futura sit diuturna, & non aliquando Pater memor sit injuriæ, quam passus est à tot sceleratis; nequando paterna delicta etiam in innocentibus ulciscatur filiis, & pari clade mundum involvat: meritò timere nos facit ipsum reconciliationis signum *Iris*, sive *Arcus in nubibus*. Quid ita? Quia *Arcus* est, & donec erit in nubibus turbidis, nunquam non metuendum erit mundo hoc *Signum*, nec enim pacem videtur nunciare, sed bellum, & si cogitemus sanguinem, qui hodie fusus est, etiam cruentum. *Ex signo res.* Difficultati huic nostræ obviat Divus Chrysostomus, monens, isto nos scrupulo angi non debere; quia illud signum in cœlo fulgens, est *Arcus* quidem, sed multam tamen pacem designat. Ille unicam dat rationem: *Quia*, inquit, *est inversus*, cornibus videlicet ad nos conversis. Si fortè cornua essent versa ad Deum, tum sine dubio esset signum lethale non minus, quàm alia bellica signa, ut gladius, faces, machinæ ignivomæ, &c. qualia subinde in cœlo comparent, & nihil boni nunciant. Ego autem plura addo requisita, quæ desunt *Arcui* illi ad terrorem, & bellum: videlicet, zona contorta, sive *funiculus* non apparet in Arcu; Arcus porrò sine funiculo est sclopus sine chalybe, nocere non potest. Deinde deest *Sagitta*, prouti Arcus, galeæ, hastæ, serta picea obsidionalia solent pacis tempore jacere neglectim: ita ut in galeis nidificent columbæ; & quod ferrum nuper in hostico fulgebat, jam illo terram subigat agricola. Denique *3tiò*, Arcui deest *Manus*, quis autem timeat signum bellicum, cui desit gubernatrix manus? Balthassar Rex meritò turbabatur inter regales epulas, & genua bellicosi viri ad se invicem collidebantur, cùm repentè ignoti apparerent digiti, *quasi manus hominis scribentis contra candelabrum in superficie parietis Aulæ Regiæ.* Néque enim eum terrebant characteres, quamvis multum sonantes, sed *articuli manûs scribentis*, quos aspiciebat, nec dubitabat illam Dei manum esse, *terribilem in consiliis super filios hominum.* Quamdiu illa Manus non admovebitur Arcui in nubibus erecto, quid *metuendum?* Immò verò si spectemus *cornua Arcûs* ad nos conversa, in nostra situm est potestate, ut instituamus hujus signi bellici præsidio dulcissimum, & optatissimum contra Deum prælium: usu illius possumus vulnerare cor Dei, unico filo perducto bonæ intentionis, vel *unico crine*, quô fatetur cœlestis Sponsus, se aliquando vul-

Pulchra reflexio S. Chrisostomi.

Dan. 5.

do vulneratum esse in corde: *Vulnerâsti cor meum in uno crine colli tui.* Cant. 4. 9.

§. V.

Sanguis Christi sicut est amori justis, sic terrori impiis, & ingratis.

Ut ut sit: fateri debemus, Iridis naturam, & situationem posse nobis cogitationes ingerere, quòd *in nubibus* cœli positum sit hoc signum. Ex nubibus, & in nubibus est locus *Iridis;* unde enim exoptatissimæ Deum inter, & hominem pacis signum erumpit, inde omnia tonitrua, fulmina, grandines pariter erumpunt: ita ut, si pacem spernimus, in promptu habeat fulmina: si non placent oscula, & veritas, mandabit nubibus desuper, & spicula terram ferientia comparebunt, &, si non aquarum, sanguinis certè, & lacrymarum diluvio totus persundetur mundus. Applicemus sacramenta terroris, & amoris.

Certum est, in signum pacis cum Deo initæ, & reconciliationis, in tot inquam beneficiorum, signum posuit Deus *Iridem* sanguinis Unigeniti Filii sui: ita ut illo viso nihil supererat ad acceptandas, & subscribendas omnes conditiones pacis, & deponendas quascunque prætensiones divinæ justitiæ, posteaquam ad æqualitatem injuriæ pretium est depositum, & ritè persolutum: quo titulo duo Apostolorum principes fidem, ac spem nostram multum erigunt: *Empti estis pretio magno.* Quonam illo? *Non corruptibilibus* (inquit Petrus) *auro, vel argento: sed pretioso sanguine, quasi Agni immaculati Christi.* Notate bene: EMPTIONEM vocat, istam pacis conclusionem; quemadmodum & de animabus cœlo jam receptis dicitur: *Empti sunt de terra.* Sicut enim si quis debitum pretium deponit pro re aliqua, ille cui depositum est pretium emptionis, jam non habet jus in rem: ita, quia Filius Dei animarum pretium in sanguine suo deposuit, nihil jam prætensionis habet Deus Pater contra mundum, quia pro toto mundo Sanguis Christi depositus est. Unde ergo, tantâ etiam summâ persolutâ, unde adhuc bella, adhuc lites Dei contra nos? unde carcer? unde damnatio? *Arcui* huic, cogimus Deum, ut manum admoveat, suppeditamus sagittas, invertimus ipsum Arcum: peccatis nostris grassamur in Sangvinem Christi, pretiúmque miseri, quo redempti eramus, conculcamus: signum pacis vertimus in hostilitatem, misericordiam in furorem, gratiam in venenum. Et ecce! Dominus JESUS usque hodie *positus est in signum*, cui contradicatur à multis, non obediatur à plurimis.

Duo genera hominum notate, quos sermones habuerint de Christi Sanguine: Unum genus cum Pilato dicebat: *Innocens ego sum à sanguine Justi hujus.* h. e. Ego non volo reddere rationem de hoc sanguine, quem funditis; quia est innocens. Alterum genus dicebat cum Pontificibus: *Sanguis ejus super nos, & super filios nostros.* h. e. Nos scimus Legem, quia *quicunque fuderit sanguinem, fundetur sanguis ejus:* attamen qualis qualis iste sanguis sit, non cessamus eum torculari mortis exprimere, &, si fors in eo peccamus, obligamus nos ad refusionem, & ultrò petimus, ut Deus nos puniat juxta mensuram pretii sanguinis hujus. Unde justo Dei judicio factum, ut Christo mortis supplicium non inferretur intra urbis muros, fortè ne ille sanguis peroraret pro salute civitatis, in cujus medio fusus respersúsque sit; sed extra ambitum urbis: ut illius sanguis tunc nobis fieret in adjutorium, cum illum thesaurum ad damnationis suæ testimonium superba Synagoga repulisset. Manifestæ Judæorum iniquitati reclamat Pilatus: *Innocens ego sum à sanguine Justi hujus!* Quid vos ô Christiani! ô peccatores! Nolitis, velitis bene uti sanguine Christi; precemini, vel non, ut Sanguis iste Sacratissima hac luce fusus *veniat super vos:* Jam venit, quia abluti estis, quia mundati estis, quia signati estis. Aspersi sumus in Baptismate, negare non possumus. Uti licebit illo thesauro vel ad pacem cum Deo sempiternam, & quæ pacem seqvuntur, divitias spiritûs augendas: vel ad bellum contra Deum gerendum. Siquando sanguis iste nostrarum erit causa ruinarum, & positus in signum belli: nos, nos inquam facimus, quòd tanto depositio pretio adhuc ligamur, adhuc damnamur; nos facimus, quòd tali, tantóque balneo instructo, adhuc in dies sordescimus magis, & volutamur heu! in carne & sanguine. Verè *sanguis ejus super nos, & super filios*, & filias nostras: ut sicut est comunio labis, & delictorum societas, sic communi nomine strictissima ratio Deo reddatur de negligentia, de impietate Christianorum, qui pretiosissimam Sanguinis JESU *Iridem* verterunt in *Arcum*, quò vulnerent DEUM Patrem; & non magis posuerunt in pacis signum, quo in assiduam, tantóque beneficio dignam gratitudinem excitentur.

Luc. 2.

Matth. 27.

Cur intra portas Jerosolymæ noluit Deus Christum mori?

1. Cor. 6.
1. Pét. 1.

Apoc. 14.

§. V.

§. VI.

Collige ex præmiis, quanti apud Deum pretii Sanguis Christi.

Interim ad scopum Orationis meæ satis sit, ostendisse, pretiosissimum JESU Redemptoris Sangvinem sub belli signo esse symbolum pacis, & securitatis Christianæ. Quippe hodie Princeps pacis nostræ *Effudit sanguinem belli in* (ego dico, pro) *Pace*, & posuit cruorem prælii in baltheo suo. Scire desideratis, quanti fuerit pretii apud Deum hic Sanguis? ex Præmio colligite. Præmium quidem abundans ac magnificum fuisset, quòd Sanguis ille ad æternæ Pacis triumphale signum sit erectus, ut eo conspecto omnes Cœli Ordines, Gentes, & Nationes orbis terrarum concordi gratiarum hymno Christo Triumphatori inclament:

Apoc. 5. 9. *Redemisti nos Deo in sanguine tuo!* Secutum mox præmium, quod vel Pater donare poterat, vel Filius accipere maximum: *Vocatum est*, inquit, *nomen ejus JESUS.* Nomen, quod significaret Deum verum, & Hominem verum, h. e. Generis Humani Salvatorem; Nomen, ultra quod non est datum sub cœlo Nomen, in quo oporteat nos salvos fieri; Nomen, quod non dubitavit Apostolus vocare, *Exaltationem* hodierni Parvuli: ut quantum is nascendo exinanivit, & circumcisus instar peccatoris de filiis Adam, abyssalem induit humilitatem: vicissim tantundem magnificare Deus illum

Phil. 2. pergeret: *Exaltavit illum*, inquit, & *donavit illi Nomen, quod est super omne nomen.* Et, ne more Magnatum, inane & vacuum gereret nomen DOMINI, oportebat in præmium novum, sociare virtutem, & mensuram Nomini tanto:

Gen. 15. propterea, *Numera*, inquit, *stellas cæli, si potes: sic erit semen tuum.* Et in Psal. 2.

Psal. 2. *Postula à me, & dabo tibi gentes hæreditatem tuam, & possessionem tuam terminos terræ.* Sanguis ille invexit, & virtutem Nomini indidit, ut dum audient gentes & nationes prædicari Nomen JESU, convertenturque ad Deum, mutent fortitudinem, & renovetur, sicut aquilæ, juventus earum. Illud Nomen prædicatum fugabat dœmones, excitabat mortuos, erigebat desperantes, Regna, & Imperia jugo Fidei subdebat; implebat claustra Virginibus, solitudines Anachoretis, cœlum Martyribus, terram Militibus paratis animas suas ponere pro Domino. O *Nomen super omne nomen!* In Deo si consideretur nomen hoc: DEUS, ELOIM, Judex, est terribile; at ubi hoc Nomen JESUS venit in considerationem, subitò dulcissimum reperitur, & suprà Divinitatis nomen, quia salutis nomen, amoris, & gratitudinis nomen, nomen pacis, & securitatis nostræ.

Misericordia hæc primum stillare cœpit hodie cum Iride Sanguinis Divini Infantis. *Vide arcum, & benedic eum, qui* Eccl. 43. *fecit illum.* Iste arcus fœderis & pacis nostræ, quot, putas, in mundo odia extinxit? quot inimicitias mortales sedavit? quot dissidentes in concordiam revocavit? quot gladios & scuta conflavit igni, quem venit mittere in terras? Quot dexteras cruentas lavit, & in mutuam pacem stolâ gratiæ suæ ligavit? Jam si sanguis Stephani, fuit lucrum Pauli, quanti pretii fore putatis Sanguinem Unigeniti hodie fusum pro salute nostra? Quô oculô illum Pater aspiciet? quibus illum verbis amorosissimè alloquetur: *Fili mi, ab æterno mihi coæve! video te effundere sanguinem, quem paternus à te affectus meus non petebat; contentus fueram lachrymarum tuarum guttâ, quam profudisti in signum, quòd injurias meas, & tuas mundo condonavimus; quàm enim inæstimabilis extitisset coram me hæc unica ab oculis tuis gutta profluens, Divinitatem tuam, & Personæ dignitatem appello, qui mecum Dominus gloriæ regnas, & vivis.* Exclamare hoc modo & mundus deberet: *Si sufficiebat gutta, ad quid unda?* S. Bern. Ita fecit hodie pientissima Mater JESU, quæ paniculos Filii sui sanguine cruentos benedictis manibus suis elevans: *Vide*, inquit, magne Deus! *utrum tunica Filii* Gen. 37. *tui sit, an non?* Et si est, sicuti verè est Filii tui, ponatur in Arcu illo triumphali quem erexisti, in signum æternæ redemptionis, pacis, securitatis. *Erit* nobis Exod. 12. *Sangvis iste in signum*, quòd non reminiscaris delicta Adam, & iniquitates Patrum nostrorum, totiúsque mundi, pro quibus tinctam sanguine suo hostiam offert Filius tuus; *Hostiam sanctam*, quia Sanctus Sanctorum offert; *Hostiam rationabilem*, quia rationabile fuit, ut Homo pro homine moreretur; *Hostiam acceptabilem*, quia qui patitur, simul Deus est. Admitte, & suscipe clemens hanc primam mundi Hostiam! et, si *absque effu-* Hebr. 9. *sione sangvinis non fit remissio*, ecce hostiam litamus non tam sanguine, quàm charitate rubentem!

Dei Patris, Filium admirantis: & B. V. sanguinem parvuli Jesu offerentis inductio affectuosa.

AMEN.

DOMINICA INFRA OCTAVAM CIRCUMCISIONIS.

SERMO I.

Defuncti sunt, qui quærebant animam Pueri. Matth. 2.

SUMMARIUM.

Ad pacem, & tranquillam animæ quietem retinendam, utilissimum documentum ex Evangelio eruitur, nempe: Non esse aspiciendos HERODES, per quos, tanquam instrumenta ac media, jubet nos DEUS affligi: sed ipsum DEUM, ejúsque voluntatem respiciendam.

I. *Quia scire, quid nobis* meliùs *sit, & facere quod magìs expedit: DEI est.*
II. *Eventum adversorum Providentia ideo præmonet, ut discamus, etiam quando non præmonet, divina adorare judicia.*
III. *Ne canum more Lapidem mordeamus, invisibilis DEI manus nos feriens, adoranda: & illi gloria danda, non Diabolo.*

Tyrnaviæ in Cathedrali 1707

IN Natali Christi quàm verè modulabantur Angeli *Pacem*, tam iniquè eam mundus respuit; sic, ut octiduo pòst, Dei Filium oportuerit non solum in declarationem veræ humanitatis, sed etiam futuræ adversitatis præsagium, fundere sanguinem, & ubi nondum erat de tempore mors, fugâ se ad barbaros recipere, dum mundi Innocentiæ non liceret
Joan. 1. inter suos esse securæ. *In propria venit, & SUI eum non receperunt.* Parum esset non recepisse, nisi ejicerent, & gladiis fulgentibus compellerent aut exulare patriâ, aut mori; & nisi subductus periculo divinus Infans fuisset, jam nunc super Bethlehemiticorum Innocentium, quasi totidem margaritarum acervum victima jacuisset. Felices Barbari, quorum terras, veluti securum portum illustris hic Exul tenuit, cum Cæsare humi forte prolapso, jam tum balbutiendo exclamans: *Teneo te* Ægypte, *MEA ES!*

Impii permittuntur dominari ad tempus.

Quodsi tanto in casu, humano modo ratiocinari lubeat, quæri jure posset: Si Christus erat Deus, & Deus Pater, Pater Christi; numquid abbreviata erat
Job. 12. 18 manus Domini, quæ *baltheum Regum dissolvit, & præcingit fune renes eorum:* ut non etiam Herodem sanguinarium, aut è medio tollere, quando vellet posset; aut saltem odium, quò in suspectum sibi Puerum ferebatur, vertere repentè in amorem? Id quod nihil novi est apud Deum, qui *immutat cor Principum.* Attamen permisit Herodem in manibus consilii sui, in sua quantumvis pessima voluntate pergere, usque dum placuit Deo illum è vivis tollere. Voluit simul Filium suum persequentis furori cedere ad tempus, & Herodis intentioni secundare quodammodo: cùm tamen si rerum exitum circumspicias, non hæc casu, aut consilio facta sunt humano, sed Dei omnia dirigentis, & rectè ordinantis altissimo judicio permissa. Cum enim vult, & quamdiu vult, aut Diabolos, aut homines innocentium cervicibus impendére occulto suo consilio patitur; cum autem placuit servos suos consolari, virgam Dominantium confringit, posteaquam eâ ad arcanos fines suos satis usus fuit. Ut hìc factum vides: *Defuncti sunt, qui quærebant animam Pueri.* Vivit JESUS! periit Herodes, in utroque triumphat Dei consilium. Ad voluntatem itaque nostram conformandam omnibus eventibus, utilissimum documentum esto: Si quietè, si tranquillè vivere exoptamus, non aspiciamus HERODES, hoc est, instrumenta ac media, per quæ jubet nos Deus affligi, & pati: sed DEUM ipsum, ejúsque voluntatem sic ordinantem semper præ oculis feramus. Quod erit thema dictionis. Vos, qui Inimicorum catalogum circumfertis, sumite clypeum, & in clypeo Deum cogitate rerum omnium providentissimum ordinatorem.

ibid. v. 14.

§. I.

§. I.

Differentia inter plùs, & minùs fundatos in Divina providentia.

Ad materiam hanc amplius illuminandam, operæ pretium erit, comparationem instituere inter Christianos eminentiores religione, & fide, qui universam felicitatem suam, spes omnes suas in unico Deo, auxiliatore fortissimo collocârunt: & inter illos, qui eos fidei Christianæ gradus nondum consecuti, adhuc inter spem, & metum mundi fluctuant. Priores illi, siquando ad eos aut inopinatæ charorum mortes, aut flammis exustum prædium, aut Christiani Exercitûs à Barbaris cæsi fama perfertur, capta Præsidia, innocentium sanguinem fusum, in vincula abductos populos intelligunt; quia homines sunt, non dubitem eos in tantis malis lacrymas vix tenere; at, quia Christiana virtute eminentes sunt, prima illis cogitatio statim in cœlo erit, prima, quam labium proferet, vox in DEO. Deus optime (exclamabunt) in quæ nos tempora reservas? Nempe hoc peccatis nostris meruimus, hi sunt iniquitatum nostrarum fructus, hæc præmia. *Etiam Domine Deus Omnipotens, vera, & justa judicia tua.* Apoc. 16. 7. Contrà, minus fide, ac religione fundati continuò ingemitus, & maledicta vertentur, modò incuriam Villici, nunc oscitantiam Medici, imperitiam Belliducis, socordiam & somnum Militum impetent maledictis: alienis vulneribus solatia dolori nostro quærimus. Priores illi, Divinæ Providentiæ consideratione, manum Dei ferientis exosculantur: hi lapidem, quo percussi sunt, mordent; illi rebus, *prout sunt*, cum in potestate non sit mutare, acquiescunt, non quia meliorem bello pacem, stragibus victoriam, valetudinem morbis, Religionem impietate potiorem non optent; verum quia Divinæ sapientiæ omnia dirigenti permittunt ET HANC SCIRE, QUID SIT MELIUS, & FACERE, QUOD MAGIS EXPEDIT: istis verò nihil rectè fit, atque ordine, quidquid cum ipsorum sententia atque judicio discordat; illi voluntatem suam Divinæ conformare: hi Divinam ad suum flectere arbitrium laborabunt. Quàm id bene, quàm Christianè faciant, animadvertent sanè errorem, cum illustrem Exulem hodiernum, cum Matre sua, & Nutritio Sanctissimo, voluntatis Divinæ ac supremæ nutu, quasi cynosurâ, se dirigentes intuebuntur.

In præsenti materia, scilicet fuga Christi, ac reditu in Judæam, erant hæ voluntates: *imò*, Herodis impia voluntas, & cum ea concatenatæ tot millium Civium pessimæ voluntates, & conjurata in Puerum perdendum studia. *Turbatus est Herodes, & omnis Jerosolyma cum eo.* Matth. 2. Altera, Voluntas Christi, Josephi, & dulcissimæ Matris pro conservando Puero, pretiosissimo thesauro. Angelus voluntatem, quæ erat æterni Patris pro servando Puero, & voluntatem Herodis pro perdendo, utramque declaravit Josepho, sacræ Familiæ Præposito, cui etiam claris verbis fuga mandabatur. In iis rerum angustiis Joseph, & Maria argumentari ex tempore poterant: Quænam illa PAX ab Angelis nuper prædicata, si jam cædes, exilia immineant nîl tale promeritis? Dei Filius, Herodiano ergo gladio debetur victima? Cetus iste Unigenitum Dei glutiet? Ille, *in cujus manu est cor Regis*, mandat fugam? & fugam in Ægyptum, ut uno hoste liberati, aliis mille inimicis foris objiciamur? Mundi thesaurum exponi latronibus, Virginem barbaris, margaritam porcis? certè ignotis, periculosisque gentibus inferre Puerum, ut Herodes vitetur, aliud non esse, quàm charybdi vitata, ferri in scyllam. Tale hìc nihil dictum, nihil istiusmodi cogitatum. Sciebat fidelissimus Joseph coronam & Pueri, & Matris, & suam ex adversis, & prosperis mira varietate contexi, neque hic HERODIS voluntatem, neque Consiliariorum ejus, neque suam, neque Angeli respiciendam, sed DEI voluntatem, & nutum: *Deus hoc nunciat*, itaque parendum est. Hujus resolutionis lumine, tanquam face præviâ, noctis silentio iter arripiunt, non eos inopia viatici, non salvi conductûs necessitas, non cœli injuriæ quicquam morantur; non in Herodem vox asperior, non in Ministros maledicta audiuntur; supremam Dei voluntatem hæc omnia prævidentem, ac dirigentem tanquam lucernam de Pharo resplendentem sequi decretum est.

S. Joseph providentiæ divinæ paret cæcè.

§. II.

Ne videantur fortuitò evenire pericula, Deus servos suos de iis præmonet.

Grandem istam praxim, & modum victoriæ, & contra tot turbulentas cogitationes, & loquelas medium utilissimum videtur ipse Deus docuisse; quoties enim occasio grandia patiendi servis suis divinitus disponebatur, periculum

prævie denunciabat; ne scilicet, in fortunarum jacturis, morte, exiliis, Reipub. ruinis intuerentur instrumenta, quorum vel consiliis, vel manibus arderet Patria, jugularentur Cives, Uxores, liberique in servitutem abducerentur: sed assuescerent levare cogitationem ad summum mundi directorem hæc omnia ad fines sibi notos sanctissimè ordinantem, & talibus hìc & nunc mediis uti volentem. Poterátne quicquam calamitosius accidere Abrahamo, quàm illum ipsum constitutum esse celeberrimarum gentium Patrem, & nobilissimæ Domûs (de qua DEUS ipse nasciturus erat) Fundatorem: & tamen audire gravissimum cœleste Senatûs-consultum, quô edicebantur cædes, & vincula, quæ tot lectissimarum prolium miserandis
Gen. 15. cervicibus imminerent: *Scito prænoscens, quia peregrinum erit semen tuum*, & subigent, & subjicient illud *400. annis Ægyptij.* Ad inopinatam hanc Dei denunciationem, facundissimus alioquin Abrahamus, Deóque familiariter colloqui assuetus, nec causam quærit, quamobrem id statuisset Deus, non de Pharaonis crudelitate, aut Ministrorum, qui præfuturi erant operibus, avaritia queri; aut cur pessima eorum voluntate sic Deo lubeat uti, & tot sæculis innocentes affligi patiatur? Abrahamo, tanquam firmato in Voluntate Dei hæc omnia permittentis: satis erat, ut ad tot clades taceret, ipsa Dei *prædictio*; jam non dubitabat eam rem occulto Dei consilio ob altissimos fines, & in gloriam gentis Israëliticæ esse institutam ab eo, qui est pientissimus Pater. Sufficiebat pro causa: *Voluntas Dei*, revelata Abrahamo; nequis tot detrimenta accidisse casu, & non magis Divinitus disposita causaretur. Ita prædixit eidem Abrahæ occultissimum suum perdendæ
Gen. 18. Pentapoleos consilium: *Num celare possum Abraham?* & revelavit excidium Civitatum, sine dubio justissimè. Et si ita, quæ erat necessitas revelandi Abrahamo? scelus est notum, quid timet Deus? Publica peccata publicè punienda sunt. *Prædixit tamen hoc ipsum Deus Abrahæ* (verba sunt Joachimi Abb.) *NE*
L. 1. Concord. Vet. & Nov. Test. *QUIS FORTE ACCIDISSE CASU, & non magis divinitus causaretur; quasi respiciat Deus de cœlo super filios hominum, & videat, si est intelligens, & requirens Deum.* Premamus verbum: *Ne quis fortè accidisse casu* putaret. Sine dubio siquis persuadeat sibi casu hæc & similia fieri, accusabit elementa, maledicta evomet, & nullum aliud habebit solatium; at qui fide credit etiam brutis Elementis, nec secùs impiissimis hominum voluntatibus uti Deum ad fines sibi notos; æquiùs malum perferet, dum supremæ omnium voluntatum Voluntati suam immutabiliter conformabit. Quale, quantúmque gaudium, velle cum Deo idem?

Ut & in his, quorũ non præmonentur, discerent consilia Dei adorare.

Ideo hæc revelantur servis Dei, ut etiam in iis casibus, & eventibus, qui non revelantur; sciamus, altissimo Dei judicio eos quoque disponi, neque voluntates quantumcunque metuendas ultra pergere vel in crudelitate, vel in suis intentionibus, quàm Deus permittat, utique semper cum fœnore redditurus & justorum patientiæ coronas, & debita peccatoribus supplicia non dilaturus. Prodigium patientiæ in honore, in substantia, in sanctitate erat JOB. De nulla calamitate seu fortunis amplissimis, seu amabilissimis prolibus impendente, præmonitus fuit: judiciis Dei, tanquam fluctibus maris repentè obrutus, atque involutus, sicubi, hic certè fidem heroicam in Deum luculentè ostendit, & paratum ejus pectus reperit visitatio; tot enim sese invicem excipientibus concatenatorum damnorum nunciis, illo die mendicus è Principe factus, aliud non reposuit, quàm factum sibi esse, quod cœlesti Imperatori placuisset. *Dominus*
Job. 1. *dedit, Dominus abstulit, sit nomen Domini benedictum.* Illud primum, quòd *DOMINUS DEDERIT:* credimus omnes rectè factum, & dictum esse, non obstante, quòd & in hoc multi vacillent, &: *Multi dicunt, quis ostendit nobis bo-*
Psal. 4. *na?* quasi nostro ingenio, & arcu, & non auxiliante Deo habeamus id, quod accepimus. Ad secundam partem, quòd nimirum idem Deus, qui contulit, *abstulit*, ægerrimè inducimus animum ad credendum; manibus enim pene ipsis palpamus judiciorum perversitatem, quibus Bona abjudicantur Majoribus nostris à Deo data; oculis cernimus Harpyias, & hostes per summum scelus grassantes in viscera pauperum; quomodo tamen
S. August. *Dominus accepit?* Bene observat S. Augustinus: utrámque partem rectè à Jobo
S. Job, *Dominum abstulisse* dicit: ne gloriam Diabolo daret poni: *Non ait Job*, inquit S. Pater, *DOMINUS DEDIT, SED DIABOLUS abstulit:* sed idem, qui dedit, abstulit. Quodsi recensemus instrumenta, & media per quæ, & eorum voluntates videamus, erit ibi voluntas Diaboli per-

li perſonaliter percuſſoris, erit voluntas Chaldæorum, qui gregum abactores; erunt venti, palatiorum ſubverſores. Quid ad hæc Jobus? *DOMINUS abſtulit. Sicut DOMINO placuit.* Non ſicut Diabolo, non ſicut Chaldæis: nihil conjuratorum ſtudia, nihil aura, nihil ignes, nihil uxor inſenſata potuiſſent efficere, niſi Supremo Deo permittente; ad hanc ſe cynoſuram dirigit Job, ad hujus tribunal appellat. *DOMINUS.* Ne (inquit) *gloriam Diabolo daret, aut hoſtibus ſuis, SED DEO.* Erubeſcat Tortor, erubeſcant Satrapæ, quibus Deus, tanquam carnificibus utitur! novit Supremus mundi arbiter & militibus ſuis coronam, & tortoribus decernere gehennam. Hoc erat ultimum Jobo fulcrum, hoc Palladium: *Voluntas Dei*, ſive revelata, ſive non. *Omnis mea voluntas ſit.*

Viegas.

Quomodo contra iſtã veritatem nos excuſemus?

Itaque ſive revelet Deus à ſua voluntate ea omnia fieri, ſive non; ſi ſemel pro ſemper ſtabiles in hoc fundamento maneamus, nimirum Supremo Dei nutu omniã dirigi in fines ſuæ æternæ Providentiæ congruos, tum demum à corde, ab ore Chriſtiano relegabuntur cautelæ omnes *ad excuſandas excuſationes in peccatis.* Et quænam illæ? Hominum voluntates, intentiones. Deum, ſicut pura mente colimus, ſic confitemur eſſe eum, quo nihil majus, nihil melius cogitari poſſit. Sed homines ſunt peſſimi. Voluntas illa, quæ mihi tot objicit obſtacula, tot moras, eſt peccaminoſa; fierine poteſt, ut illâ Deus utatur, & provocet me ad iram, blaſphemias, maledicta? utrúmque eſt veriſſimum, & quòd perverſis hominum voluntatibus utatur Deus; & quòd perverſæ aliorum voluntates in nobis pariter perverſas cauſent affectiones. Sed *imò* Reſpondeo: Aliud eſt arte Providentiæ nôſſe perverſis etiam voluntatibus bene uti; aliud, authorem fieri alicui voluntatis perverſæ, hoc ultimum repugnat ſummo bono; primô nihil uſitatius, nihil celebrius. Quis, poſt natos homines, Pharaonem ſuperavit crudelitate? Tyrannos avaritiâ? Joſephi germanos invidentiâ? Herodem, Caypham parricidali conſilio perdendi Chriſtum? Quis autem iſtis ad tot parricidalia facinora author extitit? Deus? non; *Deo* quippe *odio eſt impius, & impietas ejus;* poſtea verò, quàm voluntas aliqua conculcatâ juſtitiâ, ſpretis humanis, Diviniſque legibus ſponte pervertitur potente, ſed non volente impedire Deo; eſt Divinæ ſapientiæ, ac Providentiæ ars celeberrima, de impiorum conatibus gloriæ ſuæ triumphum inſtruere, & in exitus vertere lætiſſimos atque optatiſſimos mala tam funeſta. Peccat Pharao, peccat Aula, peccant Præpoſiti, & in cœlum clamant manifeſtæ iniquitates; & ecce! peccatis eorum eruditur Iſraël, aſſiduis pulſatur cœlum gemitibus, & precibus; petitur liberator, & datur; prodigia multiplicantur, Dei dextera innoteſcit terris, traducitur medio mari ſicco populus veſtigio, quadrigæ Regales, arma, hoſtes fluctibus ſepulti Divinitati triumphum admirabilem inſtruxerunt. Undecim Patriarchæ in fratrem natu minorem parricidale ineunt conſilium, Deo permittente, ut venderetur barbaris, atque omnia ea media, exilium, carcer, ſervitus (quis crederet?) fierent gradus ad palatium, via ad Regnum, authoramentum ſecuturæ Dignitatis. *Vos* (dicebat Fratribus Joſephus, jam è ſervo Imperator) *Vos cogitâſtis de me malum, & DEUS vertit illud in bonum.* Ita ſanè furat Herodes, turbetur Urbs, fulgeant gladii ad Bethlehem, fugiat bonus JESUS; ad eandem Ægyptum redibit cum gloria: *Defuncti ſunt, qui quærebant animam Pueri. Periit memoria eorum cum ſonitu;* Vivit JESUS, Ægyptus ſanctificata, exercitus beatorum Innocentium coronatus, Chriſti famam Romanis invexit Capitoliis. En, quod ſceleratâ conſcientiâ moliebantur impii, id Deus altiſſimo judicio vertit in bonum, & bonum adeo illuſtre ad famam Chriſti, ad demolienda Idola, ad Innocentes coronandos, ut culpam tot bonorum matrem, pene beatam prædicare liceat: *O felix culpa, quæ talem meruit habere Redemptorem!* Iſti exitus rerum lætiſſimi fierent quotidiani pene, ſi tot inter adverſa, Voluntate Dei ex ipſis etiam malis bona tam illuſtria eruente, vellemus ubique dirigi, ſimpliciter totos nos in ſinum amabiliſſimum ejus providentiæ conjiciendo, quoniam cura ei eſt de nobis; nam etſi creaturis concedat, ut lædere aliquem poſſint, & Diabolo, ut noceat, quid tum? *Novit ipſa vulnera vertere in remedia*, vertere in gloriam ſuam, & ſalutem tuam. Ter infelices! qui omiſſo feriente, qui Deus eſt, currimus ad lapidem, ut mordeamus; cedimus inimicorum voluntati, & nullum de damnis noſtris emolumentum reportamus,

Dieſt: ex ipſis impiorum conatibus triumphũ ſervis ſuis inſtruere.

Gen. 50.

Quod fæpius fieret, ſi moderatiùs adverſa ferremus.

tamus, nullum solatium habemus dum tam utilia virtutis instrumenta in nostra vertimus venena. In afflictionibus patientia dat gloriam Deo, quæ fuit gloria tota Jobi: *Dominus abstulit!* quia gloriam, quam Diabolus sibi mercari voluit, unicè Divinæ voluntati attribuit. Et quare vis solatium ministrare inimicis, qui te affligunt, & non magis dare Deo gloriam, qui te affligendo lucrum tuum intendit?

§. III.

Quomodo Christus oravit, voluntatem Patris fieri, ut occidatur?

Christus solatium hoc dedit æterno Patri, cujus voluntas fuit ut moreretur; non Herodi, non Cayphæ, non Diabolo, nisi ad tempus, ut haberent gloriam ex interitu Christi. *Adstiterunt Reges terræ &c. Convenerunt enim verè in Civitate ista adversùs sanctum puerum tuum JESUM, quem unxisti, HERODES, ET PONTIUS PILATUS, cum Gentibus, & populis Israël, facere, quæ manus tua, & consilium tuum DECREVERUNT FIERI.* Quantæ voluntates ad mortem Christi? Universus mundus, cœlum totum, omnes Diaboli, Angeli omnes conspirant in unius necem, & clamant: MORIATUR! Deus Pater dicit, *Moriatur.* Sacerdotum Princeps, *Crucifigatur.* Pilatus tradit voluntati eorum, & concludit; *Crucifigatur.* In tanta congerie voluntatum, contra omnium voluntates videtur Christus agere ex una parte: ex alia videtur consentire omnium voluntati. Audiamus orationem in tribulatione positi Magni Dei, & Salvatoris nostri: *Pater, si possibile est, transfer hunc calicem à me. Verumtamen non mea, sed tua fiat voluntas.* Primum, quod hic obstupesco, est: Cùm omnia hæc sanguinaria consilia, & voluntates omnium Inimicorum Christi convenerint in voluntatem Dei Patris, & Angelorum; tamen hoc ipsum ait, ut fiat. Ergóne petebat Christus nefariam tot impiorum crudelitatem adimpleri, quid autem cogitari sceleratiùs potuit, quàm ut author vitæ occidatur? accusetur à Pontificibus Innocentia? per Discipulum comitem Christi auro corruptum tradatur Magister, & cum auro in gehennam migret traditor? Ah Domine JESU, noli, noli sic orare! si enim tu moreris, illi damnantur, & infernus impletur. Aliud est, voluntatem Dei Patris in Agno compleri, aliud arbitrium hostium Christi. Patris voluntas procedebat ex suppositione Redemptionis humanæ, & ex suppositione voluntatis impiorum de Christo perdendo: sic petere voluntatem Dei Patris, non peccatum est, sed charitatis mysterium. Ut lapidem conflent in Christum tot serpentes, erat gravissimum peccatum, quod non petivit *Agnus, qui tollit peccatum mundi;* verum ex suppositione factæ determinationis ad tot peccata in cœlum clamantia, petere, ut fiat voluntas illa omnium: fuit summa in Christo perfectio. Ita scrutator renum & cordium Dominus videns alienatum à se Discipuli animum dixit: *Quod facis, fac citiùs,* hoc est: Scio intentionem tuam, novi consilia, quid agas, quid moliaris; & ut videas, quia voluntatem, quam habes absolutam me tradendi, tuam non pertimescam, quod vis facere, fac citiùs, ut moriar. Eidem cum meridiano jubare evidentiùs constaret de omnium voluntatibus, eas nil metuens, suprema Dei Patris voluntate permittente tot gravissima scelera, dixit: *Non mea, sed tua voluntas fiat!* Videte hic Christiani, quàm solidum, & perenne in voluntate Dei seu imperante, seu se permissivè habente, solatii argumentum.

Matth. 26.

Joan. 13.

§. IV.

Cur Christus orando non meminit tot aliarum voluntatum: sed solius Patris?

Secundum, ex hac resignatione admiror: Cum tot, ac tantæ voluntates in perniciem Christi conspiraverint, quid est, quòd nullius meminerit Christus, nisi Divinæ solius: *Fiat voluntas tua?* Et non Cayphæ, non Annæ, non Pilati, non Judæ. Ratio est: quia omnes istæ voluntates non erant alicujus ponderis, & considerationis, nisi in quantum à suprema Patris æterni voluntate dirigerentur ad fines maximos redimendi generis humani. Sit Judæ voluntas, ut tradar; sit Diaboli voluntas, ut conspuar; sit Pilati, sit Cayphæ, ut crucifigar; Tua sit, ô Pater! voluntas, ut redimatur mundus. Moriar ego, Vivat Ecclesia, vivat altera Eva, de latere meo excitanda! Tali voluntate firmata Christi anima jam lætior ibat ad mortem, & tormenta ab ipsis inimicis, inferenda; postquam suprema Dei voluntas hanc mortem ad altissimos gloriæ suæ, nostræque salutis fines ordinâsset. Et nostra hodie patientia ideo vacillat, & tantò fit ægrior, quantò inferiores hominum voluntates nobis adversantes pensamus,

& nova

& nova quotidie inimicorum nomina in Catalogum inſerimus, non ut pro iis oremus, quod deceret Chriſtianos; ſed ut injuriarum renovantes memoriam, in eos contumeliarum, & maledictorum lapides jaciamus, per quos ſtetit, quòd vel honorem, & bona ſperata conſecuti non ſimus, vel jam habitis, ac poſſeſſis exciderimus, quæ *Dominus dedit*, ſed *Diaboli abſtulerunt*, alienæ felicitatis invidi, quibus nunquam niſi ex aliorum ruinis creſcere, & per calcatos proximos aſcendere, dum licet, libet.

Judicate nunc Chriſtiani, utrum voluntati hominum, & Diabolorum cedere velitis potiùs, quàm ſanctiſſimæ, ac tot titulis digniſſimæ DEI Voluntati cum reverentia parére. Nolite quæſo! nolite date *Diabolo hanc gloriam*, Inimicis veſtris hoc ſolatium, quod illis triumphi locô futurum eſt, ſi animadvertant conſiliorum ſuorum felices ſucceſſus, corúmque poteſtatis eſſe, vos quoties libuerit, facere infelices. *Mihi non loqueris?* (attendite ſuperbi Judicis verba) *neſcis quia poteſtatem habeo* te dimittere, & te crucifigere? Adorari volunt, ne noceant, qui tuam pacem, & fortunam in manibus portant. Et tu iſtis genua curvabis? Tu iſta Idola adorabis? Tu his Statuis aureis proſperos, aut adverſos rerum tuarum eventus debebis? Non ita; tametſi enim eò ſuperbiæ, ac dementiæ interdum deveniat mundus, ut omnia pro libidine vertat ſurſum deorſum, Divina, humana jura pernicendo; tu tamen arrogatæ hujus eminentiæ gloriam nega illi, & dic: *Non haberes in me poteſtatem, niſi tibi datum eſſet deſuper.* Sic Chriſtus in gravíſſimo mortis negotio, voluntatem non hominum, niſi quantum à cœleſti dirigebatur conſilio, attendens, loquebatur: Cur tu Chriſtiane, in levioribus non idem ſentias, & facias? Ecquid ab hominum pendes arbitriis? Nihil illi, nihil omnes Diaboli, nihil elementa in te aut audent, aut poſſunt, niſi ad menſuram datæ *deſuper* poteſtatis. Igitur illi ſoli reddenda gloria, illi honor, illi gratiæ referendæ in omni tempore, id eſt, in proſperis, & adverſis, ut idiomate Sanctorum, Nomini illius adſcribantur omnia, quæ non ſunt peccatum: *Dominus dedit, Dominus abſtulit, ſicut Domino placuit.* Chriſtiano, qui adverſantes multorum voluntates, multorum odia patitur, & impetus, faciendum denique id, quod inter pugnantes aliquando Perſas, & Græcos accidit, ut dum Perſæ quaſi certi de futura victoria dicerent: *Cras multitudine ſagittarum tollimus lumen ſolis, ſic pugnabimus.* Optimè, reponunt Græci: Igitur *cras ſub umbra veſtrarum ſagittarum pugnabimus nos, & triumphabimus.* Falſæ informationes, contumeliæ, deſpectus, injuriæ illatæ innocentibus, ſint, ſint per me *ſagittæ!* quæ tametſi undique multiplicentur, ne timeas! pugnabis *ſub umbra* earum, & vinces, ſi in omnibus ſupremæ ac dominatrici Dei voluntati te committas; illa faciet, ut vel prava inimicorum conſilia effectu ſuo fruſtrentur, vel certè optimum in finem deducantur. *Hæc eſt Victoria, quæ vincit mundum*, & Diabolum, *Fides noſtra*, in te repoſita Deus Optime Maximè!

Ne in adverſis demus gloriam Diabolo.

Tibi laus, & gloria.

AMEN.

IN EADEM DOMINICA
SERMO II.

Audiens autem, quòd Archelaus regnaret in Judæa, pro Herode Patre ſuo: timuit illò ire. Matth. 2.

SUMMARIUM.

Peccata Parentum transfundi in filios.

I. *Naturâ, & origine.*
II. *Conſuetudine loci, ac patriæ.*
III. *Societate, & imitatione.*
IV. *Generatione à ſceleſtis parentibus.*
V. *Maledictione Parentum.*
VI. *Exemplis peſſimis.*

GUbernium volubiliſſimi mundi, & nunquam in eodem ſtatu permanentis conſtitutionem, Ipſa globi ſimilitudine, naturali volubilitate ſatis expreſſit

preſſit Deus; ſed & actionibus hominum qui mundum rotant, hanc inconſtantiam humanam in Filio ſuo expreſſit abundantiſſimè. Unus Herodes, quàm inconſtantem habuerit Filius Dei vitam in mundo, oſtendit. Illo vivente Vita Chriſti non fuit tuta, ſed fugere compellebatur in Ægyptum, Leo ſcilicet de tribu Juda, ante Vermiculum terræ: *Accipe Puerum, & Matrem ejus, & fuge in Ægyptum*, quærit enim animam ejus. Moritur Herodes, reſurgit Vita Chriſti, & jubetur redire in terram Juda; ecce novam mutationem, & quidem ab uno momento mortis! *Defuncti*
Matth. 2. *ſunt qui quærebant animam pueri.* Jam nullus ſupereſt hoſtis, nullus inimicus. Et ecce ubi audit Joſephus: *Archelaum* regnare pro Patre ſuo, admonitus in ſomno ne rediret eò: *timuit illò ire.* Nova hæc mutatio reddidit perplexum Chriſti reditum, ita ut divertere cogeretur in Galilæam, per Judæam.

Si vera eſt propoſitio Angeli dicentis, *Defuncti ſunt, qui quærebant animam Pueri;* quid metuat Joſeph *Archelaum*, cum de illo nihil ſit ſcriptum in Prophetis, quòd animam quæſiturus eſſet pueri, quid ergo *timeat illò ire?* Si enim *defuncti ſunt, qui quærebant animam Pueri*, Archelaus cum non ſit mortuus, ſignum evidens eſt, cum non quærere *animam Pueri*, vel certè falsè dici ab Angelo: *Defuncti;* ut proinde nullam habuerit cauſam timendi Joſeph, vel divertendi, & tamen argumentum diverſionis eſt: *Archelaus vivit*, ergo cautè procedendum, & prorſus non adeunda Judæa. Bene animadvertit Evangeliſta, quis fuit Archelaus? Filius Herodis; pro Patre ſuo regnavit. Defunctus licèt ſit Herodes, vivente tamen *Archelao*, vivit Herodes! non redeat eò Joſeph, & Chriſtus, quia Filius Herodis vivit! Hæc eſt ſolutio: Idem enim facturus erat Archelaus, quod feciſſet Herodes, hoc eſt, occideret Chriſtum: mutatum eſt nomen, non periculum. *Archelaus* Succeſſor eſt Regni, & crudelitatis: ergo metuat Joſephus! Sed quæri poteſt, hæc transfuſio peſſimæ voluntatis Herodianæ qua ratione fieri poterat in Filium, & an hoc univerſaliter dici poſſit, & unde?

Hodie hoc tractabo: ex quo inferre conabor; Parentes ſic ſe gerant coram filiis ſuis, ne vitia ſua in poſteros transmittant, & graviſſimè à Deo puniantur in ſuis prolibus.

§. I.

Vivente Archelao Herodes non erat mortuus: cujus vitia in Filio florebant.

Priusquam probemus, & demus rationem, cur & quomodo peccata Parentum transfundantur in poſteros: debemus nôſſe, qualénam peccatum fuerit illud Herodis, ob quod *noluit Joſeph illò redire;* hæc tota ſuma rei erat: Voluntas tollendi è vivis filium DEI, quem putabat ſe velle regno inferre, Herodémque expellere. Hanc intentionem aptè deſcribit Angelus: *Quærit animam Pueri*, hoc eſt vult illum occidere (quod probatur ex illo facto occiſionis Innocentium) quem quia prædixerant Scribæ, & Legis Doctores naſciturum in Bethlehem Judæ, & inter tot centenos eo tempore natos ignotum erat, quisnam eſſet? clara erat intentio Herodis idem intendiſſe cum Chriſto, quod fecit cum aliis. Itaque Herodes hoc modo agendi fecit, quod canes faciunt, qui ſi non poſſunt mordere illos, quos allatrant, ipſum lapidem, quò petuntur mordent: Sic Herodes ſubductum divinâ providentiâ Puerum, cùm occidere nequiit, occidit Innocentes. Iſtud fuit peccatum & intentio Herodis, ob quæ fugâ in Ægyptum conſulendum erat vitæ Chriſti. Mors Herodis finem poſuit huic intentioni, ſtatim cogitatum eſt de reditu. Quare? quia ceſſante cauſâ fugæ, ceſſat finis peregrinationis, & exilii; non ſecùs ac dum propter hoſtilitates in Patria, migrare ſolent regnicolæ in alias regiones: ubi ceſſant hoſtilitates, fit reditus in Patriam. Mortuo Herode monetur Joſeph ut redeat, bene eſt, quia ſublata eſt cauſa; verùm quia impeditur reditus per viam ordinariam, & allegatur cauſa quia filius Herodis regnaret pro ſuo Patre, reditu impedito per *Archelaum* tantundem erat, ac ſi Herodes non fuiſſet mortuus, & quèmadmodum vivente illo nec cogitatum erat de revocando Chriſto, ita nec cogitandum erat vivente Archelao. Eædem enim cauſæ ſtabant, & obſtabant ne redeat. Itaque debebant ſupponi omnes cauſæ in illo, quæ in Parente erant. Evidens eſt itaque, *in filio Herodis Archelao* erat intentio Parentis, quâ Chriſtum volebat interficere, erat ipſiſſima intentio occidendi in Sacerdotibus, denique erat promptitudo in Civitate, ut concitaretur in perniciem Chriſti. Durantium adhucdum cauſarum iſtarum, quænam ratio? Mandatum ab Herode nullum fuit tale,

Simile.

ſit tale, quò filio teſtamentaliter impoſuiſſet, ut occidat Chriſtum, quemadmodum David Teſtamentaliter dedit præceptum Salamoni, ut occidat Semei. Cauſa nulla acceſſit ex parte Chriſti, neque enim ſe tunc aliter geſſit Chriſtus, quàm olim, quid ergo timet Joſeph de cæde futura, demortuo Herode?

Unicam cauſam allegat Scriptura: quia *Archelaus regnat pro Patre ſuo Herode.* Nulla hìc opus ratione; hoc ipſo enim quòd filius regnat, parata eſt cædes Chriſto, parati omnes inimici, & ſicut ignis occultus ſub cineribus, auditâ famâ reditûs Chriſti omnia ardebunt, Luctus iterum indicetur Matribus. Quaſi totus Herodes virulentiam ſuam, & impias cogitationes transfudiſſet in Archelaum. Tanta vis mali eſt in Parentibus, ut quidquid filii vidiſſent, vel audiviſſent de Parentibus, id ſacro-ſanctum ſit, & Imitationi propoſitum. Tantum denique eſt ſceleſtum Parentem mori, ac ſi non fuiſſet mortuus, quandoquidem ſcelera illius viverent in filio; etſi metuendus eſſet vivens, etiam cineres metuendi eſſent, ſub quibus demortuis reviviſceret iracundiæ flamma in Filio, & odium contra Chriſtum in Archelao, quia Filius illius regnaret pro Patre ſuo. Quod aliò non reducitur, neque reduci poteſt, quàm voluntatem Parentum, morésque ita transfundi poſſe in Filios, ut filii quaſi moraliter neceſſitentur ad id, quod erant Parentes, atque adeò voluntas Filiorum eſt voluntas Parentum, & voluntates Parentum ſint voluntates Filiorum ſine omni mandato, & Teſtamento, ſolum hoc factô: Iſte talis & talis eſt Parens & fuit talis, ergo & Filii omnes ſunt tales: *Quemadmodum Patres veſtri, ita & vos*, inquit Chriſtus de perverſiſſimis Filiis Judæorum, ſed unde hoc?

§. II.

Sine omni Teſtamento, voluntates Patrum transfundi in filios: imò *Naturâ, & Origine.*

Primò quidem Veritas hæc illucefcit in ſublimiſſimo DEI facto, & Decreto DEI in prima hominis creatione. Adamum DEUS creavit caput totius generis humani cum hoc Decreto: Ecce Adam tu eris caput generis humani, & parens omnium à te naſciturorum, ita ut quidquid tu feceris, ſive boni, ſive mali, totum id attribuetur tibi, & poſteris. Præcipio tibi, ne comedas ex hac arbore; ſi non comederis, tua obedientia, & obſervatio præcepti mei imputabitur omnibus poſteris, & nec tu, nec illi patientur ullas moleſtias, non pœnas, non frigus, non tædium vitæ, non mortem; ſi verò transgreſſus fueris præceptum meum, tu & uxor tua, & omnes poſteri puniemini mortis ſententiâ. Quod fuiſſe factum probat S. Paulus. *Per unum hominem conſtituti ſunt peccatores multi*, & conſequentia addita: *Per unum hominem intravit peccatum in mundum, & per peccatum mors.* Et ſic Deus transfudit voluntatem Adami in omnium voluntates poſterorum, & omnium poſterorum voluntates in voluntatem Adami: ex quo ſequitur de omnibus deſcendentibus ab Adam (excepta DEI Matre, cujus voluntatem non transfudit in Adami voluntatem) et iſte eſt peccator, & iſte in peccato conceptus eſt, & hunc concepit mater in peccato, & quam cauſam allegas? nullam aliam, quàm hanc: *Filius Adam ſum:* Ille peccavit, & ego peccator ſum, quia Filius ſum, & quemadmodum impoſſibile eſt hoc etiam per DEI potentiam, ut Adam, qui peccavit, non peccaverit, ita impoſſibile eſt quoad nos, ut non vocemur peccatores, quia Filii ſumus Adami: & *à capite piſcis fœtet.* Hæc intelligendo de peccato originali, quod nobis non eſt liberum, ſed hôc ipſô momentô, quô concipimur, dicimur *peccatores*, & hoſtes DEI. Quia parens peccavit, ergo & nos.

Rom. 5. 19.

Pſal. 50.

Sed advertendum eſt: nihil hac in re culpandum eſſe DEUM, quòd voluntates omnium noſtrûm tranſtulerit in voluntatem Adami; neque enim ideò transfundit ut peccet, ſed ut non peccet dedit præceptum, quô peccatô non admiſsô æquè originalem juſtitiam percepiſſemus, quod erat ſummæ benevolentiæ argumentum. Sicut ſi aliquis Rex ingentia volens dona conferre, & dignitates diceret: Ecce confero has dignitates, & bona non tantùm tibi, ſed toti familiæ tuæ; ſpondeas ergo pro omnibus tuis poſteris fidelitatem; ſi verò non fueris nobis fidelis, DEUS, & Ego te puniemus, & poſteros tuos. Si hanc conditionem acceptans evadat infidelis, nonne & de illis dicitur meritò: *Mali corvi, mala ova* meritò puniuntur? Peccavit ne Rex hanc conditionem faciendo? certè non. Ita Deus factâ hac infuſione voluntatum omnium in voluntatem Adami, nihil peccavit, cum liberum

Simile.

rum erat illi peccare, vel non peccare, præmiari, vel puniri. Sub hac ratione nec *Archelaus*, quia fuit filius peſſimi *Herodis*, metuendus erat, ſed neque ullus alius cujuscunque ſit peſſimi Parentis filius, poteſt dici malus: cum enim malitia parentis, aut Matris ad malitiam non poteſt cogere, liberè ſi conſentit Filius Parenti, Filii culpa eſt, & Parentum nequitia illorum non minuet pœnas ſeu temporales, ſeu æternas.

§. III.

Secundò. *Ipſa neceſſitudine loci, & Patriæ.*

Transfunduntur peccata Parentum & aliorum in alios etiam Patriâ: ita ut in hac, vel illa patria eſſe, idem ſit ac certiſſimè hujus Patriæ humores, & peccata in omnes tranſiviſſe. S. Paulus hoc *ad Titum 1.* dicit: *Cretenſes ſemper mendaces, malæ beſtiæ, ventres pigri*, Teſtimonium hoc verum eſt. De Græcis Adagium eſt: *Græca mercatur fide*, hoc eſt, mendax eſt. De Chriſto pariter dicitur ubi patriam illius conſiderabant, unde eſſet? ubi auditum eſt, eum à Nazareth oriundum, intulerunt mox mira: Joan. 1. *A Nazareth poteſt aliquid boni eſſe?* Quaſi miraculô reputatum eſt, prouti erat, JEſum tam Sanctum fuiſſe ex Nazareth, cum omnes alii eſſent nequiſſimi; & ecce alia cauſa non datur, quàm *Nazareth*; tam infelix clima fuit Nazarethanum, tam infelix Patria *Creta*, ut omnes mendaces fierent, quicunque ibi locum, & ſedem fixiſſent. Dicamus ergo *Archelao* quia timebatur ob crudelitatem, Patriam Judæam fuiſſe in cauſa. Sed neque hoc dici poteſt, quid enim patria ſub hac, vel illa cæli conſtellatione poſita, liberam hominum voluntatem poteſt cogere ad ſcelera, ad crudelitates? dicunt quidem quamlibet terram, ac patriam ſpecialibus vitiis addictam, imò de quolibet mortalium: *quiſque ſuos patitur manes:* Non ergo à Patria fuit hic metus, & timor. Non intermittam hic referre de violentia veluti conditionis Patriæ, quæ qualis qualis fuerit, eandem poſſit S. Auguſt. in Pſal. 64. qualitatem ſuis incolis affricare: *Si poſſem explicare quod ſentio, adjuvet me intentio charitatis veſtræ. Omnis homo ubicunque naſcitur, ipſius terræ, & regionis, vel civitatis linguas diſcit, illius imbuitur moribus, & Vitâ. Quid faceret puer natus inter paganos, ut non coleret lapidem, quando illum cultum inſinuant parentes, inde prima verba audivit, illum errorem cum lacte ſuxit, & quia ibi qui loquebantur majores erant, & ille qui loqui diſcebat, infans erat; unde poterat parvulus, niſi majorum authoritatem ſequi, & ſibi bonum ducere quod illi laudabant?* Ex quo manifeſtè apparet, nec civitatem Cretenſem feciſſe homines mendaces, nec Nazareth, quòd nihil boni poſſit inde emanare, nec ullam omninò terræ ſituationem, ſed hominès id facere. Non ergo terra Judæa, neque ſitus loci effecit Archelaum ut timeretur: ſed quia erat inter homines, qui vixerant tempore Herodis, quem ſciebant inſidiatum fuiſſe Chriſto, & hôc ipſo facilè in eandem ſententiam attraxiſſent Filium, cujus Parentem probè noverant fuiſſe Tyrannum, & crudeliſſimum Chriſti perſecutorem; hoc pariter fuit argumentum Joſephi, ne, illò iret, ubi jam regnare cognoverat Archelaum, regnare exemplo ſcilicet Parentis.

§. IV.

Tertiò. *Societate, & imitatione morum.*

Sed hoc ipſum eſt in quæſtione: Cur ita parentum ſceleſtorum Exempla moveant ad ſimiliter faciendum Filios, cum filii etſi nati ſint à ſceleſtiſſimis, attamen quia habent libertatem, ad faciendum, vel non faciendum, tamen quaſi victi ſequi ſuorum compelluntur facta parentum? In communi accipite quid S. David dicat: *Cum Sancto Sanctus eris, cum innocente innocens eris, cum perverſo perverteris*, multò magis ſi & familiaritate, & amore, & obligatione conjunctiſſimus fueris cum aliquo prouti Filii ſunt cum Parentibus; nam quoad modum in natura, & quoad humores, conjungitur unumquodque ſibi ſimili, ita certè quaſi naturaliter etiam in moralibus, & vitiis pronum eſt filios ſequi ſuos parentes, & non quomodocunque hoc, ſed ſicut naturale eſt amare, ita naturaliſſimum ut vitia illorum ſectentur. Quod plus eſt, plus curant Filii peccata ſuorum Parentum ſequi, & exempla licet ſceleſta, quàm DEI præcepta. Quod ſic probat S. David: *Attendite populo meus legem meam, inclinate aurem veſtram in verba oris mei, aperiam in parabolis os meum, loquar propoſitiones ab initio.* Magna res ſit oportet, ad quam exordio auditores ſuos hortatur, ut audiant: & quid tandem infert? *Ne fiant ſicut Patres eorum, generatio prava, & exaſperans.* Alibi iterum allegat S. David, quanta feciſ-

Pſal. 77.

Ibid.

ſent

sent contra DEum Patres eorum, ubi scilicet tentaverunt eum in deserto, ubi & gravissimè sunt puniti; quem locum S. Augustinus premit illis verbis: *Sicut Patres Christi, ut non sint sicut PP. eorum, qui induraverunt corda sua.* Sed quæramus, cur hortetur illos Psalmista, *ut non sint sicut PP. eorum*, qui jam dudum erant mortui, & filii quomodo possunt non esse, qui de illis nati sunt? Ratio hujus est. Parentes enim illorum erant refractarii Deo, & quia Parentum vitia transeunt in filios, vult efficere, ut nec memoria sit parentum, quorum quasi in speculo repræsentata peccata facerent & ipsos peccare, quemadmodum & illi peccaverunt. Verum enimverò numquid efficacius potuisset illis proponere ad avertenda peccata in filiis, si legem DEI attulisset, quia DEUS prohibet; numquid & illa Prodigia, quæ DEUS fecit cum Patribus eorum, numquid & beneficia; quibus omnibus propositis orare potuisset ad studium innocentiæ? unicum adducit: *Ne sint sicut patres eorum*, putà obdurati. Peccatum enim filiorum per generationem, & ad exemplum parentum factum, non simpliciter est peccatum, sed *induratum* peccatum, scilicet ob authoritatem à parentibus acceptam. Isti Filii, quos alloquitur S. David, quot millibus annorum distabant à suis progenitoribus, & tamen hortatur illos ne sint Imitatores Parentum suorum. Ergo *tamdiu* protracta generatio poterat durare in Filiis? sic est: Sed & ipsa Parentum peccata, per tot sæcula tracta, adhuc vigere poterant in Filiis, & in posteris.

S. Augus.

§. V.

Quartò. *Generatione à scelestis parentibus.*

Causam si quærimus hujus rei: Prima est: Generatio à scelestis, signum est earundem imperfectionum, ita ut rectè argumentari potuerit Joseph: Archelaus est Filius Herodis, ergo habebit voluntatem occidendi Christum. probemus consequentiam: Christus sic argumentatur à Parentibus perversissimis Judæorum, tempore Christi existentium, Filii estis eorum, qui Prophetas occiderunt: Thesis hæc est. & statim subdit: *Et vos implete mensuram Patrum vestrorum.* Hoc est: Parentes vestri occiderunt prophetas, ergo & vos occidite. an rectè subdit Christus: *Serpentes genimina viperarum, quomodo fugietis à gehennæ Judicio?* hoc est: quemadmodum viperæ occidunt matres suas, ita & vestri Parentes occiderunt suos Prophetas, qui veluti matres curabant Parentes eorum; hanc viperinam naturam per generationem à viperis, id est, vestris Parentibus traxistis, & quos ego Prophetas ad vos mittam, & meipsum paullo pòst occidetis. Hæc prouti Christus prædixit, omnia verificata sunt, usque ad unicum punctum, & nec Jota præteriit. Et quemadmodum homicidæ fuerunt Patres eorum à tanta, ac longa generatione, nec illi segniores facti sunt homicidæ, una distinctione superveniente: quòd Parentes illorum Prophetas, isti Prophetarum Dominum occiderunt. Sed unde hæc consequentia?

Matth. 23.

Ibid.

Explicat Christus: Vocat enim eos *genimina viperarum*, quarum natura est occidere matres suas; illi quia sunt viperarum catuli, per naturæ cursum quasi necessitantur ad homicidium: ita generatio à pessimis Parentibus quodammodo cogit homines ad occidendum. Si enim ex mente S. Davidis, Societas cum malis facit hominem malum, quæ major Societas est, quàm Filiorum cum Parentibus? quandoquidem cum natura parentum transit malitia in vitam filiorum. *Non potest arbor mala bonos fructus facere*, inquit Christus: ita neque vos, cùm sitis mali; ultra pergit, *Numquid colligunt ex spinis uvas?* ita neque ab indole vestra boni sunt fructus sperandi. Vitium naturæ est, ut spina spinam producat, & quemadmodum contra naturam est pessimarum arborum, ut bonos fructus ferant, ita contra naturam malorum hominum, quales Judæi, erat ut bona opera ferant. Jam quemadmodum contra naturam esset, si arbor mala, bonos fructus faceret, ita contra naturam malorum parentum bonos Filios generare. Istud fuit argumentum, cur Joseph *Nohuit illò ire*, ubi Archelaus pro Patre regnaret, quemadmodum enim Herodes per ingenitam impietatem quærebat animam pueri, ita per naturam, & generationem habuit Archelaus perimere, si posset Christum. Num rationabiliter? hujus rei experientiam fecit Deus in una Michole: Hæc ubi vidisset Davidem coram arca DEI ex devotione ludentem, irrisit Regem, & quid factum? Sterilitate punitur, sic, ut nullam stirps regia haberet successionem, sed ob quam causam? Divinè Ambrosius: *Illa, quæ saltationem hujusmodi reprehendit, sterilitate damnata non dedis*

2. Reg. 6.

Ambros. Epist. 36.

dedit sobolem Regiam, ne superbos crearet. Verum quoties fuit hæc Micholis irrisio? Semel. ergo semel irridens Davidem religiosè operantem meretur hanc pœnam, ut nunquam pariat filium, aut filiam? quotquot nascituri fuissent ex illa, omnes Irrisores fuissent, præstitit in radice malum extinguere, ne tot SUPERBI nascerentur, quot filii; istud est argumentum S. Ambrosii. Quo sanè exemplo taxantur, & docentur omnes steriles, vel qui maximè optarent proles, id altissimâ DEI providentiâ fieri, ne scelestos habeant successores, & in quo optarent summum habere solatium, in illo subtrahit iis DEUS spem, ne scilicet per generationem multiplicentur peccata. Tanta est vis generationis, quâ in seram generationem iisdem parentum peccatis orbis impletur.

§. VI.

Quintò. *Maledictione Parentum.*

Nova causa transfusionis peccatorum in posteros, est maledictio Parentum. Benedictiones parentum semper sunt, & erant efficacissimæ apud antiquos Prophetas: sic commune erat olim ubi morti vicini erant Patriarchæ, inter singulares affectus benedicere filiis, filiabúsque. Hoc modo discedebant illi ex hac vita. Sed & hoc probè scimus, extitisse parentes, qui suos filios ob scelera illorum, vel in suos admissa Parentes, vel etiam alio crimine degeneres, maledictionibus fulminarent, quæ in seram deinde posteritatem verificabantur. *Maledictio Matris eradicat fundamenta.* Quid maledictiones Parentum efficiant in posteris, præmisit DEUS in Noë, qui ob impietatem illam erga se factam, Filio suo Cham maledixit, & hæc maledictio transivit ad Chanaan nepotem suum, & ab hoc in alios, ita ut nequidem ex gente illa deligendam Isaaco Sponsam permiserit Abrahamus: *Non accipies uxorem Filio meo de Filiabus Chananæorum.* Multæ erant tunc nationes circumquaque, sed Chananæus excipitur, quia *Cham* Maledictus erat à Noë, quid ni & causa, & maledictio transivit in posteros? Ne ergo similiter Isaaci posteritas descendens à Chananæis feriatur maledictione, *Ne accipiat uxorem de Filiabus Chananæorum*, jubetur. Admirandum sanè judicium, quòd necdum natæ filiæ Cham fulminentur maledictione; sed majus judicium est, iniquitatem Patris sic transire posse in posteros, quando illi non peccârunt, cum nec-

Eccl. 3. ℣. 11.

Gen. 24.

dum fuissent. Cavete parentes maledicere prolibus vestris!

Clarissimum est illud quod ait S. David de impiissimis Parentibus: *Immolaverunt Filios suos, & filias suas Dæmoniis & non DEO.* Quale hoc nefas est, id quod DEus in signum beneficentiæ obtulit, offerre Diabolo, & illi consecrare? Jam ex similibus Oblationibus quid boni possit sperari, & quis unquam talem, tantámque crudelitatem possit experiri, in testimonium hoc adduco, quod refertur: A Dæmone obsessum adducit parens ad Christum. Primam quæstionem facit Christus, *Quantum temporis est, ex quo ei accidit? at ille ait: ab infantia.* Quâ ratione poterat à Dæmonio divexari Infantia? causa datur, Patrem scilicet Dæmonibus obtulisse filium. *Interrogatione tali*, inquit, *tempus aperit, ætatem pandit, revolvit infantiam, ut tanti mali causa non tangat sobolem, sed parentem; quia à Deo sibi datum pignus ad Diaboli gratiam, Dæmonum retulit honorem. Replentur parvuli à dæmone, quando à parentibus suis offeruntur Diabolo.* Si similes casus fierent ex altissimis judiciis divinis, & Deus occultè sic castigaret homines, meritò in magnam quæstionem, & admirationem vocari posset, ac deberet; sed ubi ultroneè Parentes hoc accersunt mali, & imprecantur, sanè intolerabile est; quorum si vota, & imprecationes semper exaudiret DEus, quàm multi ex filiis non essent in mundo, quàm infelices utpote Captivi Diaboli. Sed hoc adhuc tolerabilius foret: nam per similes imprecationes parentum, & de generatione ad generationem descendentes pœnas tantum corpus tangitur. Verum ubi cum similibus imprecationibus etiam animæ tanguntur, illud summum & maximum est: Executi sunt hoc ipsum infelices illi parentes, qui Christum interfecerunt, ad summam impietatem suam contestandam hanc sibi imprecati sunt posterisque suis maledictionem: *Sanguis ejus super nos, & super Filios nostros!* Major, & formidolosior imprecatio esse non potest, quàm quod dicitur à Deo per Prophetam: *sanguinem autem*, & animam *ejus à te requiram*, & hoc de homine; quanta, & qualis ergo fuit hæc imprecatio Judæorum in se, & in posteros, ut sanguis Christi, & anima Christi in Parentibus, & Filiis requiratur, & ut luant pro Christi sanguine, rationémque dent tanti parricidii? Fiunt similes

Et quia imprecando offerunt eos Diabolo.

Marc. 9.

S. Chrysol. Serm. 110.

Matth. 27.

Ezech. 3. 18.

miles imprecationes à Parentibus, tum quoad corporalia, tum quoad æterna, ita, ut & coram mundo, & coram Deo fiant exitiales. Ecce parentum scelera quomodo transeant in posteros!

§. VII.

Sextò. *Exemplis pessimis.*

Tertia causa transfusionis, Exemplum malum. Et generationis serie, quâ peccata ducunt originem ad posteritatem; & imprecatione, quâ peccatum de Parentibus traducitur ad filios, filiásque, utroque potentius est Exemplum malum à Parentibus exhibitum Filiis. Jam scimus vim exemplorum: *Verba docent, exempla movent.* & illud: *Longa via per præcepta, brevis per exempla.* & hoc tum in virtutibus, tum in sceleribus sequendis certissimum est, sed certius tamen est de vitiis; cùm enim omnis virtus habeat in se aliquam arduitatem, ad eam amplectendam stimulo opus est; at verò cum Scripturâ teste: *Prona sit natura in malum ab Adolescentia:* si accedat authoramentum in peccatis parentum, & magnorum, nullô stimulô video opus ad peccatum. Quod de Regibus dicitur, Orbem componi *Regis ad Exemplum;* de Parentibus idem dici potest; *Patris ad exemplum* tota series Familiæ, & Filiorum vitiatur ordo. Filii, & filiæ Simiæ sunt parentum suorum, ita ut quod viderint, quod audiverint, Sanctum habeant, idque licitum putent, quod impiè tractari, & dici audiverint à Parentibus suis. Quasi admirans Scriptura ait de Rachele: *Quæ furata est Idola Patris sui.* Enimverò, cur cum multæ opes, aurum, argentum, & alii thesauri fuissent in domo, hæc non accepit, sed Idola? vidit Rachel, singulari devotione coluisse idola parentem suum, ergo illa furatur. Idolum, quod coli vident filii à suis Parentibus, certissimè imitabuntur. In illa ipsa reverentia Falsis Diis præstita existimabunt, certè hunc esse verum Deum, quia his fortè major reverentia præstatur; si contra Deum, murmura, blasphemias, impatientiam audiant, Scripturam sacram existimant. Sic de filiis Judæorum dicitur: *Murmurabant ergo.* Quomodo non murmurarent Filii, ubi audiverint murmuratores Parentes? *Murmuraverunt in tabernaculis;* denique quidquid viderint Filii à Parentibus, sanctum existimant, & quemadmodum oves in navi ubi vel unicam viderint insiliisse in mare, omnes irruunt in perniciem suam. Ex hoc deducitur arcanissimum illud Dei judicium, quod innuit Salomon considerando, qua ratione Adolescentes præripiantur suis parentibus, & dat rationem optimam: *Raptus est ne malitia mutaret intellectum ejus.* Sed quænam malitia? malitia quæ discitur vel maximè à Parentibus. Dat Exemplum Deus in illo casu, quo Sodomam punit. Quid causæ fuerit quod Parvuli cum suis Parentibus interierint? Ea sanè, ne diutius viventes Patrum exempla sequerentur. Non capio rem; servati si fuissent, nonne absterreri poterant à flagitiis similibus audita tantâ castigatione, tantâque Dei irâ, quâ cremati sunt igne de cœlo? sed pereant & parvuli illi! plus enim exemplo Patrum suorum moti fuissent ad peccandum, quàm pœnis tam extraordinariis coërciti ad emendationem. Hoc ipsum dicunt, & allegant pro causa, cur tempore Christi innocentes Parvuli occisi sint, nimirum visa suo tempore crudelitate Parentum suorum contra Christum, & illi in Christum exarsissent; tollantur ergo, nec videant pessimorum Parentum pessima exempla. *Inter omnes Dei benedictiones hæc æstimanda est maxima, Filios tollere ante oculos malorum Parentum, illorum mala exempla ne cogantur videre, unde mali effecti, imò pessimi, æternam infelicitatem consequantur.* Nec id mirum, considerantí

Gen. 8.

Gen. 31. Filii, Idola Parentum venerantur.

Joan. 6.

Exod. 17.

Sap. 4. 11.

§. VIII.

Angelorum peccatum quia primum, pernicioſiſſimum?

Tria in mundo peccata graviſſima, quibus paria nec fuerunt, nec erunt. Primum peccatum fuit in cœlo: Angelorum, & cur? ob Superbiam? non dico pro hac vice, etsi, sciam Superbiam esse omnium peccatorum initium; sed quia *Primi* erant, qui peccârunt, & exemplo tali pessimè docuerunt mundum contra Deum consurgere. Ob gravitatem hanc, quæ erat in principio ut principio, existimant aliqui SS. PP. ipsissimum hoc initium dedisse causam, ut Angeli non redimerentur per Christum. Istud peccatum, quia in cœlo factum, & Angeli alii in cœlo existentes imitari non possunt, quia in gratia sunt confirmati; graviſſimum tamen est, quia in terris & hodie in exemplum assumitur à perfidis peccatoribus veluti Filiis Diaboli: *Vos ex Patre Diabolo estis, & desideria Patris vestri consummare vultis.* Generare non potest malus Angelus,

quia ſpiritus eſt: ergo in ſpiritu generat hoc eſt ad peccandum.

§. IX.

Adami, & Evæ culpa graviſſima, quia hereditaria.

Secundum peccatum fuit hominum in terris, Adami, & Evæ. Iſti quia homines erant, à quibus voluit mundum propagatum, graviſſimè puniti illi, & nos omnes. Et cur? Primi erant, & exemplo peſſimo factô totam ſuam poſteritatem involverunt, & peccatô ſuô, nunquam ſatis deploratô, alios ad peccandum induxerunt. Quod majus eſt, etiam effuſo pretioſiſſimo JESU ſanguine, ad æternam infelicitatem multi damnabuntur. Primorum Parentum hæc erat crudelitas, hæc tyrannis, occidere priusquam Nati fuiſſent Filii.

§. X.

Caini parricidium, quia primum, indelebile.

Tertium, & iſtud in ſpecie peccati homicidii fuit primum: Caini contra Abelem: & quia *primum*, non eſt data illi gratia pœnitendi. Prima primorum peccata graviſſima ſunt, & fuerunt, & erunt.

Parentes, quos Deus in ſuis generationibus *Primos* fecit, & inſtituit, habent imprimis quod conſiderent: Benedictio quidem Clara eſt DEI, per quos cœlum repleri voluit Deus, & Angelorum locum occupari; ſed pariter ſcire debent, quanta illis reddenda ratio de prolibus ſuis, quidquid enim delinquunt Filii, & tota ſeries ab illis deſcenſura veluti radicibus atribuetur. En Confirmationem! Impietatem Herodis, & furiales in Chriſtum iras! quaſi & tunc vigerent, ubi vivebat Archelaus, quis unquam hoc cogitâſſet? veritas certiſſima eſt, à Deo admonitum fuiſſe Joſephum ſic eſſe, & ideò *noluit illò ire.* Abſit id à Chriſtianis Progenitoribus, ut ſimilibus exemplis inſtruant ſuos Filios, quibus etiam poſt mortem in filiis relinquant aliquam vel minimam cauſam, cur poſſit metuere bonus JESUS eorum domum, familiam, & in illa novos Herodes: Sed quod ſummè optandum eſt, ac deſiderandum, id agant, ut quemadmodum ſuas animas Deo dare intendunt, ita filiorum, filiarúmque ſuarum animas illibatas, ac bonis moribus inſtructas Deo aliquando præſentent. Per eundem Dominum noſtrum JEſum Chriſtum: cui Honor, & Imperium in ſæcula. AMEN.

IN EADEM DOMINICA
SERMO III.

Nazaræus vocabitur. Matth. 2.

SUMMARIUM.

Nomen locuples JESUS, Quinque *literis*, *& infinitis miſericordiis nobis Novum aperit Annum M. DCC. V. concordat Annus cum Nomine*, *& Nomen cum Anno. Ex quo Concludo, totum hunc Annum futurum* Jeſuiticum; *id quod fiet, ſi quilibet ſicut à Nomine JESU* Jeſuita, *ſic à patria* Nazaræus, *id eſt, vitâ* floridus *extiterit.*

Jaurini, 1705.

EST Dei, & hominum lex: omni mandato, vel decreto præmittere, aut ſubſcribere Nomen; quin & celebres Artifices ſolent abſoluto operi Nomen ſuum ſubſcribere. Initium mundi fecit Deus, & ne eſſet mundo ignotus pulcherrimæ illius machinæ author, ac parens, Scriptura acceſſit:

Gen. 1. 1. *In principio creavit DEUS cœlum, & terram.* Ita initium renovati mundi debebat ſubſcribi JESU nomine. Hoc Nomen non atramento, ſed ſanguine Chriſtum conſtitit, cum proximè celebraremus *Parvam Chriſti Nativitatem*, quando maximum Nomen imponitur Chriſto, in quo oportet nos omnes ſalvos fieri. Sed optimè dictum eſt à Majoribus noſtris: *Parva Chriſti Nativitas*, quòd octavo die vix dum nato Infanti auſertur ſanguis, ſic autem auſertur, ut diminutio iſta, Nominis majeſtate compenſetur. *Vocatum eſt Nomen ejus JESUS.* Vivat in mille millia, quia caro, & ſanguis noſter eſt! Et quemadmodum condito mundo inſcriptum: *Creavit Deus*; ſic renovato inſcribatur: JESUS FECIT! *Sanguine ſuo fecit!*

Cùm

Cùm agatur initium Anni M.DCC.V. & de nullo die vel in cœlo, vel in terris plures, majorésque fieri quæstiones sciamus; sicut enim à puncto linea, sic ab hoc Die cursus totius Anni auguriis desumitur humanis, cœlestibus enim decretis omnia statuta ab æterno sunt, quæ nobis dant occasionem bene, an malè augurandi. Qualis Annus erit imminens, ex una parte quantum me terret initium, in Sole aspectus totus sanguineus, ac rubicundus; tantam spei, ac lætitiæ dat materiam Evangelicum *Nazaræi* vocabulum: fore, ut quemadmodum sanguis iste est initium stillantis misericordiæ, sic accedente novo titulo *Nazaræi*, Annus præsens divina benignitate candidus, & *floridus* decurrat. Considerato pariter, quòd optimus JESUS ingrediatur Annum M.DCC.V. & supputato Nominis ejus numero, dum *Quinque* literis Annum nobis *Quintum* supra M. DCC. auspicatè aperit: ominari licet totum hunc Annum futurum *Jesuiticum*. Atque ita & Christi, & vester Annus erit, & omnes vos *Jesuitæ* eritis, si tamen & *Nazaræos* indueritis, & vitam JESU pro posse vestro imitari velitis. Hoc erit thema Dictionis.

§. I.

JESU nominis auspicio Annus aperitur, & clauditur.

Dei Filius pro nobis Homo factus, & appellatus non ab hominibus, sed de cœlo JESUS; *quinque* literis novum, & *quintum* nobis aperit Annum. Gaudeamus, & lætemur! Sic enim JANUS ille antiquus claudens veterem, & totidem quondam literis aperiens novum annum; unde venerat, in tartara rediit, ac deletis Idoli hujus famosi, magnique Diaboli auspiciis, pro Jano JESUM restituimus: qui nominis sui auspicio glorioſissimo, victoriosissimóque, quo genus omne humanum redemit, nobis Annum referet, ac terminet; ut memoriâ retinentes, cujus sanguine liberati sumus, ejus quoque Nomini consecratos Anni menses, ac dies sic instituamus, ut nullum vitæ momentum fluat non Christianum, non *Jesuiticum*, & sanctum. Hoc die, quo priscus ille Janus Annum referabat, pro more Consules Romani ascendebant in Capitolium Jovi victimas oblaturi; ibant inquam ab uno Diabolo, ad alterum multò funestiorem, se, salutémque publicam commendaturi, Idolis. *Similes illis fiant, qui faciunt ea, & omnes qui confidunt in eis!* Nos Christo OPT. MAX. veróque Liberatori vitam, salutem, felicitatem in acceptis feramus, illius hodie primum fusum pro salute nostra sanguinem offeramus Deo Patri victimam pretiosissimam pro acceptis beneficiis, & accipiendis; illo denique auspice temporalis Anni lucem ingrediamur, per quem beatæ immortalitatis fulgentissimum aliquando jubar speramus referandum; ut qui tanta jam præstitit, quando Divinitatis suæ purpuram nostræ copulavit mortalitatis cilicio, susceptúmque JESU nomen (ne vel momento gratiarum vacuum esset) infiniti pretii sanguine fuso authorare voluit; suæ misericordiæ fructus porrò coronare pergat. *Vocatum est nomen ejus JESUS.* Illo igitur auspice referabitur Annus, quidni *Jesuiticus?*

Non equidem diffiteor, quicunque sit Annus in computu rectè dici posse *Jesuiticum* Annum nobis, qui Verbum Patris adoramus, nihilque nisi illo auspice, inchoamus; sed mihi videtur nullus sic vel Nomini, vel mysteriis, consequenter etiam misericordiis correspondere, sicut *Quintus* propter hujus numeri Sacramenta. Ex parte SSS. Trinitatis dubium non est, Sacramentum hujus numeri non casu, sed dispositio cœlitus consilio decrevisse, videlicet ut imponendum Unigenito Dei Filio Nomen, & tale *nomen*, *quod est super omne nomen:* nec pluribus, nec paucioribus constaret literis, quàm *quinque*, ad significandas *quinque* apicibus infinitas misericordias. Si enim Christus Dei Filius nascitur Anno à Creatione Mundi *quinquies* millesimo: vergentibus ad finem mille Annis SSS. Trinitas scripsit I. Aliis mille Annis evolutis scripsit E. Subjunxit deinde post tertium mille, S, sic de reliquis duobus; ut paulatim tanti, tam desiderati Nominis unicuiq; apici numerus aptaretur millenarius, & cuique millenario unica responderet litera, sed multiplex misericordia; donec ultimo apice completo, precarentur exercitus Angelici Pacem mundo, gloriam Deo! & Paulus Apostolus vocem emitteret toto mundo resonabilem: *Apparuit* inquit, *humanitas, & benignitas Salvatoris nostri Dei omnibus hominibus.* Denique Octavo à Nativitate die primum describeretur in terris illud Nomen, in quo oportet nos omnes salvos fieri: *Vocatum est Nomen ejus JESUS, quod vocatum est ab Angelo, priusquam in utero concipereetur.*

In nomine hoc, ç. literæ, sed multiplex *misericordia.*

Tit. 2.

Ad

Ad Sacramentum deinde hujus numeri, alius misericordiæ numerus itidem accessit, dum in corpore mortuo, & post triduum glorificato apparuerunt loca clavorum, & lanceæ in *quinque* partibus: pedibus, manibus, & latere perfosso; sic patenter, ac distinctè, ut iis visis Thomas procidens adoraverit: *Dominus meus, & Deus meus!* Et gloria, quæ innumerabiles alias vibices ita persanavit, suæque lucis radiis ita obduxit, ut nec alapæ tumores, nec spinarum cruentæ punctiones, nec flagellorum ulla remanerent vestigia, non livor, non sulci, non hiatus, non cicatrix, aut horum memoria: attamen loca clavorum & lanceæ gloria, non obduxit, sed triumpho reservavit. Quid ita? Ægypti plagæ erant duplæ, id est numero *decem:* ad misericordiam Filii Dei commendandam non erat pluribus opus signis, ac Vulneribus, quàm *Quinque*, ut facta correspondèrent Nomini de cælo dato. Ergo in Sacro-sancto hoc Nomine, JESUS, cuilibet apici respondeat unum Vulnus. Et non erat satis unum pro omnibus? Ad amorem, ad copiam, non. *Primum vulnus* correspondeat creationi mundi, seu ævo Adami, pro flagitiis, & sceleribus primâ mundi ætate perpetratis. *Vulnus secundum* correspondeat ævo Noëmi, & mundi adolescentiæ nimium lascivienti. *Vulnus tertium* correspondeat temporibus Abrahæ justi, sed mundi injusti, in quem cœlesti igne, & sulphure pugnandum fuit. *Vulnus quartum* correspondeat Moysis ævo, quàm felici in hoc, quòd Legem digito Dei scriptam accipere merebatur, tam infelici, & ingrato, dum eam pro nihilo haberet, tantâque flagitia demum Deicidio coronaret. Vulnus itaque illatum ab ipsis inimicis pro inimicis peroret pro gratia. & *Vulnus quintum* sit corona omnium apicum tanti Nominis, sit generale complementum universæ misericordiæ, quam vel ab omni antè ætate, vel in omne post ævum ostensurus est mundo optimus JESUS, ut ita annos æternos *quinarii* numeri sacramento cohonestet, fulciatque.

Hujus nominis auspicio, tanquam s. lapidibus frons Diaboli percussa.

Quid? quòd Sacramentum hujus numeri tam in Nomine, quàm Vulneribus, erat præparatio ad vincendum generis humani inimicum, Diabolum; ut adversus illum, qui dicebat: *Similis ero altissimo!* mitteretur obviam JESUS nominis sui mysterio fortis armatus, qui insolentem inimicum armis, quibus confidebat, exutum universis spoliis nudaret. Totum hoc non aliter, quàm Sacramento *quinque* apicum Nominis sui perfeciisse siquis dubitat, legat Davidem seligentem *Quinque limpidissimos lapides de torrente*, quos in Philisthæi frontem felici omine designabat. Jam dicat Augustinus lapidis hujus mysterium: *Lapis ille, quo percussus est Goliath, Christum Dominum figurabat;* conformiter ad sententiam Christi allegantis Davidici Psalmi versiculum: *Lapidem, quem reprobaverunt, hic factus est in caput anguli;* & Apostolus: *Petra autem erat Christus.* Omnia bene; illud non capio: Regum Liber dicit, Davidem elegisse *quinque lapides*, & Augustinus dicit Christum fuisse mysticum illum lapidem, cum tamen Christus erat *unicus Lapis?* Nisi dicamus, & optimè: Dominum JESUM fuisse unicum Lapidem in persona, ac Divinitate; sed in Nominis sui virtute *quinque lapides:* quia velo quinque literarum Divinitas Christi occultabatur, quæ frontem superbi inimici in certam perniciem designaret. Unus Deus, sed quinque Literæ! quinque apices, & innumerabiles Victoriæ. Si unus lapis fronti sufficit uni, ad quid *quinque?* Jam dixi, Dominus noster JESUS Christus, & fuit Lapis unus, & *quinque. In Principio erat Verbum, & Verbum erat apud Deum, & Deus erat Verbum.* Ecce lapis unus? quia unus Deus, unus Dominus. *Et Verbum caro factum est*, &: *Vocatum est Nomen ejus JESUS.* Numera apices, & habes quinque lapides. Unum l. non sufficit pro fronte Diaboli, nisi sit ibi totus JESUS. Hæc simul *quinque* arma Deus homo factus assumpsit ad vincendum Goliathum, ad debellandum tenebrarum Principem; sub istis lapidibus incurvatur fornix inferorum, eriguntur templa cœlestium; ad rutilantissimos hos lapides flectunt sua genua Reges, & Principes. Istis lapidibus quatitur, & aperitur cœlum tot sæculis clausum, & impervium nepotibus Adæ; hujus denique Nominis auspiciis temporalis etiam Annus aperitur saluti, & paci nostræ, fors etiam multis æternæ auspicium. Quocirca si pacis nostræ Imperator JESUS sicut est in divinitate sua lapis unicus, sic in virtute Nominis sui *quinque* lapides; & præsens Annus, quia *Quintus*, cum Nomine, & Nomen cum Anno occultiore Sacramento concordat: spes est fore, ut quem à pretiosissi-

1. Reg. 17.

mo

mo JESU nomina auſpicamur, Annus illuceſcat nobis totus *Jeſuiticus*, *quinque* literis, ſed multiplicibus miſericordiis fœcundus; ut ſi non renuitis vocantem ſequi, omnes vos hoc Anno *ad Societatem JESU* admittamini.

§. II.

Aut Chriſtiani non ſumus, aut omnes Soc. JESU candidati, & jam induti.

Quid dico, *admittamini?* Nisi me animus fallit, aut jam eò admiſſi receptique eſtis, aut Chriſtiani non eſtis. Necdum ortus erat Divus *IGNATIUS de Lojolâ*, quando jam Apoſtolus Paulus omnes Chriſtianos à Deo *vocatos* ait 1. Cor. 1. *in Societatem Filii ejus.* Et ſi omnes Chriſtiani ſunt de Societate JESU, ubi inſignia? ubi habitus Ordinis? Reſpondet ad hanc quæſtionem, ſi memini, Gala- Gal. 3. latis: *Baptizati eſtis, Chriſtum induiſtis.* Vos, inquit, quamdiu ad lavacrum regenerationis non veniſtis, nec nomen habuiſtis, nec formam, eratis ſicut qui non ſunt, exules, exhæredati, nudi; at in Baptiſmo gratiæ ornatum accepiſtis, & ipſum Chriſtum induiſtis profeſſione Chriſtiana, & à JESU quid, nisi *Jeſuitæ?* Quocirca tunc ex hoſtibus facti amici Chriſti, mores, & habitum mutâſtis, & cum habitu novum hominem induiſtis, *Chriſtum induiſtis.* De omnibus, qui ad Dei imaginem, nobiliſſimâmque ſimilitudinem erant conditi, dici poterit illud Davidicum de Principibus: *Ego dixi, Dii eſtis.* Grandis titulus! at cum hoc titulo non procul ibunt gentes, ſi cum his omnibus armis ſuis in infernum deſcendunt. Et profectò nisi hanc obſoleſcentem, ac fœdiſſimè violatam in nobis divinam imaginem Chriſtus reparet ac cooperiat veſtitu non alio, quàm ſe ipſo, actum eſt! ſic, ut quemadmodum in prima creatione contulerat imaginem ſuam, un- Pſal. 81. de appellabamur *Dii*, *& filii excelſi omnes:* ſic dignitate illâ extinctâ neceſſe eſt, ut per regenerationem, neceſſariámque redemptionem ipſe det, unde induamur in Socios JESU, ac veros *Jeſuitas. Baptizati eſtis, Chriſtum induiſtis.* Felices, qui hoc veſtimentum immaculatum cuſtodiunt! Ut enim, qui pretiosè veſtiti per lutum incedunt, cavent quantum poſſunt, ne veſtimentum luto inquinetur: ſic qui JESUM induerunt, candidatis illis imprimis curandum eſt, ut veſtem gratiæ à peccatis immaculatam conſervent.

§. III.

Sed ad hoc ſatis non eſt deferre habitum, nisi etiam Vocationi vita reſpondeat.

Quocirca tam novo pulcherrimóque titulo, quem à JESU datum habetis *Jeſuitæ*, neceſſe erit etiam alium illum *Nazaræi* titulum conſocietis, ut non ſolo nomine præferamus *Jeſuitas*, ſed mores etiam tanto nomine non indignos, vitámque ſanctitate *florentem* provideamus. JESU nomen nunquam potuit eſſe inane, ac vacuum, quod ne nominari quidem ſine utilitate poſſit. Nomine hoc, ſi virtute nudum maneat, & à *Nazaræo* diviſum, nihil nobis accidere, nisi hoc, quòd cum Sanctiſſimo hoc Nomine gehennam intremus. O proſtitutionem tanti Nominis! *Neque* Rom. 8. *enim omnes, qui ex Iſraël, Iſraëlitæ; nec omnes filii Abrahæ, qui ſunt ex Abraham.* Antequam concluſio ponatur: Taliter argumentans Paulus, quæro cujus fuerit Ordinis? Dico: Paulum S. Paulus tria habuiſſe nomina, & omnibus tribus cujus Ordi- correſpondiſſe. Sæcularis vocabatur ni fuerit *Saulus*, huic reſpondit, perſequendo 1. Tim. 1. Eccleſiam Dei. Eccleſiaſtico nomen inditum eſt *Pauli*, factus ex lupo jam Paſtor, & forma gregis. Denique factus eſt *Jeſuita*, quia datum eſt illi Nomen JESU, ut illud tanquam ſolem radiantiſſimum *portet coram gentibus;* illóque Act. 9. ſole amictus tanquam veſtimento, JEſum non depoſuit ab ore, non depoſuit à corde, ejus ſtigmata tulit in corpore. Gal. 6. Profeſſionem implevit opere, ut poſſet non ſolo ore, ſed etiam prædicare exemplo, & graviter omnes nos monere: quia *Non omnes qui ex Iſraël, Iſraëlitæ; nec omnes filii Abrahæ, qui ex Abraham.* Quid reſtat, nisi ut concluſionem in forma ponat: Nec omnes *Jeſuitæ*, qui à JESU nomen habent Chriſtiani. Et unde debet veritas apparere profeſſionis? Dico, ſi duo illa conſocientur, quæ ſupra Crucifixi frontem *Græcis*, *Latinis*, *Hebraicis* inſcripta literis legebantur: *JESUS Nazarenus &c.* ſi vita correſpondeat profeſſioni, ſi mores ſint pudici, ſanctis operibus *florida* vita, ſi non fugiat Crucem, ſpinas, *Stigmata Domini JESU.* Quænam illa? dico, humilitatem, patientiam, obedientiam, vitam inculpatam. Vel hæc imitare, vel nomen depone. Deponere jam non vacat, quia character baptiſmi æternum manet, non illud hoſtes eripient, non flammæ in cinerem redigent, manet, æternúmque manebit ſignacu-

lum Christi sanguine consecratum. Restat igitur, ut tanti nominis dignitati vitæ meritis respondeamus. *Imitatores mei estote*, inquit Paulus, *sicut & ego Christi.* Ego imitando JEsum factus sum *Jesuita*, quia similitudine vitæ sic eum exprimere studui, ut videri possit ille potius in Paulo vivere, & spirare. Quare si me imitari non piget, si sequimini præeuntem, vos quoque futuros omnes *Jesuitas* ne dubitate. JESUS vobis prospiciet ex oculis, JESUS ex labiis, JESUS ex corde. De exteriore cultu parum est, quomodocunque vestiamini, neque hoc Socium JESU facit, sed vita *Nazaræi*, vita florida, sancta, inculpata, & quod omnium maximum, charitas in Deum, & proximum, sub cujus pondere JESUS Nazarenus *inclinato capite tradidit spiritum.* JESU nomen terrible, & Sanctum! Enimvero si audito solo hoc Nomine cœlestium omnium Potestatum genua curvantur, si Nomini huic assurgunt Principes, cervicem inclinant Reges, adorant Nationes, & Gentes; si denique hoc Nomen ne audire quidem sustinet Inferorum potentia, quid faciet mundus? quid dicent Angeli, quid Diaboli, quid inimici Nominis Christi, cum quot in Civitate, & Regno Christianos, totidem detur *Jesuitas* videre, JESUM in tot millibus toties incarnatum intueri? Quàm alia facies mundi, quàm alius Ecclesiæ vultus in tot *Nazaræis*, ac pietate *floridis* imitatoribus Christi. O siquis hic ab inferis *Melanchton* iterum exclamet: *Totus mundus JEsuitis impletur!* Laboravimus dolo, ferro, igne, maledictis extinguere IGNATIOS; obscurare nitebamur, qui portabant *lumen ad revelationem gentium* cum tanta gloria Ecclesiæ, cum quot nostris vibicibus, & ruinis; invisum illud genus ejecimus urbibus, interdiximus finibus, legibus, convitiis, maledictis insecuti sumus; & dum paucos illos, & inopes nullo loco consistere patimur, videre cogimur semen eorum *sicut stellas cœli, & sicut arenam maris, quæ præ multitudine numerari non potest.* Totus mundus tot *Jesuitis* impletur, quot Christianis.

Phil. 3.

Quanta gloria Ecclesiæ, ex tot Jesuitis quot Christianis?

Quid ad hæc putatis dicturum primum *Societatis JESU* Desertorem *Judam?* Totus mundus fit *Societas JESU*, & ego infelix illam prodidi primus! Contrà qualénam in cœlo gaudium habiturus Archangelus Gabriël, qui instar columbæ Noëmiticæ ab arca cœlesti emissus, Nomen JESU velut oleæ virentis ramum, pacis nostræ signum primus de cœlo in terras attulit? *Concipies*, inquit, *in utero filium, & vocabis nomen ejus JESUM.* Et cuinam hoc dicitur? Utique ad Mariam Virginem. De illa quid dicam? Mater est *Societatis JESU;* in cujus utero, velut Novitiatu sacratissimo, primam Probationem JESUS candidatus subivit. Secundam Probationem longiorem usque ad XXX. Æt. annum in sinu, & sub alis, ac jugo obedientiæ maternæ emensus; dum denique Tertium in colle Calvariæ absolveret experimentum maximum divini, humaníque amoris; neque tamen & istud Matre procul, quæ *Stabat juxta Crucem JESU.* Ipsius itaque benedictus uterus, ipsius sinus, fuit primum *Societatis JESU* domicilium, ex quo deinde in orbem terrarum divina illa plantatio lætissima propagine germinaret. Quænam eloquentia explicabit incredibilem, maximámque animi ejus in cœlo lætitiam, ex tam felicibus progressibus Sociorum JESU, tanquam filiorum, ac nepotum, qui ex uno illo benedicto semine multiplicati terras ac maria charitatis ac virtutum odore impleverunt? Quomodo non exultabit cor Matris aspicientis, mundum Diabolis liberatum? erecta ubique Christo Victori templa, compressa flagitia, peccatores reductos, auctum tot Jesuitis, quot Christianis terrarum orbem? Ubique laudes Dei, ubique vocem gratiarum actionis, ubique lacrymas, vota, desiderium supernorum; ubique cum JESU *rubicundo Nazaræi* candores, charitati puritatem sociatam.

B. V. M. Societatis JESU Mater.

Primum Soc. JESU domicilium.

Atque hic est, & certè esse debet primitiarum sanguinis JESU Christi fructus, isque maximus: *Ut Societas nostra* (inquit Joannes) *sit cum Patre, & cum Filio ejus JESU Christo.* Quid ergo, si omnes *Societatem JESU* ingredientur? Citius cœlum implebitur, imo ex terra statim erit cœlum. Ah! si *Societas* ista sub JESU nomine coalescat in unitatem fidei, ut fiat in tam diversis animis *Unus Dominus, una Fides!* Ah si Christiana Societas ex dissociatis Principum animis, in pacis, mutuíque amoris coalescat unionem! Ah si depositis armis dexteræ socientur, & vires quæ rem Christianam atterunt, ei tuendæ reserventur? O Annum *Quintum!* non tam apicum numero, quam beneficiorum varietate, & copiâ JESU Nomini respon-

Pro unione fidei, & pacis, Peroratio. 1. Joan. 1.

Eph. 4.

respondentem! si portam Christianis Principibus ad *Societatem* hanc Christianissimam brevi aperiat! Tu ô pacis nostræ Imperator OPT. MAX. qui *dicis huic, Vade, & vadit; Veni, & venit;* charitatis funiculo, quô filios Adam trahere consuevisti, liga Christianorum adinvicem mentes, & dexteras, renuentes autem *compelle intrare* in *Societatem* Filii tui! sic enim profectò Annus iste totus *Jesuiticus* fiet, & Christiani bis *Jesuitæ* dicendi: tum quia inter se mutuò tanquam unius Matris filii; tum quia cum Deo stabili charitate uniti, & pace fœderati: *Ut & vos Societatem habeatis nobiscum, & Societas nostra sit cum Patre, & cum Filio ejus JESU Christo:* nunc, & in perpetuas æternitates. AMEN. 1. Joan. 3

DOMINICA INFRA OCTAVAM EPIPHANIÆ.

SERMO I.

Post triduum, invenerunt eum in Templo. Luc. 2.

SUMMARIUM.

Gratiæ, & dona Dei sicut communiter non dantur, nisi petentibus: ita in erogatione donorum observari Tempus, & Locum *congruum misericordiæ Dei* In Templo, post triduum.

I. *Quia beneficia, & Gratiæ suum habent* Tempus.
II. *Et Locô opportunô dantur.*
III. *Quam ob causam sic differantur?*
IV. *Doctorum, & Templi* medium, *Quid sit?*

INter gladium requirentis suum thesaurum Deiparæ pectori infixum, & gaudium eo demum reperto subsecutum: connaturaliter consequebatur affectus Virginis ad Deum gratitudinis, & fiduciæ, eâ formulâ, quâ usus est David in persona Virginis ad Deum: *Secundùm multitudinem dolorum meorum in corde meo, consolationes tuæ lætificaverunt animam meam.* Necesse est inventi Filii gaudium Matri extitisse maximum, ubi materia incredibilis mœroris, ac luctûs cor Maternum diviserat. Psal. 93. 19

Quia verò toti huic actioni elegit dispositio cœlestis duas circumstantias, *Temporis* scilicet, & *Loci;* mirum sanè videtur, quòd Christus, in quo inhabitabat plenitudo sapientiæ, & scientiæ, solatium Matri suæ facturus, & Nutritio, pro Temporis circumstantia elegerit *Triduum*, & locum cœlesti solatio consentaneum, Divinam Basilicam: *Post triduum invenerunt eum in Templo.* An casu fortuitò? an de industria, ac studiosè hæ duæ circumstantiæ factæ? meritò in quæstionem vocari possit. At, cum omnis Christi actio, nostra sit instructio, ut subtiliter dixit S. Pater: & in hoc agnoscamus mysterium. Christus toto *Triduo* quæritur, luctu compita, gemitu fora personant, relegunturviæ, & famâ cœlestis Pueri amissi per ora populorum percrebrescit. Non nox quietem oculis ullam concessit, dies ipse in noctem versus videri potuit, dum desideratissimus sol oculis abesset maternis. *Puer non comparet* (dicebat afflictissima Parens) *& ego quò ibò?* Non in compitis Christus, non in foro, non in comitatu populorum. Necesse erat toto Triduo thesaurum hunc indagari, nec nisi eô completô, inter parietes aulæ Divinitatis inveniri, & agnosci. Et certè Deus, qui *omnia in pondere, & mensura* operatur, circumstantias quasdam ad gratiam vel reparandam, vel conservandam, aut augendam, mira dispositione videtur observare, iisque dona sua alligare sic, ut ultra terminos *Temporis* nec velit quidquam conferre, nec extra hunc *locum*, quem præfigere placuit, Gen. 37. 30 Sap. 11. 21

placuit, quidquam ab se impetrari patiatur.

Ex quo deduco: non debere mirari hominem, si à Deo, tametsi in vota nostra propensissimo, gratiæ, & postulata beneficia non illico impetrentur, sed expectandum esse, ut compleatur *Triduum*, fors & Triennium, pro Regnorum, & Ecclesiæ gratiis etiam sæculum. Invenerunt eum *post triduum:* ergo non prius; *in Templo;* igitur non in omni loco invenitur gratia. An verum hoc sit, ex præsentis Evangelii mysterio expediam, simul causas adferam, cur sic?

§. I.

Pars prior: de donorum, & gratiarum limitibus.

Statum, & systema gubernationis Divinæ circa mundum paucis absolvit
Eccle. 3. 1. Salomon dicendo: *Omnia tempus habent.* In cœlo Sol habet suum tempus, quô oritur, & occidit; stellæ, quô lucent, & splendent; horti, prata, nemora tempus habent vernalis suæ pulchritudinis, & tempus solitudinis; sic & homo tempus nascendi, & tempus
Psal. 38. 6. moriendi. Sic Patriarcha: *Ecce mensurabiles posuisti dies meos!* quoad tempus scilicet, & locum statûs naturalis. Quoad ornamenta animæ rationalis, uti sunt dona, gratiæ, beneficia spiritualia, honores, divitiæ; habent & ista *tempus* suum, habent & *locum* suum, & quidem ab æterno decretum; ut proinde si ista gratuita beneficia vel hoc tempore negentur, vel hoc loco non impetrentur, Deo repugnandum non sit, disponenti omnia *in pondere, & mensura.*

Vides in Evangelio hodierno, Dolori Deiparæ de amisso Filio suo tollendo tempus præfigi *Triduanum:* quod usquedum compleatur, nullus mitigabitur dolor, nullus lætitiæ sol orietur, & cur? Quia *Triduum* istud (sub vocabulo *Gladii* à Simeone prædicti) ab æterno determinatum erat pro patientia B.V.M. *Triduum* pro desiderio Filii tam chari, *Triduum* pro martyrio cordis. Sic sunt omnia Dei dona, omnes cœli benedictiones, favores, gratiæ; sic omnium dolorum nostrorum mitigatio. Omnia quæ vel nos desiderare, & petere; vel Deus nobis conferre potest, S. Jacobus
Jac. 1. 17. sub ratione DONI explicat danda, expectanda, & accipienda.

Gratiæ, & dona habent tempus suum.

In quo nomine DONI eô ipsô quòd omnia comprehendantur, omnibus nostris prætensionibus via præcluditur, si Deus eô tempore quo nos vellemus aliquid, neget; & aliud misericordiæ suæ magis congruum tempus expectet; cum patientia oportet præstolari salutare Dei, quare? quia DONUM est; & juxta Paulum, quia *Gratia* est. *Si autem gratia, jam non ex operibus; alioqui gratia jam non esset gratia*, ita ut nec puncto prius, aut posterius obtinere possumus, quàm quô Deus ea largiturum se determinavit, secundum thesaurum consilii, & divitias misericordiæ suæ. Et cujus inter filias Adæ desiderium, aut grandius, aut efficacius fuit in quærendo filium suum, quàm Deiparæ? eo momento, quo animadvertit abesse lateri suo tam desiderabile pignus, quis tibi tunc sensus Virgo? Et tamen ut amissum oculis recuperes, complendum est *Triduum.* Atqui dies pro Anno computabatur Matri, Matri tam amanti? Denique prius non. Sic in Dei consilio decisum, expectandum illi tempus erat hoc, & non aliud. Rom. 11.

Opportuno tempore præstantur.

Totius mundi Christiani desideria, & vota qualiter aptanda, & felix expeditio rerum qualiter expectanda sit, explanat Regius Vates: *Oculi omnium* (inquit) *in te sperant Domine, & tu das illis escam in tempore OPPORTUNO: aperis manum tuam, & imples omne animal benedictione. Oculi omnium.* Certè si unquam tot Regnorum, & Principum, tot populorum, Nationúmque suspiria, vota ad te Deus Optime Maxime, directa sunt, hoc tempore totius pene terrarum orbis bello ardentis miserabilis facies nusquam, nisi in te solo, qui imperas ventis, & mari, auxilium polliceri sibi videtur. Verùm quia ipsa Orationum exauditio, & collatio beneficii non fit, nisi IN TEMPORE OPPORTUNO, aliud dici non potest, nisi quòd in patientia expectanda sit orbis Christiani consolatio; tot Urbium, & populorum salus, levamen, tranquillitas ad aliud tempus differtur. Quodnam illud? quod fuerit misericordiæ Dei OPPORTUNUM. Ergóne fieri potest tempus aliquod misericordiæ illi importunum? Nos dicimus illud pro facienda re aliqua *Opportunum* tempus, cum curis aliis vacamus, nec impedimur, quô minus postulatas à nobis preces exequamur; cæterùm horâ scribendis epistolis destinatâ, aut aliô occupatissimô tempore nos interpellantibus consuevimus dicere: *Importuno tempore venisti;* quod idem est, ac dicere: negotiis aliis gravor, unum tempus inimicum est alteri. Psal. 144. 15

Oppor-

Opportunum porro tempus dicimus, quoties iis curis liberati ad negotia alia vacamus, præbere aures, ad alloquium admittere, de postulatis tractare, consilium dare petentibus ex Officio, vel humanitate, aut charitate libet, quia vacat; & tum dicimus: *Bene venisti, prospere ades.* Quis autem hanc importunitatem, vel opportunitatem in Deo statuat? & tamen Propheta Regius allegat *Tempus opportunum. In tempore opportuno aperis tu manum tuam.* Ex quo discimus, Tempora, quæ nostris aut necessitatibus, aut humanis consiliis videntur *opportunissima* ad miserendum, ad res maximas Divina ope gerendas, ad proferendam latiùs Religionem, & Divinam augendam gloriam: ea cœlesti consilio importuna posse cadere, ideóque fine intento frustrari. Petebat à tot millibus Annorum mundus desideratum Salvatorem, audiebantur Prophetarum suspiria calentissima: *Utinam dirumperes cœlos, & descenderes!* & pene protelationis cœlum accusabatur, ut quondam bello Punico Romana Urbs: *Dum Romæ consultatur, Saguntum expugnatur.* Ita admonebat cœlestem Curiam Propheta Sanctissimus: *TEMPUS faciendi Domine! dissipaverunt legem tuam.* Mundus perit, Infernus repletur, dominantur libidines, furor, avaritia regnant, nescitur Deus, ignoratur lex. *Numquid in æternum projiciet Deus?* id est: numquid Deus tantam multitudinem generis humani in æternum projiciet à misericordia sua, & in infidelitate, ac cœcitate dimittet? Quasi dicat: Non projiciet, sed TEMPORE SUO visitabit, & faciet redemptionem. Ita sanè, cùm fuerit Deo opportunum, aderit, ut tollat peccatum mundi: & non priùs? Non. Ita dicere possumus: Esse aliquod tempus Cœlo importunum, quô, post calentissimas quantasvis fidelium preces neget salutares pluvias. Esse aliud tempus, quô Pacem optemus, nec tamen veniat Pax. Atqui interea ardebunt Urbes, fundetur Christianus sanguis, Divina humanáque omnia miscebuntur? Misceantur; Pax tamen differetur. Dicemus: *Pax, Pax! & non erit Pax.* O quoties judicio nostro *opportunissimum* venisse tempus videtur hoc, vel illud, convertendi Hungariam ad pristinum Catholicæ fidei florem! Edictô Regio Apostolico claudendi Templa hæreticorum, ejiciendi in exilium falsorum dogmatum Ministros, tot scandala excindendi, tot millia animarum ab exitio sempiterno vindicandi! nihilominus tot Ecclesiæ vota irrita pereunt, quia nondum advenit opportunum Deo miserendi tempus. Compleatur *Triduum*, & tunc Christus perditus reperietur, Pax Ecclesiæ Dei reddetur.

Gratiis elargiendis non omne tempus opportunum Deo.

Isai. 94. 1.

Ps. 118.

Ps. 76. 7.

Bellar. hic.

Jer. 6. 14.

Limitationis hujus occultissimæ, quonam tempore velit Deus solari suos, vel gratias, & dona elargiri, si causas liceat investigare, ex parte Dei non alia luculentior occurret, quàm ipse Deus, *Dividens singulis prout vult:* quis enim ei metas ponat, ut quod dare decrevit, det *nunc?* Dominus est, quod bonum in oculis suis, facit, ecquis dicet: Cur *tam serò?* Deinde ex parte hominis non minima esset causa, ipsa probatio hominis; sic enim spem, & patientiam nostram periclitatur Deus, utrum, si dona sua petentibus non concedat tunc cùm flagitantur, pergamus tamen ferventibus insistere precibus, centesima etiam vice ad Divinæ misericordiæ fores pulsando; aut continuò hastam, & clypeum projicientes, magno Dei præjudicio recedamus? Ita Bethuliæ Proceres Assyriorum armis circumsessi, limites posuêre misericordiæ Dei, *Quinque dies,* intra quos si auxilium non veniat, clarissimam illam Urbem fidei hostium deditури. Quibus fœminarum miraculum Judith meritò temeritatem exprobravit, & populi Pontificibus, quorum erat in arcanis Dei judiciis versari, in faciem edixit: *Qui estis vos?* Scelus est (inquit) boni Pontifices, & Proceres, in ea vos ignorantia versari, ut Divinæ misericordiæ limites statuatis, terminúmque præfigatis, ut nisi hoc tempore Urbi nostræ tuendæ cœlo, aut terrâ, aut mari præsidia advolent, hæreditatem Domini, potestati Barbarorum tradituri sitis. Ad quem alium Deum recurritis? cujus alterius opem Numinis implorabitis, si Deus Patrum nostrorum vestrô judiciô, tam inops, egenúsque sit, ut sub ejus alis vobis tutis consistere non liceat? Sinite quæso! finite opportunum ejus sapientiæ, & miserationi tempus, *neque enim dormitabit, qui regit Israël.* Dixit, & consilio suo fortissima Amazonum Rempubl. ruentem servavit, sustentavit, vicit!

Causæ dilationis gratiarum ex parte Dei.

1. Cor. 12. 11.

Ex parte hominis.

Judith. 7. 23.

Nihil ita accelerat auxilia Divina, sicut spes in summo auxiliatore Deo firmiter collata: ut jam non solum propter ferventes, & instantes deprecationes, sed ob ipsam ignorantiam temporis quô

auxilia de cœlo adveniant, duplici meretur titulo, ut Deus, quod petitur, det, & det abundanter. Quod clariſſimè oſtenditur in caſu, quò arcaniſſimo judicio ordinavit Deus, ut Filium ſuum B. V. amitteret. Quis explicet oratione, in re hac delicatiſſima (quoniam præ oculis ſemper Divinum illud pignus ferre cupiebat) quantum ex amiſſione, quantum ex dilatione *Tridui* tormentum animo ſenſerit Mater Virgo! Verè enim
Prov. 13. 12. *Spes, quæ differtur, affligit animam.* Multis pòſt annis Joannes literarum monumentis commendavit, viſam ab ſe in cœleſti palatio hanc ipſam Virginem, utpote oculorum ſcenam amabiliſſimam, tanto lumine fulgentem, ut cœlum il-
Apoc. 12. 1. luminare poſſet. *Signum magnum apparuit in cœlo, Mulier AMICTA SOLE*, id eſt, Chriſto, qui eſt lux illuminans mundum; quem etiam dum in terris materno ſinu tulit, quid? nisi verum Solem portavit. AMICTA SOLE. Fueritne Signum majus, videre *Amictam Sole*; an hodie *Sole* carentem, atque orbatam capitis ſui coronâ, intueri per Urbis Solymææ compita profundis cum gemitibus errantem, patientiâ Martyrio ſimillimâ JESUM inclamantem! JESUM requirentem! Legite formulam, quâ allocuta eſt fortè repertum intra Divinitatis Sacraria Filium: *Fili, quid feciſti nobis ſic?* Iſtud *SIC*, ſatius eſt cogitationibus veſtris expendendum relinqui, quàm à me verbis exponi. Pro illo dolorum martyrio, quod toto Triduo ſuſtinuit Virgo, merebatur ut ſpeciali prærogativâ, & Matrem ſe declararet, & Chriſtum (quod nuſquam aliàs legitur) vocabulo FILII compellaret. *Fili, quid feciſti nobis ſic?* indicare vo-
Caſſian. l. 2. c. 14. lens (ut ait Caſſianus) *quòd velut piam Matrem impoſſibile ſit à filio derelinqui*, quem dum reperiſſet, quaſi Bis Mater tunc renunciata fuiſſet. Univerſaliter hoc applicabile eſt omnibus, qui cum patientia præſtolantes ſalutare Dei, pro votis ſuis dilatis preces ad Deum multi-
Pſal. 9. plicant: *Ut quid Domine, receſſiſti longè? deſpicis in opportunitatibus, in tribulatione?* In circumſtantiis, quæ nobis videntur opportuniſſimæ, & expectatiſſimæ Votis Eccleſiæ, deſideriis Provinciarum, Regnorum, quæ evidentiſſimam omnibus faciunt ſpem vel Pacis, vel animarum converſionis, aut maximi alicujus emolumenti, & progreſsûs: dum ad apicem optima conſilia, & diſpoſitiones veniunt, repente confringuntur, nullóque ſucceſſu opportunitates è manibus inſtar auræ dilabuntur. *Deſpicis in OPPORTUNITATIBUS, in tribulatione.* In hujusmodi gratiis differendis intentio Dei eſt, ipſum lucrum, & meritum vitæ æternæ, & eruditio noſtra, ut ita diſcamus cum humilitate adorare Decreta Dei, quod vult, quantum vult, tempore quo vult. Hoc tempus nec eſt judiciis ejus arcanis conſentaneum, nec ejus miſericordiæ congruum, cur illud peto? & ſi ad aliud tempus differt, quare illud ego nolim? Expecta, ſuſtine, dum *Triduum* compleatur, invenies JESUM, habebis Salvatorem. *Poſt triduum invenerunt illum.*

§. II.

Pars poſterior: Ubi quærendus Deus?

Et UBI? ſupereſt quærendum. Nimirum, cui alligaverat Deus & inventionem Pueri, & intentionem B. M. V. erat *Locus*. *Poſt triduum invenerunt eum in Templo.* Triduo durante quot domus? quot vici, plateæ? quantum itineris emenſum, remenſum, concurſatum ab ſolicitiſſimis Parentibus? Nuſquam apparuit. Non amici, non cognati, non itineris Nazarethani comites indicium facere potuêre. Ergo mœſtiſſimæ animæ in Templum, Templi Dominum adoraturæ ſeſe conferunt: & ecce! cùm in auguſtiſſima illa ſacraria oculos elevant, ſimul aciem in Diviniſſimum Puerum repentè defigunt, intuentur Solem illum *in medio Doctorum* fulgentem, & ſapientiæ radios, reſponſorum ac interrogationum ignes latè ſpargentem. Pulcherrimum exemplum Sacrati Ordinis Perſonarum (ſive Eccleſiaſtici, ſive Religioſi ſimus) ſi ab ſæcularibus cum fortè inviſuntur, reperiantur in Cubiculis, atque cellis ſuis *ſedentes in medio DOCTORUM* hinc explicato Sacrarum literarum codice: inde apertis *Cypriani, Auguſtini, Chryſoſtomi, Aquinatis* voluminibus, Sacrorum Interpretum Libris; ſtudium, operam, vigilias in aquirendæ ſapientiæ arcana impendentes. Hoc Epiſcoporum eſt, hoc Sacerdotum decus maximum; hoc ſæculares ædificat, hoc exhilarat Eccleſiam, hoc delectat Angelos. Inveniatur Gedeon ab Angelo *in Torculari* (neque enim vir fortiſſimus, aut in foro otioſus, aut in Gynecæo voluptuarius commorabatur) & inde ad bella Domini vocetur, à manipulis ad exercitum; à tribulis ad arma, & labara triumphalia invitetur. Abraham *in Tabernaculo* hoſpites cœleſtes

Perſonæ Deo ſacratæ, medio Doctorum.

Jud. 6. 11.

Gen. 18.

ſtes Ephebos convivio excipiat, ac refi-
Gen. 24. ciat peregrinos; Rebecca *ad fontes* re-
periatur, & pulcherrima Virgo à po-
tu camelorum ad arrhas nuptiales, &
monilia aurea, hoc eſt, ad puellaris di-
ligentiæ præmia invitetur. Rurſus ab
eadem Rebecca, Sponſus reperiatur *in*
ibid. ℣. 63. *agro* meditationibus intentus, & curis
cœleſtibus ſuſpenſum animum, Sponſæ
pallio diſcoopertæ vultibus recreet.
Quanquam aut Meditatio, aut in pere-
grinos hoſpitalitas non minùs Ordini Sa-
cerdotali conveniat, maximum tamen
eorum illud decus reputo, ſi cum duo-
denni Chriſto frequentet reperiantur in
cubiculis, *in medio doctorum ſedentes*,
in ſcripturarum arcana omni cum dili-
gentia intenti. Cubicula Sacerdotum,
Academi- Templa ſunt. Hoc idem Adoleſcenti-
corum bus literarum ſtudioſis edico. Chriſtus
Muſæa, hoc eſt, caſtitas, innocentia, integri-
Templa. tas vitæ, ſapientia, non in foro, com-
pitis urbis, choreis, rure geniali; ve-
rum in Muſæo, *in medio Doctorum* ſe-
dentibus, interrogantibus, & reſpon-
dentibus reperietur, & conſervabitur.
Nec reperire fuit Adoleſcentes innocen-
tiores, quàm qui literas amarent, &
cum Doctoribus aut mortuis, aut vivis
converſarentur. Alibi Chriſtus perdi-
Prov. 8. 12. tur, inter hos invenitur. *Ego ſapien-*
tia habito in conſilio, & eruditis inter-
ſum cogitationibus. Iſte locus eſt, in
quo requirendus ante omnia Chriſtus fu-
Eccli. 6. 36. it. *Invenerunt eum in templo.* Tem-
plum tuum Muſæum ſit, Templum tu-
um Academia. *In multitudine Presby-*
terorum prudentium ſta, & ſapientiæ il-
lorum ex corde conjungere; ut omnem
narrationem DEI (ecce Theologiam!)
poſſis audire. Et, *ſi videris ſenſatum*
(en Philoſophos! en Rhetores! &c.)
evigila ad eum, & gradus oſtiorum illi-
us (id eſt, Academiæ ſpatia) *EXTE-*
RAT PES tuus. Satis non ſit diver-
tendo animi causâ inviſere, ut ſolemus ad
marmorea palatia, & arces: aſſidua fre-
quentatione domus ſapientiæ coli vult.

Templo, alligantur gratiæ, & favores ſpecialio-res. Sed redeamus ad Templum Numi-
nis, & videamus obiter, Locum hunc
Sacro-ſanctum ad aquirenda beneficia
Divina eſſe opportuniſſimum, nec uſ-
quam inveniri gratiam citiùs, quàm *in*
Templo. Quod patet ex inſtitutione Di-
vina volente ubique terrarum Nominis
ſui Honori erigi loca ſacratiſſima, exci-
tari Templa, Baſilicas ſtatui, quibus
ſpecialiores alligaret favores, & ubi, vel-
ut in quodam audientiæ ſecreto palatio
populorum vota, petitionésve exaudi-
at, & peccata dimittat. Igitur de om-
nibus Chriſtianorum Templis Sacro
Chryſmate delibutis, repetit hodie Di-
vina bonitas, quod auguſtali Salomonis
Templo quondam promittere dignata
eſt: Erunt *oculi mei, & cor meum ibi* 2. Par. 7. 15
cunctis diebus. Fronte prima videri poſ-
ſit creditu arduum, Dei majeſtatem,
quam cœli cœlorum capere nequeant,
certis aliquomodo locorum ſpatiis limi-
tari? mirum tamen non eſt, ſi Divina
Majeſtas voluit præſentiæ ſuæ ſplendore
ea loca magnificentiùs replere, quæ No-
mini ſuo dicata, conſecratáque eſſent.
Cor meum ibi: quaſi non alibi, niſi in Templo. *Ibi cor*, quaſi mortuus alibi Deus eſſet, in ſolo Templo regnaret, viverétque, *Cor* enim eſt principalis vi-
tæ ſedes, & fons. *Ibi aures, & oculi*, quaſi alibi nec videret, nec audiret.
Quod non ita accipiendum, ut literam
ſequamur; nam ſi ubique eſt Deus, De-
us noſter non eſt alibi mortuus, itaque
ubique aperti ſunt oculi ejus; ubique
aures ejus ad preces fidelium intentæ,
ubique natura ejus ad miſericordiam
dandam parata, & prompta, ubique vi-
vit, ubique regnat. At quòd certis in
locis plus, ac ſpecialiùs apertos dicatur
habere oculos, id ſpecialiſſimam pro-
penſionem declarat, eſſe nimirum lo-
cum aliquem, ad quem vel omnia, vel
potiora ſua dona danda limitavit.

Ibi cor, & oculi Dei.

Inde eſt, quòd olim cum nulla Im-
mortali Deo Templa ſtarent erecta, ad
quæ ſpecialiter limitarentur beneficia Di-
vina; tamen vel pro illo adhuc Populi
ſtatu, creſcente viribus, & divitiis Re-
publicâ: voluit Divinitatem ſuam certis
in locis adorari. Mandato quippe Dei
Iſraëlitæ jubentur convenire in locum
Maſpha. Rationem dat Sacer textus:
eò quòd *locus orationis*, & impetratio-
lis *antea erat in Maſpha.* Prævidens er-
go Deus propenſionem populi ad Idola,
quibus loca cætera ſcatebant; voluit
eos non ſolùm unius ſummæ veræque
Divinitatis religione à cæteris diſtingui,
ſed etiam cultum ſibi certo, determina-
tóque loco fieri, ubi ſe ad vota fidelium
propenſiùs inclinaret. Hæc quidem ra-
tio locum in Chriſtianis vix habet, po-
ſteaquam Diabolus exulat, & Idolis ter-
ra liberata eſt, maximè poſt Chriſtum
Natum, qui terras piiſſimo adventu ſuo
conſecravit, & lavit nos à peccatis no-
ſtris in ſanguine ſuo. Ideóne Templa
Chriſtianorum claudenda erunt? mini-
mè.

1. Mach. 3. Ob caven-da Idola, Templi neceſſitas.

Christianos quænam Idola detineant?

mè. Parum vestrâ intereſt, Chriſtiani! utrum ab Idolis impetamini, quæ ſunt *Dæmonia;* an verò à ſæculi pompis, & curis ſuperfluis, ac voluptatibus hujus vitæ obſideamini? Sufficit ad non recipiendum Chriſtum, ſi occupemur in Mammona; ſufficit Idolum, quod in culina eſt; ſufficit Idolum, quod in fundo ciſtæ eſt; Rebecca prætendebat, ſe Patri non poſſe aſſurgere: ne argentea *Idola* quibus inſidebat, cogeretur dimittere. Sufficit ad non impetrandum ſalutaris gratiæ donum, ſi propter ſimilia vanitatis mundanæ ſimulacra detineamur, ne adeamus ad thronum gratiæ, contemnamus Templa, negligamus Feſta, poſthabeamus Indulgentiarum theſauros Templis alligatos. Unde fit, ut gratiæ donum, pro quo ſuffeciſſet, *Triduum*, imò diei ſpatium: ne toto quidem Triennio petentes obtineamus, quia *tempus*, & *locum* non obſervamus: Tempus, in quo Deus vocat; Locum, ubi *Oculi mei, & Cor meum*, dicit Dominus. *Suſcepimus* (ajebat Deo Rex Sanctus) *miſericordiam tuam in MEDIO Templi tui.* Nec ſimpliciter Templum, ſed *medium Templi* præſcribit ad miſericordiam Divinam impetrandam; propter eos, qui domi adorant, & Templa contemnunt. Contra quorum exceptiones præclarè Chryſoſt. *Domi quidem orari poteſt, ſic autem, ut in Eccleſia, non poteſt, ubi tanta Patrum multitudo, ubi clamor ad Deum unanimiter emittitur; non ita ad Dominum per te ſolum orans audieris, ut cum fratribus tuis. Hic enim majus aliquid eſt, puta unanimitas, & conſonantia charitatis vinculum, & Sacerdotum orationes.* Atque iſtius unanimitatis fructum præclarum cenſeo non ſolum publicam ædificationem ex bono odore Chriſti in omnes diffuſo: ſed etiam privatum ſingulorum emolumentum: ut fervor multorum comprecantium exemplis excitetur, & quod alicui deeſt, aliorum cordibus, & linguis compenſetur; ſic enim fiet, ut illa charitas, quæ eſt in tot Chriſtianorum corporum invicem unitorum præſentia, ſi pariter in animis habeatur, vim habeat longè efficaciſſimam ad obtinenda beneficia à DEO, qui charitas eſt, non ſolum per immenſitatem, quâ omnia replet; ſed etiam per aſſumptam humanitatem verè, & ſubſtantialiter præſente. Cujus in Evangelio vox omnium inſtar rationum eſto: Promiſit enim Chriſtus: *Ubicunque duo, vel tres convenerint in Nomine meo, in medio eorum ſum.* Et quod fiduciam ampliat noſtram: *Quodcunque petierint in nomine meo* ſic uniti, *fiet illis.* O plenam fiduciæ promiſſionem! ô charitatis vim potentiſſimam! Quis ambigat jam, quin hujus unanimitatis defectu ſicut Templa languent, ita in cœlo expeditiones votorum, ſubſcriptiones Inſtantiarum, quas Deo porrigimus, differuntur, & ubi ad impetrandas gratias ſatis fuiſſet *Triduum*, ſi preces adunarentur, ſuccedit *Triennium*, utinam non *ſæculum!* Noſter, noſter languor Pacem moratur; deſidiâ noſtrâ, & tepore perit mundus, funditur innocentium ſanguis, devirginantur Templa, vaſtatur Eccleſia, Hæreſes in turbido proficiunt. Et in cœlo vota non ſubſcribuntur, quia Templa, & in Templis unio tot cordium evanuit.

Pſ. 47. 10.

Quid ſit orare in medio Templi.

Chryſoſt. hom. 29. ad Pop.

Matth. 18. 20.

Joan. 10. 35

Templi neglectu differri Dei beneficia.

Chriſtiani! Deſideratis miſericordiam Dei ſuſcipere? quærite illum theſaurum *in medio Templi.* Notate myſterium, quomodo Deipara noſtra declaret, ſe modo perfectiſſimo quæſiviſſe Filium ſuum: *Ego* inquit, *& Pater tuus, dolentes quærebamus te.* Nec ſola Beatiſſima, nec ſolus Joſeph intendebant curas in Divinum Puerum: ſed junctim; *Ego, & Pater tuus;* concors dolor in quærendo; concors amor in reperto, concors cura in cuſtodiendo. Sic planè & nobis alloquendus eſt Deus. Simul omnes; Dux, & milites; Proceres, & populi corona; *Juvenes, & Virgines, Senes cum junioribus laudate nomen Domini*, ut digni efficiamini ſuſcipere miſericordiam in Templo, *in medio Templi.*

AMEN.

Fructus conventûs Chriſtiani.

IN

IN EADEM DOMINICA
SERMO II.

Jaurini, 1705. *Nesciebatis, quia in his, quæ Patris mei sunt, oportet me esse.* Luc. 2.

SUMMARIUM.

Argumentum est de Templo; nimirum ut supplicationes nostræ feliciùs expediantur, satis non est, in Templo apparere: necesse est, ut in his, quæ DEI sunt, *tunc occupemur; hoc est, ut in Templo quæratur Deus, & rectè quæratur.*

I. *Origo Templorum.*
II. *Tres mutationes vitiô nostrô invectæ in Templa.*
III. *Finis & Scopus, quô Templum adeundum.*

Isa. 60. 14. SI multæ Matres die hodierno quærerent filios suos (dico, *Filios*, quia scriptum est: *Filii tui de longe venient, & Filiæ tuæ de latere surgent.* Sinamus Filias sub alis ad latera Matrum commorari, nec unquam longiùs abesse ab oculis: secùs res agitur cum filiis, quos *de longe* venire audis: ego tamen hodie non Aulas adseram, non Academias exteras, non militiam, & servitia Principis memorabo: nostram Civitatem solis fere mœnibus, ad summum hortorum ambitu definio) intra quos terminos si multæ Matrum suos venarentur filios Dominicis potissimùm, ac Festis diebus, ubinam putas, eos invenirent? Alios in visitatione Templorum, & Vesperis, Litaniis, Deo, ejúsque Matri devotos. Quale gaudium! Alios in conversatione, & colloquiis Religiosorum, apud Dei famulos ea, quæ sunt Dei, tractantes; alios in cameris, & cubiculis sedentes *in medio Doctorum*, sive Librorum. Quale solatium Matri, quam filius sapiens exhilarat! quando videt in filio applicationem, & Dei imitationem in sapientia, haberéque nobilissimam sui partem, id est, animam divinam in corpore, quod ipsi de terra ministravit. Tales Parentes verè possunt lætari de dato optimo, & omnium curarum oblivisci. Aliæ Matres, nescio quônam fatô, filios uteri sui fere in chartifoliis, & tabernis reperiunt, & quæ inde proveniunt, in certaminibus, & rixis, & die sequenti in carcere; optabúntque se Lapidem genuisse præ tali filio. Faciat Deus pauciſſimas tales Matres, quæ reperiant filios in suspectis, & male olentibus amicitiis, viciniis, commerciis periculosis.

Idem est, si faciamus Beatam Virginem Sodales Parthenii sui quærentem.

Christus à Matre sua inventus hodie in Templo. Ubi enim Filius Dei convenientius moraretur, quàm in domo Dei? *Nesciebatis, quia in his, quæ Patris mei sunt, oportet me esse?* Putâssem ego in comitatu Cognatorum (quemadmodum existimabat etiam Parens Sanctissima) indubiè inveniendum fuisse Christum: illi enim devotissimi redibant è divino opere, cujus gratiâ quot annis ter ad augustale Numinis Templum ventitabant; quis autem locus, quis cœtus, & comitiva aptior ad quærendum, & inveniendum Deum, quàm ubi non tam sanguine, quàm religione, moribus, pietate cognati in uno Deo colendo junguntur? Aut quodsi nec isti apti, qui Christum demonstrent; quomodo moribus dissoluti erunt apti, qui Templa negligunt, nunquam de Divinis inter se tractant? Inter hos Christum spores reperiendum? Quodsi ad horum te misceas consortium habens apud te Deum, perdes, cogerisque seriò cum Maria queri: *Tulerunt Dominum meum, & nescio, ubi posuerunt eum.* Et ne longior sim, dico: Quæri oportere Deum primariò in Templo. Ibi est locus Dei nobiscum habitantis, ibi solatia, ibi *refugium nostrum, & virtus.* Verùm si neque ibi reperiri queat solatium, an enim omnes, qui calcant limina Basilicæ, & divinis intersunt mysteriis, bene expediti dimittuntur? Duo ergo requiruntur: Ut & in Templo quæratur Deus, & rectè quæratur, h. e. ut tunc *in his, quæ Patris* æterni *sunt*, occupemur, & non in aliis. Quod erit dictionis hodiernæ argumentum. Favete.

Joan. 20.

§. I.

Origo Templorum.

Verum est, extitisse tempora, quibus nondum exstarent Templa Divinitati erecta, sed Deus, qui *non procul est ab unoquoque nostrûm, imò adest cunctis obsecrationibus nostris;* adibatur ubique & ad Deum recurrebatur fiducialiter *in omni loco dominationis ejus.* A condito mundo usque ad felicia Davidis, & Salomonis tempora, nullum legimus Templum extitisse: nullum tamen fuit tempus, quò non adibatur, & consulebatur Deus, ut auxiliaretur populo, & hæreditati suæ. Erigebantur altaria in obvio locò tanquam monumenta beneficiorum: ficubi Deus aliquem vel alloquio dignatus, vel speciali gratiâ, tutelâ, & favore præveniſſet, mox Ara stabat; ubi Dei pedes constitisſent, aut scalarum pes fixus fuisſet cacumine in cœlorum sublimia protenso; jam fiebat locus sacro-sanctus, & præcipuâ reverentiâ dignus; quodſi quem Deus è rubo, & medio flammæ compellâsſet, illico jubebatur calceamentis nudare plantas, magnâque cum reverentia calcare locum divinitatis præsentiâ sacratum. Dein Moyse populi duce, Templi vicem præstabat Arca, intus auro, foris vestita sagò, ac cilicio: ad quam quoties populus Dei pro oraculo in dubiis, pro ope in periculis, pro auxilio in neceſſitatibus fiducialiter confugiebat, salva res erat domi, militiæ, ruri, ubique Deo protectore tuti, & plus quam muro Sinico defensi. E contra ubi populi secessionem ad Deos ignotos, aut alia publica flagitia plectere decrevit, sustulit illis divinam hanc Arcam, quâ velut ultimo Palladio capto, supremum Genti excidium timebatur. Hæc denique Arca fœderis illata fuit, ac veluti coronata sumptuoſiſſimo Salomonis Templo multis auri, argentique millionibus regiâ magnificentiâ constructo: in quo post innumera cœli beneficia, hodie Christus thesaurorum maximus repertus est. *Invenerunt eum in Templo.* Non alibi? non. Et nullibi ita, quomodo in Templo Domini Templi Dominus.

Deut. 4.

Psal. 102.

Mirum proinde non est, si Propheta regius divinis illis suis Psalmis, quasi cœlesti vaticinio *Duodennem* hodie Christum comitaturus in Templum Domini: *duodecies* faciat mentionem *Templi Dei*; quod etsi non nesciam sæpius intelligendum esse de sanctuario illo cœlesti, attamen hoc ipsum mihi est calcar, & argumentum: quòd quemadmodum in cœlesti illo Templo videtur Deus nunquam sine liquidiſſimo solatio Beatorum: sic Templum terrestre, quod hodierna Filii Dei præsentia consecravit, nunquam sine solatio fidelium adiri possit, quin ibi pueri timorem Dei, juvenes donum sapientiæ, virgines continentiam, afflicti opem, egeni divina subsidia, perturbati lucem consilii, pusillanimes robur, virtutémque ex alto reportent, neminémque Deus à se tristem, mœrentémque abire patiatur. Nedum confugientibus sub alas suas Deus Patrem se, & protectorem semper præbuit, sed etiam domesticis focis & laribus, quos causâ adeundi religioso officio Templi reliquiſſent, optimè prospectum, consultúmque voluit: *Nullus insidiabitur terræ tuæ ascendente te, & apparente in conspectu Domini Dei tui, ter in anno.* In hostium medio constitutis Israëlitis istud promittebat Deus; quasi diceret: Non tantum id habebitis felicitatis, quòd in Templo meo, ubi vobis audientiæ palatium erexi, cum Exercituum Domino loquemini, & quæ vos premunt mala fiducialiter expectorare poteritis; sed etiam hanc consequemini utilitatem, quòd in medio hostium constitutæ fortunæ, domúsque vestræ, protectione meâ firmius, quàm omni serâ, ferreisque postibus defensæ persistent, dum absentibus vobis ego larium protector ero vestrorum. En! quomodo causas omnes, siquæ nos ab aditu Templi Dominici arcere possunt, occupavit & prævertit. Quænam causa supereſt, quâ vos excusari creditis à Concionibus, & Templis? Dicitis, Timeo damnum, vereor incendium, & milites; habeo parvulos domi &c. Ut ut sit, has omnes causas allegare poterant Israëlitæ, & plures his, ac majores: illis veniendum erat à pluribus milliaribus: vobis etiam qui remotiſſimi estis, cum itu, & reditu horæ spatium sufficit; illis torrentes transeundi, æstus cœlique injuriæ totos sæpe dies ferendæ, itineri providenda alimenta: vobis nihil simile accidit. At interea fortunæ expositæ sunt furibus? obviat Deus: *Nullus*, inquit, *insidiabitur terræ tuæ. Hoc vult Deus intelligi, ut securus quisque ascenderet, ne de terra solicitus esset, Deo promittente custodiam*: inquit S. Auguſt. Tu securiorem putabis domum tuam, substantiam tuam, parvulos tuos, ignem & focum tuum te domi remanente, quàm in locum

Deus venturos ad Templum suum, de possessionibus suis securos esse jubet.

Exod. 34.

Christianorum iter ad Templum cum Israëlitarum itinere confertur.

S. Augus.

cum tui ſuffecto terribili protectore? Ecce Iſraëlitæ terram ſuam relinquebant, & Deo commendabant. Novi fœminam nobilem tunc recèns converſam ad fidem: cui dum divinis myſteriis aſſiſtenti in Collegii Templo nunciaretur, flammam, quæ Urbem jam populabatur, plateæ, domuique ejus viciniorem: perſtitit orans, eventúmque omnem Deo commendavit; cùm ecce! Catholica Juventus repentè de Seminario effuſa, domibus omnibus poſthabitis, rectâ Deo duce ad illius domum advolat, flammámque jam lignis areæ incumbentem feliciter reſtinguit, cùm antè retróque vento ignem portante amplius LX. domus arſiſſent. Quotidiana pene ſunt iſta divinæ providentiæ miracula, ut talibus exemplis, & recèns converſorum fidem adaugeat, roborétque, & noſtrum teporem è contrario periculis verberet, qui terram quærimus præ Deo, & dum metuimus anxiè temporalibus, & hæc, & æterna amittimus; aut ſaltem utne æternis excidamus, in temporalibus flagellamur, & punimur.

Exemplũ divinæ providentiæ, adoratores ſuos protegentis.

Ad excuſandas excuſationes in peccatis ſuis, audire videor quosdam dicentes ad hæc: Quid igitur, iine omnes, qui Templum adeunt, beati & felices? Tot millia hominum quaſi ad gazophylacium confugimus ad Templum, quærimus Deum, & non invenimus; pulſamus, & non aperitur. Vel templa ſunt mutata, vel Deus eſt mutatus, vel fortaſſe nos ſumus mutati, vel denique omnia mutata hæc tria. Dico: Deum in ſe nullo modo mutatum eſſe. *Ego Dominus, & non mutor.* Neque Chriſtum: *JESUS Chriſtus heri, & hodie, ipſe & in ſæcula.* De Templis hodiernis dicere non auſim, quin in aliquibus Civitatibus mutata ſint, ſi non quoad exteriorem, & viſibilem figuram turrium, columnarum, ararum: certè, quod his omnibus majus eſt, quoad religioſum cultum: quem aliquibus in locis immutatum innuit Chriſtus dicendo: *Domus mea, domus orationis eſt: vos autem feciſtis eam ſpeluncam latronum.* Ecce mutationem Templi, & in Templis hominum! Quomodo *Domus Dei* eſt, & eſt *ſpelunca latronum?* Quia loco orationis, loco religioſi cultûs ſubintrârunt in Templum Ementes, & Vendentes. Alii intrant Eccleſiam, ut oculis ſe vendant; alii, ut emant. Quid eſt emere, vendere, & orare? Orare eſt colloqui cum Deo: quando enim concionem audimus, Deus nobiſcum; cùm oramus, nos cum Deo loquimur. Hoc ergo eſt orare. Emere, & vendere, eſt colloqui cum iis, quibuscum vendimus, & emimus.

Mal. 3. 6. Hebr. 13. 8

§. II.

Tres mutationes vitio Chriſtianorum invectæ in Templa.

Et quî fieri hoc poteſt, ut cum Deo loquamur, & cum iis, quibuscum nundinamur? In ſenſu myſtico hoc aliud non eſt, quàm & Templum mutare, & negotium mutare, & nos mutare. Templum, in quo Patres noſtri adoraverunt Deum, nos commutamus in locum mercimoniorum; Deum commutamus cum hominibus, & nos ex Chriſtianis facimus (ſi ita libet dicere) *Latrones.* Quid ita? Quia graſſamur circumferendo non enſes, ſed oculos; non jacula, ſed linguas; non arcus, ſed riſus petulantes in præſentia Angelorum. Furamur ſuam Templo dignitatem, eripimus Deo authoritatem, & Angelorum reverentiam ad homines transferimus; ipſam Orationem noſtram mutamus in peccatum, ſicut ſcriptum eſt: *Oratio ejus fiat in peccatum.* Templum in ſpeluncam, nos in latrones, Orationem in peccatum. Quæ ſuperat ſpes ſalutis? Id nobis non pridem accidit, hæc contagio, & labes domi inaudita, ex commercio exterarum gentium ad nos manare cœpit per officioſas cærimonias paulò pòſt in latrocinia deſituras; ſic enim fiet ſenſim, ut ex Templis faciamus fora, & palatia, domósque ſalutationum, & officiorum, ut qui pridem inter ſe mutuò non viderint, invicémque nova, & eventus non communicaverint, in diem ſolemnis in Templo congreſsûs officia humanitatis reſervent. Non eſt hoc mutare Templa, & mutari homines? Pſal. 108.

AA. Chriſtiani! Res eſt in quæſtione: Quâ demum ratione inveniri poſſit Deus, ejúsque miſericordia, & gratia? vel aliter: Quomodo & ubi dignè poſſit Chriſtianus in tantis calamitatibus quærere ſibi refugium? Et ego dico: luſtratis modalitatibus omnibus fateri debemus id, quod faſſus eſt S. David: *Labor eſt antè me, donec intrem in ſanctuarium Dei.* Quò mecunque verto, deprehendo ubique defectum, & nullum ſolatium vel in hominibus, vel aliis. Quid ergo? Surgam, & *Introibo ad altare Dei;* ibo ad Deum meum, ibo ad ſanctuarium Dei, ibique proſtratus, & ſupplex clamabo: *Deus refugium noſtrum,* Pſal. 72. Pſal. 45. 2.

ſtrum, & virtus! Id ipſum nos putamus fieri oportere, ut in anguſtiis Deum requiramus; quærimus, & non invenimus. Et cur? quia Deum quærendo aliud quærimus. Similitudine quærentium aliquid illuſtremus, ſi placet, hanc veritatem, & clarè deprehendemus, nec Deum eſſe in cauſa, nec Templum, ſed nos, quòd vacui revertamur. Notate bene, qui rem aliquam quærit, tota mentis intentione in id unicè fertur, quod quærit, aliorum omnium tunc obliviſcitur. Audias pariter, cum in Templum te contuliſti, illud tibi dici à Chriſto, quod Militibus in horto: *Quem quæritis?* Dixerunt: *JEſum Nazarenum. Ego ſum. Dixi vobis, quia ego ſum: ſi ergo me quæritis, ſinite hos abire.* Si Deum quæritis, ſi JESUM invenire vultis, & hoc propoſito adveniſtis, ſeponite alia omnia, ſinite abire cogitationes, & actiones alias, & ſolum Deum in domo Dei quærite, Deum cogitate, Deum invocate, & certiſſime, ſi ſæpe à non quærentibus invenitur, multò facilius rectè quærentibus ſuam præſentiam revelabit. Si conſilium quæris, aliud nihil agas, quàm agis quoties prudentiſſimum aliquem conſilii gratiâ adîſti: quàm attentè auſcultas, quàm te dociliter geris, quàm ſubmiſsè gratias agis? Si medelam vulneribus deſideras, ſi lumen, ſi pacem, & opem quam ſolus Deus dare poteſt; ſaltem ne deteriore loco habeto Deum, quàm dum accedis Patronum aliquem, ac Benefactorem ſingularem. *Quomodo te audiri poſtulas* (inquit Orator, & Martyr) *cùm teipſum non audias? Vis Deum memorem eſſe tui cùm rogas, quando ipſe tui ipſius memor non es? Hoc planè eſt vigilare oculis, & corde dormire.* Quaſi dicat S. Orator; Ad aliquid inveniendum ſatis non eſt eſſe in loco, ubi res depertita eſt; oportet ut oculi & mens intrinſecus adſit, & tota hominis intentio ibi occupetur, ubi quod diligitur, veſtigatur: ita non ſufficit Chriſtiano apparere intra penetralia Templi, ubi Deus eſt; ſed verè Deum quærere corpore, & mente, ut inveniatur.

Deus ut inveniatur, etiam in Templo debet ille quæri, & non aliud.

Joan. 18. 4. & 7. 8.

S. Cyprian.

Hiſtrionicum planè, & ludicrum modum accedendi ad Deum quorundam hominum, refert Scriptura: ex quo apparet, nec Deum mutatum eſſe, nec Templum, ſed homines in Templo, quò minus Deum, qui tamen præſens erat, 2. Par. 29. invenirent. *Averterunt*, inquit, *facies ſuas à Tabernaculo Domini, & præbuerunt dorſum.* Poterátne item vel ſitus inconcinnior cogitari, quàm qui calamo Prophetico refertur ad horrorem: *Verterunt ad me tergum, & non faciem?* Quid hac ſimilitudine aptius dici poſſit de peſſimo modo quærendi Deum? *Verterunt ad me tergum, & non faciem.* Rogo vos, videte, & auſcultate, quid populus meus faciat mihi. Venerunt ad Templum, ubi ante illos eram: & illi non faciem ſuam, ſed *tergum verterunt ad me;* eſsétne dignum convenire, vel honoratum hominem, & taliter alloqui? Quid ergo mirum, ſi Majeſtas illa ad ſupplicationes noſtras, & lamenta tergum obvertat, ſinátque in calamitatibus natare nos, nec manum porrigat? *Si quæritis, quærite* illum, *quærite faciem ejus ſemper;* mutate animos veſtros, & mentes. In præſentia Dei verſari in Templo, ſtare facie converſa ad Deum, & cogitatione Urbem pervagari & fora, éſtne hoc quærere Deum? Porrigere altaribus genas, & mentem in conviviis, & ſpectaculis circumferre? Quid dico mentem? Anima incompoſita, & vaga neceſſe eſt, ut & ſenſus omnes tales efformet, qualis ipſa eſt, diſſolutos, ac circumforaneos, os lubricum, oculos velut aucupiis intentos; & hoc coram Deo, & in Templo Dei? *Si quæritis, quærite, & convertimini; venite*, non tam corporeis plantis, quàm ſpiritu adeſſe, *Nam & Pater tales quærit adoratores: Spiritus eſt Deus, & qui adorant eum, in ſpiritu, & veritate oportet adorare.* Sic quærite, ſic faciem, ſic cor, & potentias, ſic mentem, & oculos ſupplicum more dirigite ad Deum; & ego ſecuros facio vos, quòd invenietis quem anima veſtra poſtulat. Ita hodie afflictiſſima Mater Chriſtum invenit, recepit, retulit. Et nihil aliud? quia nec aliud quæſivit.

Isa. 21. Pſal. 104.

Joan. 4.

Quid ſit Deo dorſum vertere in Templo?

§. III.

Finis, quô Templum intratur, eſt, ut detur gloria Deo.

In Templo quid quærere, quo fine huc intrare oporteat, S. David paucis expreſſit: *In Templo ejus omnes dicent gloriam.* In Templum, inquit, non hoc fine intratur, ut inter ſe mutuò videant, conſalutent, ut Templi apparatum, aurea vaſa, veſtes, ſtatuas, columnas, vexilla, Inſcriptiones marmorum admirentur, & legant ſed, ut *in Templo omnes dicant gloriam:* Viri, & fœmine ſedilibus diſcretæ, *Juvenes & Virgines, ſenes cum Junioribus laudent*

Pſal. 28. 9.

nomen

nomen Domini, quia exaltatum est nomen ejus solius. Intramus in Templum omnes, ut dicamus, & demus *gloriam* Deo Patri, qui nos creavit; *gloriam* Deo Filio, qui nos redemit; *gloriam* Deo Spiritui Sancto, qui nos sanctificavit, & renovavit. Ut dicamus, & demus *gloriam* illi uni, qui solus eam meretur; *gloriam* reddamus linguâ, quæ hoc fine primario creata est, ut Creatorem suum laudet; reddamus memoriâ, revocando nos ad commemorationem tot beneficiorum, & gratiarum, quas de illius manu suscepimus, ut amplioribus digni reddamur; reddamus pariter Intellectu, *psallendo sapienter*, i.e. ut noverimus, quem in finem huc venimus? quem quærimus? ad cujus fores pulsamus? Voluntas denique & Anima tota, Psal. 15. *velut adipe, & pinguedine* repleatur, cùm in Dei laudibus occupanda erit; reddamus denique exteriore ipso corporis situ, qui supplices deceat; ut enim Simile. qui è fonte bibere vult, genua flectit: ita Deum nostrum cum Abrahamo humi cinere, & pulvere coopertos alloqui decet: Gen.18.27 *Loquar ad Dominum, cùm sim pulvis, & cinis*, ut ad memoriam pulveris unde plasmati sumus, etiam veste pulverem referamus: *Cùm sim pulvis, & cinis.* Unde? nisi ex situ, in quo Deum adoravi. Jam nos si corpora ferimus ad Templum, & Animas domi relinquimus, quæ utilitas? quoniam, si factu possibile esset, omnino contrarium fieri oportuit: ut corpora relinqueremus domi, & solo spiritu, ad Deum, qui spiritus est, accederemus. Hanc discretionem eo modo, quo potuit, perfecit prudens Matrona illa, & in hac Patria vestra dignitate illustris: quæ filias suas Virgines passa non est in Templo Coronam Marianam recitare, sed domi: in Templo autem jubebat preces facere ex Libro, quò collectior fieret orantium mens, & minor daretur oculis exspatiandi libertas. 1.Cor.7. *De Virginibus præceptum Domini non habeo*, dicebat Apostolus in alia linea: *Consilium autem do*: Hic verò ætati puellari non tantum consulo, sed præcipio silentium, & modestiam: cujus cum ubique ipsas meminisse oporteat, tum maximè in Templo oculos continere debent. Quod divinus Amor facilè ab ipsis impetrabit: Nam si Venatores solent Accipitri oculos velo obducere, ne viliorem prædam consectatus, amittat nobiliorem: sic in Templo divinus Amor ipsis oculos velet, ut ad nihil aliud, quàm ad Deum sint unicè intentæ, qui alioquin apud ipsas peculiari quodam privilegio inhabitat, tanquam in proprio throno suo, & curru. Audiamus Chrysostomum: *Non sic ii, qui aureas induti togas, & equis auro ornatis vecti, & aurea ferentes sceptra, & gemmata monilia, præsentes Regi videri debent, ut Virgo Christo. Nam, illi quidem apud ipsum currum regium versantur, Virgo autem* REGIUS *quoque* CURRUS *sit, sicut* Cherubim, *si vult, & adstat ipsi sicut* Seraphim. *Igitur cùm in publicum se recipit, oportet, & omnis Philosophiæ specimen præbeat, & omnes in stuporem convertat, sicut* Angelus *si nunc de cælo descenderet, & sicut* Cherubim *aliquis, si in terris appareret.* Ita os aureum. S. Chrysost. Ser. de cohabit. Vir. & Mul. Regul.

Ad omnes præcepto Domini, & mandato cautum est, ne, qui in Templum Domini ingrediuntur, illud dehonestent, ex eóque faciant *speluncam latronum.* Quodsi Deum quærunt (alioquî satius est domi remanere) quærant in simplicitate cordis, cum modestia, & reverentia, qualis domui Dei, & Angelis præsentibus debetur. *Si quæritis, quærite*, quomodo quæsiverunt Sancti tres Reges, non quomodo Herodes. Iste Redemptorem natum vestigabat, ut occideret; illi quærebant, ut adorarent; isti fide, ille dolo quæsivit, & quia insincerè quæsivit, eum invenire non potuit, tametsi per omnium Infantium pectora eum rimaretur, pervenire ad unum illum non potuit; ad quem Sancti Reges rectissimis itineribus deducti in terra aliena thesaurum repererunt, quem Judæi ignorârunt in sua. At vos nôstis, ubi thesauri lateant, ubi gratiæ, ubi benedictiones quærendæ, utique in Templo. Unde ergo est, quòd vobis huc ingredientibus thesaurus fugit, & recedentibus thesaurus redit? Ego interna vestra non scrutor, ista Deus judicat, quis quo fine huc veniat; sed ex iis quæ foris homini patent, concludo, multos posse vestrûm ad dona Dei recipienda meliùs se præparare, & disponere. Etiam in Templo oportet Templi Dominum quærere, & rectè quærere; oportet inquam ea quærere, ea tractare, quæ æterni Patris sunt: *Quæ sunt Dei Deo*, quæ autem Cæsaris, quæ mundi, quæ amicitiæ, quæ humanæ ac civilis utilitatis sunt, ea in aliud tempus & locum reservare. Jam *dixi vobis, quia ego sum! si ergo me quæritis, sinite* abire, Joan.18.8. quæcun-

Quæri debet Christus cum Magis, & non cum Herode. Isa. 21. Intrantibus quibusdam, Deus de Templo fugit: recedentibus eò redit.

Matrona Hungara cur vetabat Filias suas in Ecclesia orare Rosarium?

Simile.

quæcunque ſacros hoſce parietes contriſtant, emaneant hæc, excludantur ſacratis liminibus. *Si me quæritis*, quærite, proſternite preces veſtras in confeſſione, & in miſerationibus meis multis; dicite: *Domine Deus! nobis confuſio faciei, Regibus noſtris, Principibus noſtris, & Patribus noſtris qui peccaverunt in te: Tibi autem Domino Deo noſtro miſericordia, & propitiatio. Oſtende faciem tuam ſuper ſanctuarium tuum, & Civitatem ſuper quam invocatum eſt nomen tuum: & ne moreris propter temetipſum Deus noſter, quia nomen tuum invocatum eſt ſuper populum tuum.* Sic nunc belli tempore ſalus publica Civitatis, & Regni, ac privata omnium noſtrûm Deo commendanda; ſic anima ſingulorum Civium, velut aqua, effundenda in conſpectu Dei; ſic in Templo miſerationes divinæ quærendæ totius Eccleſiæ genibus flexis: quô fiet ut miſericordiæ theſaurum ingratis, & indignis tam diu ſubductum, rurſus reductum, læti invenire mereamur, benignitate, & gratiâ Domini noſtri JESU Chriſti. AMEN.

Dan. 9.

IN EADEM DOMINICA
SERMO III.

Et JESUS proficiebat ſapientiâ, & ætate, & gratiâ apud Deum, & homines. Luc. 2.

SUMMARIUM.

Chriſtus, in quo inhabitat omnis plenitudo, *Coloſ. 1. 19. quomodo dicitur* profeciſſe ſapientiâ, & gratiâ.

I. *Differentia, quâ Humanitas Chriſti, & alii Sancti, dicuntur* pleni Spiritu Sancto?
II. *In cæteris Juſtis per bona opera ipſi* habitus *augentur.*
III. *Documenta de noſtris profectibus virtutum.*

Sapientiæ duplex fructus: gratia apud Deū, & homines.

TRibus in rebus dicitur Chriſtus creviſſe, & profeciſſe, ſicut audîſtis: *Sapientiâ, & ætate, & gratiâ coram Deo, & hominibus.* Dignum ſanè exemplum & Parentibus, & filiis; quomodo debeatis & vos Patres inſtruere liberos veſtros, ut ſapientes, & docti aliquando evadant; & vos Adoleſcentes, ut ſtudiorum veſtrorum olim dulciſſimos fructus decerpatis, hoc eſt, *Gratiam coram Deo, & hominibus* inveniatis. Cum enim de ſapientia magnus ejus æſtimator dixiſſet Salomon: *Præpoſui illam Regnis, & ſedibus;* dat rationem primam, quæ eſt ad Deum: *Infinitus enim theſaurus eſt hominibus, quo qui uſi ſunt, participes facti ſunt amicitiæ Dei.* Ecce nobiliſſimam primam rationem, & fructum! per ſapientiam enim fiunt *amici Dei*, h. e. inveniunt *gratiam apud Deum.* Ipſa etiam eſt clavis ad honores, & divitias, quæ Sapientiam comitantur plerumque, tanquam fructus arborem; quæ eſt ſecunda ratio Salomoni ad commendandam ſapientiam: *Venerunt mihi omnia bona pariter cum illa.* Ecce *gratiam apud homines!* Spectando ergo Parentes filiorum ſuorum profectum literarium, meritò ſolatium habent in hoc, quòd ſui filii imitentur Deum, divinámque hanc ac immortalem poſſeſſionem ſibi vendicare ſtudeant, quâ & amici, ſimilésque *Deo* reddantur, nec minorem *apud homines aliquando gratiam*, affectúmque ſibi lucrentur. Quantus hic ſtimulus, & Parentibus ad rectam educationem, & Liberis ad fugiendam inertiam, calcar, & irritamentum! Quo in genere cum ante oculos propoſitum habeamus adeò illuſtre Chriſti Parvuli exemplum, creſcentis *ſapientiâ, & ætate, & gratiâ apud Deum, & homines:* Operæ pretium erit quantò explicatu difficiliorem, tantò gratiorem hodierna die pertractare Quæſtionem cum utiliſſimis documentis; videlicet: Quâ ratione Chriſtus, in quo ex uterò Matris inhabitabat *omnis plenitudo* donorum, nihilominus in virtutibus *profeciſſe* à Luca Evangeliſta dicatur? Hoc erit Thema. Favete Parentes, & vos attenti eſtote Filii: & reperietis in Parvulo JESU, ſpeculum eruditionis veſtræ.

Sap. 7.

Ibid.

Coloſ. 1. 19.

§. I.

§. I.

Christus in omni linea perfectionis infinitè dives, quomodo dicitur in his creviſſe?

Parvulus natus eſt nobis, filius datus eſt nobis, inquit Iſaias. Hunc porro Parvulum corpuſculi robore auctum eſſe, & *Ætate*, ſive ut Syr. & Arab. *ſtaturâ*, *proceritate* creviſſe, mirum non erit, quoniam more cæterorum filiorum Adam dum annis pueritiæ ſuccedebant animi adoleſcentiæ, convenientes ætati vires, & incrementum tribuebant ad ætatem perfectam, ac virilem: eò etiam magis, quod corpus illud Opifice Spiritu Sancto formatum, juxta illud:

Hebr. 10.5 *Corpus autem aptâſti mihi;* in omni linea perfectionis naturæ convenientis erat apparatiſſimum, & inſtructiſſimum, & tanto Opifice dignum. At verò eundem hunc Parvulum filium jam ex utero Matris *plenum ſapientiâ, & gratiâ*, ſuccedentibus ætatis ſpatiis *profeciſſe ſapientiâ, & gratiâ apud Deum, & homines;* hæc jam major, & inſignior quæſtio.

Ratio eſt: Quia Anima Chriſti erat ſancta non ſolùm propter unionem hypoſtaticam naturæ divinæ cum humana, quam totaliter ſanctificabat, & impeccabilem efficiebat: ſed etiam propter infuſam gratiam ſanctificantem, quæ à primo conceptionis inſtanti animam ejus reddebat puriſſimam, oculis Dei gratiſſimam, omnibus chariſmatis, & donis Spiritûs Sancti locupletiſſimam, & in omni linea ſanctitatis, & perfectionis ſuperexcellentem, ita ut idem Iſaias ad-

Iſa. 9.6. huc in cunis vagienti acclamet: *Vocabitur nomen ejus, Admirabilis, Conſiliarius &c.* Joannes verò ea omnia nomina compendio perſtringit ſub nomine *Gloriæ*, utique interiorem Animæ excellentiam, dotes ac ſplendorem deſcribens, cætera enim externa omnia humilitatem potius ſpirabant, & exinani-

Joan. 1. tionem gloriæ; *Vidimus*, inquit, *gloriam ejus, gloriam quaſi Unigeniti à Pa-*

S. Chryſoſt. *tre* (*quaſi*, id eſt, *gloriam*, qualis decebat Unigenitum Patris) *plenum gratiæ, & veritatis.* Conſonat Lucas:

Luc. 2. *Et gratia Dei*, inquit, *erat in illo*, ſubaudi, Parvulo, de quali loquitur. Et *gratia* non aliqua de excellentioribus, & maximis, ſed *gratia* complexa omnem plenitudinem donorum, ſupergrediens omnium Angelorum, & Sanctorum coronas, & merita ſine menſura, & infitè.

§. II.

Differentia, quâ cæteri Sancti dicuntur pleni Spiritu Sancto.

Verum eſt, cæteros etiam Sanctos Scriptura Sacra dicit fuiſſe plenos cœleſtibus chariſmatis, & donis: ita Virginem ſalutat Angelus, *Gratiâ plenam.* Stephanum vocat, *Plenum fide, & Spiritu Sancto*, Romani dicuntur, *Pleni dilectione;* Tabitha in Actis, *Plena operibus bonis*, Simon Pontifex Oniæ Filius: *Quaſi Luna plena in diebus ſuis.* Lucifer ſub vocabulo Regis Tyri: *Plenus ſapientiâ, & decore.* Sed grandi differentiâ Chriſtum inter, & ſervos; ſiquidem B. Virgini non propter ſe, ſed ob Chriſti perſonæ reverentiam, ac dignitatem eminentior gratia, ac privilegia collata ſunt; cæteris porro Sanctis confertur plenitudo virtutis proportione ad vocationis finem, & ad operis injuncti menſuram. Sic & vaſa proportione menſuræ, & capacitatis dicuntur *plena;* aliter plena amphora, aliter plena hydria aliter plenus fons, aliter mare plenum. Omnia hæc *plena* dici poſſunt, ſed differentiâ & exceſſu ſummè notabili, qualis eſt inter amphoram, & mare *plenum:* ita poſſunt & Sancti dici *Pleni Spiritu Sancto* in ordine ad finem vocationis, ut dixi, & ad operis injuncti menſuram; at Chriſtus continebat in ſe fontem inexhauſtum omnis plenitudinis, & gratiæ ſic, ut Cyrillo auctore, dona ſupernaturalia oportuerit communicari Chriſto ſecundum naturam ejus humanam in perfectione tanta, quantam Perſonæ divinæ exigebat majeſtas; ut quemadmodum in Chriſto inhabitabat plenitudo Divinitatis, omnem gloriam, & divitias ineffabilis naturæ illius continens: ſic viciſſim humanitati ejus, id eſt animæ, ac potentiis oportuit, ac decuit communicari omnia illa dona convenientia ſanctitatis, & gratiæ in altiſſima perfectione, qualis decebat perſonam quæ ſimul ſit DEUS ET HOMO.

Act. 6.5. Rom. 15.14 Act. 9. Eccli. 50.6 Ezech. 28. 12. Simile. S. Cyril. l. ult. de recta fide ad Reginas. Item l. 2. in Iſai. illa verba: *Egredietur virga.*

De cæteris Sanctis, & juſtis dicere, quòd profecerint virtutibus, creverint meritis, *ſapientiâ, & gratiâ coram Deo, & hominibus* aucti ſint; quòd paucis ſibi datis talentis operando alia plura talenta acquiſiverint, & quòd tanquam terra bona alibi *fructum* tulerint *ſexageſimum*, alibi *centeſimum*: mirandum non eſt; iſtis enim collata fuit gratia ſecundum menſuram, quæ gradatim aſcendere, creſcere, & perfici potuit, ſecundum illud: *Aſcenſiones in corde*

ſuo

ſuo diſpoſuit in valle lacrymarum, utique de minoribus ad majora enitendo. At ubi nihil eſt parvum, & mediocre, ſed omnia ſumma, ut in Chriſto, in quo
Coloſ.1.9. *complacuit inhabitare omnem plenitudi-*
Ibid.c.2.3. *nem*; &, *In quo ſunt omnes theſauri ſapientiæ:* potuiſſe nihilominus creſcere, & proficere in horum aliquo, equidem mirabile eſt. Etenim ſi Filium Dei *Sapientiâ* profeciſſe dicamus, aliquid hodie diſcendo, quod heri neſciit; vel profeciſſe ſanctitate, aliquem gradum acquirendo quem heri non habuit: neceſſe eſt utramque hodie perfectiorem eſſe redditam, quàm aliàs fuerit, ſecundùm il-
Apo.22.11 lud: *Qui Sanctus, ſanctificetur adhuc;* quomodo ergo hodie ſapientior, in quo heri *omnes theſauri ſapientiæ?* Quomodo hodie ſanctior, in quo heri *omnis plenitudo inhabitavit?* Oremus, ut illuminemur; fodiamus, & ſcrutemur, quantum poſſumus, ut in hac auriſodina theſaurum eruamus: quî fieri potuit, ut *Sanctus ſanctorum* hujusmodi progreſſiones ediderit virtutum?

Scio, quid ad propoſitam Quæſtionem nobilia illa ingenia reſpondeant.
Toletus. Toletus docet: quod per *ſapientiam & gratiam*, in quibus dicitur profeciſſe, & creviſſe Dei Filius: non poſſit intelligi Sapientia, & Gratia habitualiter in Chriſto permanens, ſed ſolummodo externi earum actus, ut actiones & reſponſa plena prudentiæ, quæ ex interioris illius ſapientiæ & gratiæ fonte foras promanabant.
V.Beda. V. Bedæ ſententiam novi: De Chriſto non ita dici, quòd creverit in his, quaſi procedente ætate acceſſerit ei gradus aliquis ſapientiæ & virtutis, quo prius caruiſſet; verùm ſolummodo quòd temporis proceſſu magis & magis explicaret inhabitantis ſapientiæ fulgorem, & ſanctitatis radios; quemadmo-
Simile. dum videmus in ſole, qui quamvis in ſuo ortu perfectiſſimus ſit, dicitur tamen creſcere, per partes, & proceſſus magis, magisque lumen ſuum diffundendo, uſque dum plenum attingat meridiem: ſic & incarnata Dei Sapientia (ut
D.Th.p.3. inquit D.Th.) verè creſcebat ſapientiâ, &
q.7.a.12. ſanctitate non quantum ad gratiam ſanctificantem in eo permanentem, ſed quantum ad ejus actus, videlicet quotidie alios, & majores perfectioréſque virtutum actus exhibendo: quibus etſi nec ſapientior, nec ſanctior efficiebatur, tamen actus iſti ſecundùm ſe ſpectati erant ejusmodi, qui poterant augere habitum gratiæ tot gradibus, quot meritis; & coronam tot gemmis ornare, quot actibus. Optimè.

Aliorum Sanctorum, & juſtorum profectus aliter ſe habet: iis quippe talenta, & gratiæ cum in pondere dentur, & menſura unicuique ſecundùm ſtatum, & vocationem ſuam: cum iis rectè operando, & actus virtutum exercendo, de die in diem proficiunt, & creſcunt non ſolum extrinſecè internorum habituum ſplendores magis, & magis promendo, ſed verè ipſos habitus augendo, ut ex Sanctis fiant ſanctiores, Deóque gratioſiores, & chariores. Ideo dicitur: *Qui juſtus eſt, juſtificetur adhuc, & ſanctus ſanctificetur adhuc.* Quo dicto monemur, debere quemque eſſe ſolicitum uſque ad mortem non ſolum ad retinendam, ſed etiam ad augendam innocentiam, & vitæ ſanctitatem cum puero *JESU*, *qui proficiebat ſapientiâ, & ætate, & gratiâ &c.*

In cæteris juſtis per opera bona ipſi habitus augentur.

Apo.22.11

§. III.

Documenta ad noſtros profectus virtutum.

Sed ut ſaluberrima hinc documenta eruamus, videamus, quomodo, & in quo nobis progrediendum? Ac primùm quòd ſpectat ad progreſſum ætatis, ad ſtaturæ, ac proceritatis menſuram: non magno admodum negotio ea res conſtabit Adoleſcentibus noſtris, quibus etiam dormientibus corporum proceritas accedet. Et quemadmodum, Simile.
qui navigio vehuntur, etiam dormientes progrediuntur: ſic noſtri Adoleſcentes, & puellæ etiam nihil agendo creſcunt; verùm ex hoc exiguum ſolatium Parentibus, & cura major, niſi creſcente ætate creſcant etiam virtutibus, & *gratiâ apud Deum*, & *homines*. Maximè cum de Filiis agimus, qui in ſpem familiæ, literarum ſtudiis admoventur: nunquam ſatìt eis inculcabimus, quanti ſit momenti ſtudendi labor, & diligentia Juventuti eò odibilior, quò ipſa ætas eorum magis ignea, & volatica; ſapientiæ autem ſtudium ſedendo perficiatur. Patris Caſpari Szarka è S. J. viri eminentis dictum erat: *Uno die quis Sanctus evadere poteſt, non item doctus.* Quod non ſic intelligendum volo, ut Adoleſcentes etiam protervos, & inſolentes patiamur; ſint blaſphemi, ſint laſcivi, modò Oratores boni, Philoſophi acuti; frequentent Templa, aut non, modò cauſas bene agant forenſes. Chriſtianæ ſapientiæ initium eſt Timor Domini; *Non intrabit in animam malevolam, nec habitabit in corpore ſubdito peccatis;*

peccatis; ut experientiâ quotidianâ utinam non pateret, eos qui pii non sunt, & casti, nec posse fieri sapientes ac doctos; Sorores sunt Virtus, & Literæ, & studium diligens est magnum virtutis adjumentum, & hæc animam reddit doctrinarum capacissimam.

Verùm quia Christiano prima debet esse cura *Regni Dei, & justitiæ ejus*, sive Sanctitatis, quam Divinus Infans tanti fecit, ut etiam parentibus suis sese occultando commoraretur *in his, quæ Patris* sui cœlestis exigebat obsequium: nostrûm uniuscujusque profectûs ratio erit illa, si quotidie gradum faciamus in pietate, bonorum nostrorum parte optima, & æterna, quotidie magis, & magis incumbendo ad dandum Deo, quæ Dei sunt, eique placendum. Imitemur Christum duodennem ad Templum properantem, & Parentes deserentem, ubi de Deo agitur. Imitemur pietati conjungentem studium sapientiæ, inter Doctores sedentem auscultantem. Quàm pulchrum videre Juvenes inter chartas, & libros, quasi *in medio Doctorum* sedentes, respondentes, & quæstionem proponentes; inde rursum in Templo videre adorantes. Quis autem modus in spiritu & veritate adorandi: Habes Christi exemplum. Ad Templum ille veniebat non aspectum lapides, turres, columnarum structuras, & magnificentiam; sed primum genua illa, quæ Divinitatem sustentabant, sub ejus pondere curvare, juxta illud: *Mihi curvabitur omne genu;* deinde in laudes Dei linguam resolvere solebat. Orabat in eo tota dignitas Personæ, orabat forma servi, orabant omnia dona, & charismata; orabat in puero *spiritûs sapientiæ, & intellectus;* orabat *spiritus consilii, & fortitudinis;* orabat *spiritus scientiæ & pietatis;* orabat *spiritus timoris Domini.* Orabat cor, orabat mens, *orabant* oculi, & fortasse *rorabant;* orabant tenera brachia cœlo expansa; orabat modestia totius vultûs, prostrata genua, corpus inclinatum humi. Et nos sic veros ederemus profectus, sic denique crescere-mus *sapientiâ & gratiâ apud Deum, & homines*, si venientes in Templum (ubi non jam taurorum, & hircorum sanguis, sed ipsius Filii Dei corpus, & sanguis immolatur) istud redemptionis ac salutis nostræ pretium tanta pietate, humilitate, & fide offerremus Deo Patri, ut ipsa corporis compositione, vultûs ardore, & reverentiâ, sacrorum majestatem profiteremur. Desideratis videre profectuum gradus, quos vel unico oblato Sacrificio consequimini, vel intermisso negligitis, & vos Sacerdotes, & vos circumstantes! Audite Doctorem Seraphicum: *Sacerdos non legitimè impeditus celebrare omittens, quantum in ipso est, privat* SSS. Trinitatem *laude, & gloriâ;* igitur qui devotè celebrat, & qui audit, hoc tributum reddit Deo. Sic est. At quemadmodum Christus proficiebat gratiâ non solum *apud Deum*, sed etiam apud *homines*, pro quorum salute descenderat: videamus quid faciat Sacerdos, vel Christianus negligens? Quid igitur ad proximos? *Privat Angelos lætitiâ.* Attende choros, & exercitus Angelorum, quot Principibus? quot Virtutibus solatium hoc surripis? *Peccatores veniâ, justos subsidio, animas Purgatorii refrigerio, Ecclesiam spirituali beneficio Christi.* Tot fructibus cœlum, & terras spoliâsti! Et tu proficis? tu sanctitate crescis? verè profundè decrevisti!

De Præpar. ad Miss. c. 3.

Christi Pueri duodennis, pietas.

Isa. 45. 24.

Christus quantùm crescebat ætate, tantùm proficiebat sanctitate. Repeto iterum Angelicum illud terribile dictum: *Qui nocet, noceat adhuc; & qui in sordibus, sordescat adhuc; & sanctus sanctificetur adhuc.* Terribile inquam auditu, quòd qui major ætate, fiat major iniquitate, & habitus vitiosi de die in diem augeantur, & roborentur; quemadmodum & boni: ut in potestate nostra sit illud *adhuc* usque in Infernum; vel *adhuc* usque ad cœlum! ascensiones inquam disponere ad summam sanctitatem Christianam; vel contrà, instituere regressum à justitia ad summam improbitatem vitæ, ad scelera, & profundum Inferni. *Qui nocet, noceat adhuc; & sanctus sanctificetur adhuc.* Nemo arbitretur, in eo quod quis malè cœpit, ibi se constiturum, progredietur ultra, & qui hodie malus, cras se experietur pejorem, nisi citò respiscat. Nos verò Dilectissimi, quos Christus de potestate Diaboli redemit, eique in Baptismo renunciavimus: decet convertere gressus spei nostræ ab Inferno ad cœlum, à vitiis ad innocentiam, à defectibus ad virtutum profectus; & quot passus, tot facere gradus ad cœlum. Audiat unusquisque dicentem sibi Deum: *Ambula coram me, & esto perfectus.* Ambulant post Dominum Pœnitentes, & lugentes; cum Domino Prælati & Rectores; ante Dominum Concionatores, & Prædicato-

Apo. 22. 11.

Gen. 17. 1.

dicatores. In domo Dei omnes *ambulant*, nemo ſtat. Non progredi, regredi eſt. *Sic currite, ut comprehendatis.* AMEN.

DOMINICA II. POST EPIPHANIAM.

SERMO I.

Vocatus eſt autem & JESUS. Joan. 2.

SUMMARIUM.

JESUS advocandus à Conjugibus.

I. *In nuptiarum deliberatione.*
II. *In continuatione.*
III. *In ſeparatione per mortem.*

Albæ-Juliæ, 1689.

SErvus Abrahæ, filio Domini ſui quæſiturus ſponſam lectiſſimam, & dignam tanto Patriarchâ Nurum, quæ Saræ jam fatis functæ vice, familiam illam ſanctiſſimam nova hoſpes gubernaret, nec imperio minùs, quàm exemplo, ac moribus regeret domum cœlo tam charam: non ſolùm adjuratur ab Abrahamo, ut in deligenda tali uxore cautelam quàm maximam adhiberet; ſed etiam aſſecuratur fore, ut in re tanta Angelum Domini conſiliorum præceptorem, comitémque obtineret: *Dominus Deus cœli, qui juravit mihi dicens: ſemini tuo dabo terram hanc: ipſe mittet ANGELUM SUUM coram te, & accipies inde filio meo uxorem.* Quantò feliciores, ſacratiorésque in Cana-Galilææ nuptias dicemus, nec nisi Divinitus conciliatas fateamur oportet, ad quas invitatus, veluti Præſes, adfuit ipſe Dei Filius, & dilectiſſima Dei Mater, quod non fruſtra addidit Evangeliſta: *Vocatus eſt autem & JESUS, & erat Mater JESU ibi.* Quantus honor! quantum ex utriusque præſentia ſolatium! Poſt hos aderant & Apoſtoli. Quales Convivæ! futuri Principes, & Judices orbis terrarum.

Gen. 24. 7.

Nuptiarũ harum ſanctitas, ex quibus capitibus?

Neque ſolùm, poſt authoratas in Paradiſo Nuptias, celeberrimæ fuerint hæ, præſentiâ Verbi Incarnati adeò honeſtatæ; ſed etiam neceſſe eſt ſanctiſmas fateamur, quòd eo præſente, qui ſcelera hominum non palpabat, auſi fuerint ſociare dexteras Neo-Sponſi, ſine dubio optima fide, & irreprehenſibili conſcientiâ, mutuæ ſocietatis ſibi invicem fidem dantes, & quibus acroama illud Propheticum occini potuerit: *Dicite Juſtis, quoniam bene!* ubi Dei Filius factum approbat, miraculo roborat, præſentiâ confirmat.

Iſa. 3. 10.

Sanctas eſſe oportuit, ubi magnifica Chriſti præſentia compreſſæ ſunt duæ celebres Hæreſes: altera, quæ damnabat *Nuptias*, utpote inventum Dæmonis; quod Chriſtus nullo alio, quàm præſentiæ ſuæ hodiernæ argumento, efficaciùs refutavit. Altera item, quæ aſſerebat, *Vinum* pariter Diaboli inventum eſſe, ex quo tot manarent in mundum flagitia, & peccata; quam opinionem aliquandò in Africa regnaturam ſat, ſupérque refutant aquæ Galilææ, hodie novo, atque inaudito prodigio in vinum commutatæ; Chriſti potentiâ jam tum, ſub Nuptiarum quadam umbra, prælúdente ad miraculum omnium maximum, atque auguſtiſſimum, quod patratura erat in ultimis ſuis nuptiis in cœna: in quibus animarum Sponſus; communicaturus nobiſcum corpus ſuum, & ſanguinem: accipiens Panem, convertit in verum Corpus ſuum; & ſicut hic aquam verè commutavit in vinum: ſic deinde vinum verè commutavit in ſanguinem ſuum; *initium ſignorum*, quod hic præmiſit, ibi conſummaturus.

Duæ Hæreſes compreſſæ.

Miraculũ præambulum Euchariſtiæ.

Sanctiſſimæ erant hæ Nuptiæ etiam eô titulô (ut è Chriſtiano more loquar) quòd adeò ſalutare monſtraverit exemplum

plum Salvator noſter, qualiter eſſent inſtituendæ fidelium nuptiæ; ad quas cùm per præſentiam viſibilem, Chriſtum non poſſumus invitare, certè per fidem requirere, eum in re tanta conſulere, & precibus advocare debemus; ut matrimonium, quod authore Deo *initur*, eodem adjutore *continuetur* feliciter, & *coronetur*. Quæ tria (ut præmiſi) in gratiam nubentium hodierno ſermone explicabo. Favete.

§. I.

Auſpicata conjugia JESU indigent.

Quæ tria ſibi reſervavit Deus in gubernatione hominum, ea ſunt, ad quæ ritè conficienda non eſt ſibi ſufficiens humana ſapientia; quibuscunque enim conſiliis, calliditate, & artificiis demum adhibitis, finis, ac rerum felix exitus ſoli Deo meritò venit adſcribendus. Quid dico? rerum tantarum vel auſpicia ipſa, & gubernatio continua requirunt brachium Excelſi: *Nec enim in gladio ſuo &c. ſed dextera tua, & brachium tuum, & illuminatio vultûs tui: quoniam complacuiſti in eis.* Tale opus dexteræ excelſi proprium, cenſetur 1mò *Electio Principum;* quantumcunque enim operæ ponatur, ut omnibus dotibus ornatiſſimus ad clavum Reipubl. deligatur, ad extremum fatendum erit, quia *Non eſt poteſtas, niſi à Deo;* tanti momenti eſt populo bonum Principem dari, & Rectorem, ut non niſi à Deo, cujus vices geſturus eſt, tanto muneri aptari poſſit. 2dò, *Percuſſio inimicorum;* Laborent, quantum volunt, Reges, cogant Senatum, ſcribant militem, conflent exercitus, aperiant ærarium: cùm tot diſcriminibus obnoxius ſit belli exitus, fatendum eſt illud: *Dextera Domini fecit virtutem.* 3tiò, *Matrimonium* (de quo hodie tractamus) & Nuptiæ: ſic enim de hoc fatetur Scriptura: *Divitiæ dantur à parentibus: à Domino autem propriè uxor prudens;* quaſi non à ſagacitate parentum, aut Liberorum electione, & cautela pendeat, ſed ſolius Dei virtus, & peculiaris benedictio, & auxilium ſit, uxorem ſenſatam obtinere, & conſequenter felix matrimonium. Docet hanc ultimam partem etiam Apoſtolus, ubi enim dilucidè declarâſſet ſuum de Virginibus conſilium, ita demum concludit: *Poteſtatem autem voluntatis ſuæ habens, cui vult, nubat, tantùm in Domino.* Rurſùs ad Epheſios ſcribit: *Sacramentum hoc magnum eſt, ego autem dico, in Chriſto, & Eccleſia.* hoc eſt: Grande myſterium eſt hoc, & multis obnoxium periculis, ac perturbationibus; nihilominus facilè pericula evitantur, & difficultates, ſi CUM DOMINO incipiant; hoc eſt: ſi eô conſultore, eô adjutore res tota peragatur. Jam etiam per ora hominum pervagatus eſt ſtylus ille: *Ex ordinatione Dei, ſecundùm Legem Dei*, Deo bene favente nubere decrevi. Stylum hunc docuit experientia longa, deſumpta ex tragicis exemplis conjugiorum infelicium, ex quibus animadvertunt, quàm hæc electio difficilis ſit, à qua poſtliminio reſilire non liceat; proinde ut electio talis ſit, quam ſalus, & gloria conſequatur, non autem ſera pœnitentia, & væ! faciunt veri Chriſtiani officium, qui contracturi matrimonium, præmittunt ex ſolemni more Eccleſiæ Confeſſionem, & Sacram Communionem, ut ſic auſpicatè ſuccedant nuptiæ, conciliato ſibi imprimis Numine, & in tanti momenti negotio adhibito Conſultore Chriſto, cujus eſt his in rebus opitulari: *Vocatus eſt autem & JESUS.* Optimè. Tali advocato quid non ſperandum?

Et nequis iſthæc anilia vota putaret, morem hunc deſumimus ex Sacris, ex *Iſaaci* hiſtoria, quàm habemus totius Sacræ Scripturæ pulcherrimam in hoc argumento, amœniſſimámque, quocunque oculos, ſive in ſcenæ actores, ſive in rerum eventus convertamus. Agebatur (ſicut antea præmiſi) de Iſaaci nuptiis, quem olim adoleſcentem in tantæ Familiæ ſpem natum, oraculo prænunciatum Divino, Parentum delicium, ac gemmam: mandaverat Deus ſibi ſacrificari. Sed voluiſſe ſat fuit. Utri palmam adjudicem: Parentine obedientiori? an Iſaaco promptiori? hodiedum neſcio. Quadrageſimum jam ætatis annum agebat Iſaacus, cùm ab exceſſu Matris, cui paulo ante ſupremos honores perſolverant, de novis contrahendis nuptiis deliberabatur. Primum, quod obſervo, eſt Ætas ſicut conſiliis, ſic nuptiis matura. Deinde Pater nuptias Filio procurat. En reverentiam erga Parentes! Ad tantam expeditionem pro viribus perficiendam ab Abrahamo deligitur non aliqua de nobilitate fœmina amorum conciliatrix, ſed idoneus mittitur miniſter Domui Patriarchali fideliſſimus, Sacramento religionis prius adactus, nequam *de filiabus Chananæorum* filio Domini ſui uxorem acciperet: ne vi-

Pſal. 43. 4.

Rom. 13.

Pſal. 117.

Prov. 19. 14

1. Cor. 7.

Quid ſit, nubere in Domino? Eph. 5. 32.

Gen. 24. Iſaacus, de nuptiis deliberantium imago.

ne videlicet fors mores impuros, & Idola Patriæ inveheret in castissimam, religiosissimámque Abrahami domum, & in Isaaci sinu foveret serpentes; sed videret, ut quam de cognatione Provinciæ, ad quam mittebatur, moribus, sanguine, religione quàm maximè venerabilem nanciscì posset, sponsam perduceret. Iret proinde bonis avibus, nec dubitaret ad eam rem conficiendam Angelum Domini consiliorum præceptorem, comitémque habiturum. Ergo vir tantus, ad Urbem Mesopotamiæ, Angelo indubiè dirigente profectus, fecit idem, quod solent aucupes: ad fontes retia explicuit, & signum posuit reperiundæ ingenuæ puellæ, ac Divinitus Isaaco destinatæ, longè aptissimum. *Ecce ego sto* (inquiebat ad Deum) *prope fontem aquæ, & filiæ habitatorum hujus civitatis egredientur ad hauriendam aquam. IGITUR puella, cui ego dixero: Inclina hydriam tuam, ut bibam, & illa responderit: Bibe, quin & camelis tuis dabo potum; ipsa, quam præparâsti servo tuo Isaac: & per hoc intelligam, quòd feceris misericordiam cum Domino meo.* Callidissimo servi consilio egregiè respondit ingenua Rebeccæ virtus, ac pietas, nihil in se humanitatis passa desiderari ab hospite; rogata siquidem potum, *celeriter depositi hydriam super ulnam suam;* neque satis fuit præstantissimæ Virgini, mira humanitate præbere potum hospiti, quem rogabatur: pari misericordiâ camelos siti enectos adaquavit frigidâ: Eliezere, nescias, tantæ venustatis formâ quam tacitè contemplabatur; an humanitate officiorum magis delectato? Ad exemplum Christianarum puellarum observo *imò*, Rebeccam, illis ulnis, quibus gestatura erat Jacobum ducem populi Israël, portavisse hydriam, futuræ quondam strenuæ atque operosæ Matrisfamilias indicium. *Ecce Rebecca egrediebatur, habens hydriam in scapula sua.* 2dò. Eandem fuisse adeò aulicam, & urbanam, ut hospiti nunquam sibi viso officii plus præstiterit, quàm rogaretur. Poterat & puella hæc, cùm potum rogaretur, torvum, barbarúmve dare responsum quale Samaritana civis Salvatori mundi: *Quomodo tu cùm Judæus sis &c.* Exterus es, & ignotus; civis, an latro? quicunque es, excusatum me habeto, quam festinantem cernis; habes fontem publicum, haurito tibimet quantum voles. Agresti hujusmodi agendi modo, proh quantas uno momento spes, ac fortunarum cursum Rebecca sibimet intercidisset! non hos digitos smaragdi, non istam cervicem monilia, coronæ honestâssent; quæ tamen omnia ornamenta tam aulicæ urbanitatis actus unicus ad sinum Rebeccæ pellicere potuit. *3tiò.* Ad cumulum tantarum laudum accessisse elogium, quo à Spiritu Sancto decorari meruit, quòd fuerit *Incognita viro*, qualem decebat de Paternis laribus virginem virgini, sponsam præsentari. Quantus se mihi hoc loco necessariorum documentorum campus offerret ad Christianorum filias, earúmque Genitores admonendos officii? nisi argumenti scopus me ad Isaacum revocaret animo, & expectatione nuptiarum suspensum.

Signum congruum reperiendæ bonæ puellæ.

Rebeccæ officiosæ laudes.

Laboriosa.

Aulica, & Urbana.

Joan. 4.

Horum omnium, quæ à servo Patris sui agebantur, ignarus, atque incertus Isaacus, *Exivit ad meditandum in agro, inclinatâ jam die.* Chald. vertit: *Adorandum in agro.* Quid sibi vult hæc *oratio*, & quidem in *agro?* Oratio, sicut ego didiceram è Patribus, est *Elevatio mentis ad Deum*, non inquam, vocis in auras, sed *mentis ad Deum*, & affectuum elevatio. Quod si exit ideò Isaacus, ut venientem excipiat Sponsam, quid cum *elevatione mentis ad Deum*, quæ tunc tota circa solemnitatem nuptialem occupanda erat? Vult ostendere per hoc, ut prius mens elevetur ad Deum, & ab illa admirabili luce capiat consilium, ut si quid in hoc matrimonii contractu sinistri animadverteret, significare Divina bonitas dignaretur, paratum se ad id omne corrigendum, & ex ipsius nutu emendandum, aut rescindendum. Verùm, numquid hanc mentis circa Deum occupationem, æquè obire potuerat intra domestici silentia cubiculi? quid sibi vult egressio *ad agrum?* Aptissima similitudine declarare vult, quid agendum deliberantibus de statu vitæ socialis. Ad *agrum egredi* oportet; quemadmodum enim ut quis ex agro fructum, & proventum consequatur, labori parcere non debet, & videre, ut quàm optimum agrum emat. *Considerávit agrum, & emit eum;* ita Salomon de solertissima Matre familias dixit; quibus semel habitis, nihilominus in percipiendis ex agro proventibus necesse est supernum invocare auxilium, quia verissimum est: *Neque qui plantat, est aliquid: sed qui incrementum dat, DEUS:* Sic revera in contrahendis nuptiis, matura

Castæ, pudicæ.

Isaacus, cur in agro meditetur? Gen. 24. 63

Ager Sponsæ typus.

Prov. 30.

1. Cor. 3. 7.

tura deliberatione ſocia vitæ deligenda eſt, & conſideranda, antequam ematur, religio, probitas, & qualitates perſonæ: quibus cognitis nihilominus præcipuè aſpiciendus venit ille, cujus eſt è diverſis ſexibus, familiis, moribus conjungere in parem vitæ ſocietatem: *Quod Deus conjunxit.* Sic, ut diſtributio matrimonii, & benedictio ſoli Deo attribuatur, non minus, quàm creatio; ſic enim creato Adamo, parem vitæ ſociam de latere ejus formavit, *adjutorium ſimile illi; & adduxit eam ad Adam*, quod nulli alteri creaturæ feciſſe legitur: hic ſe creatorem, & nuptiarum auctorem conſpicuè profeſſus, & Dominum, à quo peti, & expectari debeat talis vitæ ſocia, quæ utriusque fortunæ ſit comes fidiſſima, ſolamen, & portus. *Adjutorium ſimile.* Habent itaque deliberantes, cur in tam perplexo negotio ad Deum confugiant, & ad nuptias ſuas JESUM advocent Magni conſilii Angelum. *Vocatus autem eſt & JESUS.* Felices, qui talem obtinent nuptiarum Præſidem; non Venerem, ut unà corporum venuſtas; non Plutonem, ut opes, ac divitiæ præ oculis ferantur. Numquid non eſt Deus in Iſraël, ut cum Diabolo incipiatis nuptias? Sit Ariana, ſit impia! at pulchra, & potens. Hócne eſt in Domino nubere? quando manifeſtum deſerendæ fidei periculum vident, & animæ ruinam, ac naufragium, éſtne hoc ſanctè nubere, ubi ſanctitas proſtituitur? ſcilicet Diabolo conſiliariò, & conciliatore tot illuſtres hodie ingemit Dei Eccleſia ruinas, & fides vulnera. Memini me hac ipſa in Urbe veſtra fœminam interpellâſſe, quid eam ad Catholicam fidem deſerendam impuliſſet? Reſpondit mihi: *Gratia Mariti* contrariam Religionem profeſſi. Repoſui: Si ergo Perſæ nupſiſſes, Solem adorâſſes? *Adorâſſem*, inquit. Et tamen omnes dicunt: *Ex ordinatione Dei.* Beſtiæ ſunt tales, non fœminæ, quibus potior eſt brevis vitæ delectatio Deò, conſcientiâ, Infernò, ad quem properant. Quantò fortunatius ad Chriſtianas nuptias advocabitur, & invitabitur JESUS, cum quo vera pax, ſalus, beatitas ingreditur, & omnigena benedictio in domum, & thalamum eorum, qui quærunt primùm Regnum Dei, animæ ſalutem, & pacem, quam dat ſolus JESUS. *Vocatus eſt autem & JESUS.* Hoc eſt de initio nuptiarum.

Matth. 19. 6.

Gen. 2.

Deliberare cum Diabolo.

§. II.

De neceſſitate divinæ præſentiæ in progreſſu Matrimonii.

Ubi contractum eſt Matrimonium, longè etiam majores ſe inſinuant adverſitates: Quomodo ergo vivemus? quid manducabimus? unde veſtiemur? non enim omnes ducimur ad palatia præparata, non omnes introducimur in affluentiam opum, ac delicias, ut Adamo factum; deducimur perſæpe domum, ubi magnus fumus, ſed parum in culina, vacuæ promæ condæ cellæ, Bona ruinata, vel nulla. Hic certè opus, ut advocemus Chriſtum hodiernum, qui ex aqua faciat vinum, ex lapidibus panes, vel pauculam farinam multiplicet, quemadmodum mulieri illi benedictæ. Dum contrahimus matrimonium, tota domus duo ſumus; continuatur matrimonium, annus elabitur, novus in domo hoſpes adeſt, duplicata benedictio Dei. Hic verè opus duplicato Dei favore. Quem ut conſequamini

Primum Neo-nuptis documentum à me illud eſto: Si inventum Dei eſt matrimonium, certè Deus, quod ſuum eſt, proteget; quod auſpicatus eſt ſanctè, & piè, ſanctè pariter certiſſimè gubernabit, ac totam matrimonialis vitæ ſeriem ordinabit ad gloriam ſuam, & felicitatem veſtram temporalem, & æternam. Cum enim peculiares difficultates ſentiuntur in continuatione matrimonii, Deus etiam ſpecialiter aſſiſtet, modò ut Chriſtianos decet, cum fiducia accedatis ad thronum gratiæ, & negotia veſtra cum Deo conferatis, & non cum Diabolo. *Quæ ſocietas luci ad tenebras?*

Res admiranda, quòd Deus creando Adamum, tametſi ad completam naturalem ejus pulchritudinem dos nulla, & perfectio deſideraretur, quæ deceret mundi Monarcham, & Principem: attamen non illi benedixit. Ubi porro ad eum Evam adduxiſſet vitæ ſociam ſimilibus dotibus ornatam, addit Scriptura: *Benedixitque illis Deus, & ait: Creſcite, & multiplicamini, & replete terram, ſubjicite eam, & dominamini.* Quibus verbis conferebatur eis principatus, & dominatio terræ, & maris; quanta in una benedictione privilegia? Vide ſpecialem Dei erga conjugatos providentiam; prius, quàm Adam contraxiſſet matrimonium, non benedicitur; ubi contractus abſolvitur, benedictio ſtillat. Quid ita? ut oſtendat Deus, ſpecialem

Dei providentia erga Conjuges.

Gen. 2. 28.

habere

habere curam, & oculum providentiæ defixum in eos, qui authore Deo intimam vitæ societatem iniverunt ad fines à Deo intentos, ut repleant terram, ut Dei laus crescat, ut filios educent probos, Deúmque timentes, qui custodiant judicium, & veritatem.

Non minus ad confirmandam horum expectationem serviet hodierna Salvatoris nostri humanitas Conjugibus exhibita, quâ fecit, ut dignanter ad nuptias compareret, qui alioquin parcissimus in conviviis. *2dò*, Quod nunquam aliàs fecit, in gratiam Sponsorum mirâ certè benignitate, aquam in vinum vertit, quod inter omnia signa Divinitatis manifestatæ censetur princeps: *Initium signorum, quæ fecit JESUS*, visibiliter; nam invisibiliter quæ, & quanta patraverit miracula cum Conjugibus afflictis, & pauperibus, sed in ipso sperantibus, quis oratione recenseat? Pleni sunt Annales, & vos scitis, audîstis, nôstis. Qui subindę cum pientissima Dei Matre ad Christum in dextera Patris sedentem dicebant: *Vinum deficit!* crescunt tribulationum maria usque ad animam, Deus! & amoris quondam mutui fervorem jamjam suffocant. Dei est tunc aquas has in gaudii vinum, quod cor lætificet, vertere. Mirum sanè, quod in continuatione exilii, ac infelicitatis neque Adami ad bestias damnati murmur auditur, nec Evæ è tanto felicitatis gradu dejectæ muliebres tot inter mala ejulatus, querelæ, & obtrectationes leguntur, ut fit inter conjuges, cum alter alterius infelicitatis causa est. Quodnam tantæ concordiæ vinculum? Unicum tantorum malorum remedium erat, memoria primigenii amoris, & contractûs: Cum Deo incepimus, continuemus cum Deo; qui Deus nos creavit, idem fœdere junxit amoris dexteras, ut scelus sit datam fidem, nisi morte dissolvi; ad quam licet nos Divina Nemesis justè damnavit, non tamen omnino projecit nos. Hoc omnis Christiani solatium esto: Cum Deo cœpi, Deus aderit auxilio. Utriusque fortunæ solatium erit, concordia in Deo fundata, radicata in Principe veræ pacis Christo amoris mutui Sacramenta. *Vocatus est autem & JESUS.*

Conjuges, sint in utraque fortuna memores contractûs.

§. III.

Ad Viduas consolatio.

Quod vel maximè locum habet instante matrimonii epilogo, cum ab invicem conjuges morte separantur, & *thalamo* succedit *tumulus*. Proh dolor! Ergo fieri potest, ut quos charitate mutua Deus conjunxit, mors separet? Ita decreto Regni statutum, ita consuetudine firmatum. *Omnes morimur, & sicut aquæ dilabimur.* Dixit quidam de bonis Patriæ viris: *Hos vel non debuisse nasci, vel nunquam mori.* Erunt certè Conjuges, quibus jure idem dicere licebit: debuisse se aut nunquam matrimonio jungi, aut nunquam invicem separari, vel certè simul mori, quod multis contigit. Interim necesse est, ut aliqua pars præcedat ad tumulum, oportet enim verificari Apostoli sententiam: *Qui habent uxores, tanquam non habentes sint; & qui utuntur hoc mundo, tanquam non utantur; præterit enim figura hujus mundi.* Si finiendæ sunt nuptiæ, finiantur cum Deo. Nemo alius solvat vinculum, nisi Deus. Quæ charorum capitum separatio cum imminet, advocandus est tum maximè JESUS, ne in fine deserat, quorum socialis amoris, concordiæ, pacis author fuit, & præses. *Mane nobiscum* Domine, *quoniam advesperascit, & inclinata est jam dies*, & sol mutuæ lætitiæ desinit denique in noctem, in solitudinem viduitatis. Ad Viduas, quæ desiderio charissimorum conjugum tabescunt, dico: detergant lacrymas. *Vir caput est mulieris;* ubi dormierit vir, jam illius caput est Christus. Quid timent? quid lugent? si etenim per mortem conjugum jam ipsas disponit Deus ad novas, ad sacratiores, ad diuturniores nuptias, & propter hoc sustulit nuptias hujus mundi, cur tristatur aliqua? sed cum marito felicitas occidit? Nimirum, potuit viri præsentia felicem te, ac beatam efficere, assistentia Dei non possit? quasi verò & antea tota felicitatis ratio in possessione viri sita fuerit, & non potius in Deo? atqui ubi finis nuptiis imminet, tunc proprio, ac raro privilegio, dicitur *Pater Orphanorum, & Judex Viduarum.* Deus ipse: *Viduam*, inquit, *ejus benedicens benedicam*, ut beneficentiæ suæ, quæ in omnes bene sperantes effunditur, fontem non modò non exarescere faciat Viduis, sed duplicet, multiformiter assistendo, & protegendo, utpote nusquam, nisi in solo Deo, refugium habentes.

2. Reg. 14. 2

1. Cor. 7. 31

Luc. 24. 29.

Eph. 5.

Psal. 67. 6.

Psal. 131. 15.

Quare, siqui reperientur, qui matrimonio laqueos Sathanæ incurrerunt, quid mirum? Incepisti cum Diabolo, cum Idolo, Plutonis, & Veneris oraculo, qui tibi duces hic, & consiliarii

exti-

extiterunt, & procul nuptiis tuis abfuit JESUS, idcircò abfuit ſalus, & pax. Juſtè ergo facit Deus, ut qui ſectaris temporalia, amittas etiam divina; &
Jer. 17. qui Deum reliquiſti innitendo *in brachio carneo*, illud tibi demum vertatur in ruinam: Erit quaſi *clavus in oculis tuis, & lancea in lateribus tuis. Nec tecum poſſum vivere, nec ſine te.* O tormentum!
Pſal. 31. 10 ô ſupplicium! *Sperantes autem in Domino miſericordia circumdabit.* Quænam illa? Pretioſiſſimum nomen, quod eſt ſuper omne nomen: ut in NOMINE JESU flectatur omne genu, ſed inprimis Conjugum: ut in oratione, & invocatione ſtatum, proles, fortunas Chriſto commendent; ſacratiſſimo hoc nomine ſe in adverſis conſolentur, quia *Turris fortiſſima nomen Domini;* ſe vi- Prov. 18.
vos, mortuósque ejus curæ relinquant, 10.
quo ſponſore, & authore tali ſe vinculo induerunt, fore, ut eodem adjutore ſic tranſeant per bona temporalia, ut non amittant æterna. AMEN.

IN EADEM DOMINICA
SERMO II.

Tyrnaviæ 1707.

Nuptiæ factæ ſunt, & erat Mater JESU ibi. Joan. 2.

SUMMARIUM.

Exempla concordiæ Conjugalis.

I. *Petenda è cælo.*
II. *E Paradiſo.*
III. *Ex Icone amoris Chriſtum inter, & Eccleſiam.*
IV. *Ex ſimilitudine corporum ſub cura Medica.*

Nuptiæ non ſolùm corporum, ſed & cordium conjunctio ſint

CUm in Chriſtiano Connubio, & nuptiis (quarum ſolemnitatem paulò ante hos dies apertam eſſe nôſtis) jungantur corpora: *Erunt* (inquit Chriſtus) *duo in carne una:* mirum non ſit, ſi dum de corporibus agitur, ad cordium animorúmque unionem Neo-Conjuges vocentur à Deo, nec ſolùm exemplis, ſed & propoſitis præmiis alliciantur ad *concordiam*, quæ utique *duo corda* ſupponit medio aliquo vinculo ſocianda. Ratio eſt: quia corpora ſociari, & non corda, ſtylus eſt Inferni; ſociari corpora ſimul, & corda, eſt maxima, pulcherrimáque, quæ in terris haberi poſſit, divinæ concordiæ imago. Quid igitur mirum, ſi ad celebritatem hanc, id eſt, ad corporum, animorúmque mutuo fœdere copulandorum feſtivitatem JESUS invitatus compareat, compareat & Mater JESU, aut auctores fœderis, aut teſtes. Nullæ unquam tales convivas Nuptiæ viderunt, nec unquam videbunt niſi in Nuptiis ipſius Agni, cùm ad eas, quicunque piè, & ſanctè mundialibus nuptiis uſi ſunt, celebrandas in cœlo invitabuntur.

Quæ conjunctio, eſt fructus præſentiæ Chriſti.

Ego autem dico: ſi tam rara eſt inter Conjuges concordia, quàm rara fuit, & eſt præſentia JESU, & Matris JESU; nulli dies, nulla ſufficient conſiſtoria ad dirimendas diſcordium animorum lites. Si JESUS author eſt concordiæ, & tam rarò Nuptiis intereſſe dicitur, quomodo coaleſcet unio duorum animorum ſine illo, qui *facit utraque unum?* Eph. 2. 14.
Verum cùm nemo Chriſtianorum ſit, qui non eò collimet, ut ſuæ Nuptiæ paradiſus potiùs ſint, quàm infernus; per hoc collimare videntur ad imitationem divinæ naturæ, mutuæque pacis: quam quia mundus ipſis dare non poteſt, fit, ut ipſiſſimus Deus, qui hodie Canæ-Galilææ nuptiis intereſſe dignatus eſt, vocatus adeſſe velit etiamnum, modò ad divinæ naturæ ſimilitudinem quàm proximè accedant nuptiarum ſacramentum dicturi:
Et quæ eſt natura Dei? *Deus* (inquit Jo- 1. Joan. 4.
annes) *charitas eſt, & qui manet in charitate in Deo manet, & Deus in illo.* Et charitas quid eſt aliud, niſi concordia, niſi amor? Et hoc eſt primum Chriſtiani Matrimonii alphabetum, & primum quæſitum antequam contractus ineatur: *Amásne?* & ab utráque parte dicitur: *Amo.* Maneat amor, maneat charitas, ſtatim aderit Deus amoris veri author, & concordia ſequetur, quæ eſt effectus amoris, & divinæ præſentiæ fructus. Cujus forma, atque imago Concordiæ unde petenda ſit, hac Concione docebo.

§. I.

§. I.

1mò. *E cælo.*

Atque hæc est illa concordia, quam jam tunc vivis, pulcherrimisque characteribus adumbrabat Deus, cum divinitus Nuptiæ condebantur. Videri quibusdam posset, melius facturum fuisse Deum, si quemadmodum Adamum creavit singularem sine ulla dependentia à Patre, & Matre, sic quoque creâsset genus omne humanum omnino nulli obnoxium, præterquam effectori uni Deo. Et, si jam tunc divini sui consilii Sacramento prædefinivit in terras mittere æternum suum Filium, eúmque carnem sumere decrevit, creâsset illi carnem: ne haberet necesse sanguinem & carnem de Virgine, & (quod plus) desponsata mutuari. Sed non sic visum est divinæ Sapientiæ; quæ jam tunc altissimè collimabat ad illud Concordiæ pulcherrimum munus, quod de cœlo in terras ferri debuit, & plantari inter eos, quos Deus ordinavit ministros generationis, per quam gens cum gente, parentes cum filiis, divinam naturam exprimant imitatione concordiæ, & unionis. Inde est nimirum, quòd Christus dicitur
Coloſ. 1. 15 *Primogenitus in multis fratribus*, quod fit per generationem. Ergo maluit Dei Filius audire *filius hominis*, *frater*, *cognatus*, quod fit per generationem naturalem; quàm si Deus creâsset illi corpus singulare; per quam creationem (quamcunque fuisset illa ineffabilis) nullo modo noster dici potuisset *Cognatus*, ut qui carnem non de nobis, sed aliunde sumpsisset. Mysterium hoc magnum: audiamus aliud excellentius.

Hujus concordiæ, cujus nunc pulchritudinem inter Conjugatos suscepi tractandam, imaginem præmisit ineffabilis illa naturâ divina in semetipsa, respectu Generationis Filii sui ab æterno. Itaque Deus cum extra se non haberet, quem gigneret, in se gignebat Filium:
Iſa. 67. 9. *Numquid ego, qui alios parere facio, ipse non pariam, dicit Dominus? Si ego, qui generationem cæteris tribuo, sterilis ero, ait Dominus Deus tuus?* Hæc generatio quia non erat communis ulli alteri extra Deum, ex ipso utero, ac divinæ fœcunditate essentiæ, & amore purissimo generavit Filium, imaginem substantiæ suæ, verum Deum de Deo vero: quam generationem ineffabilem ac stupendam
Iſa. 53. 8. admirans Isaias ait: *Generationem ejus quis enarrabit?* Generatio Filii ab æterno, ex Patre sine Matre; generatio altera temporalis ex Matre sine Patre: Hæ sunt Christi generationes. Ad similitudinem Generationis primæ, sive æternæ illius, ordinavit in mundo generationem hominum; quæ quoniam fieri non poterat aliter, nec ad imitationem divinæ generationis secùs accedere, quid fecit Deus? Duos assumpsit, Virum, & Mulierem: ex quorum mutuo amore fieret generatio hominum. Et quia ùt ait Gregorius: *Minùs, quàm inter duos,* Hom. 17. in Evang.
charitas haberi non potest, provisum est concordiæ medium, ut tam essent amando se unum, quàm sunt personis differentes *Vir*, *& Mulier*; fieréntque in duobus corporibus *cor unum*, quâ solâ concordiâ, & amore efficiuntur divinæ consortes naturæ, & imitatores Dei. *Deus est charitas*, non sterilis, sed fœ- 1. Joan. 4. 16.
cunda; non otiosa, sed generatrix. Talis sit ipsorum charitas, ut fiat divinæ imitatrix.

§. II.

E terra Paradisi.

Imaginem concordiæ de cœlo allatam, alio pulcherrimo Symbolo illustravit Deus in terris, & primo die Nuptiarum inter Adamum, & Evam: Quid est, quòd Adamo creato, de costa illius creat Evam? Numquid eâdem potentiâ formare potuit Evam de terra, & de terra virgine? Non sic; sed ex eadem individua terra, & terra jam in eandem carnem compacta fiant ambo, ut ostendant animo, corde, corpore, sensibus, quòd idem sint: personæ duæ, animus idem, materia & caro eadem. In hanc
rem audite quid D. Paulus: *Carnem suam nemo unquam odio habuit.* Quodsi Eph. 5. 29.
càro viri, & Evæ est eadem, quomodo ibi odiorum seminarium? Quòd *duo* sint, pertinebat ad generationem; quòd *in carne una*, spectabat ad amorem, concordiam, & unionem. In qua ut validius confirmarentur, adverto, quòd in primis his Nuptiis, quæ tum celebrabantur, nulla alia persona fuerit in mundo, nec vir alius, nec mulier alia. *Masculum, & Fœminam creavit eos.* Voluit Deus hoc pacto summam in tale connubium implantare concordiam, & unionem. Pensat hæc duo Chrysostomus: S. Chryſoſt. Commentar. de Geneſ. Hom. 32.
Masculum inquit, *& fœminam creavit eos. Non masculum, & multas fœminas; neque masculos, & fœminam: ut* UNA FOEMINA NULLUM *masculum putet factum esse in mundo*, NISI UNUM; *& UNUS MASCULUS nullam putet fœminam factam esse in mundo, nisi*

Unus, & una creantur, ne amores dividantur.

do, nisi UNAM. Intentio diviniſſima. Et cur in Deo, & in SSS. Trinitate tanta eſt concordia, niſi quia extra illum unum Deum verum non *eſt alter*. Fundamentum ſanctitatis & concordiæ firmabatur inter duos tunc, quando nec fœmina poterat jacere oculum in alios viros, nec vir in alias fœminas; totus aſpectus circumſcribebatur hujus in ſua, & illius in ſuo, tanquam legitimo centro. Quod & nunc ſi fiat, quantum curioſitati decedet, tantum accedet veræ charitati conjugali, & lucrum erit concordiæ, ſi unaquæque fœmina putet nullum creatum eſſe virum, præter ſuum; & vir nullam in mundo fœminam exſtare niſi ſuam. Sint aliæ pulchriores, ſint opulentiores, ſint blandiores, & prudentiores; habendæ ſunt, quaſi non ſint. Quis ambigat tales nuptias quia concordiſſimas, mox inundaturum *quaſi fluvium pacis*, gaudiúmque ex mutuo aſpectu, vitæque ſocietate, JESU, & MARIA præſidibus firmandum?

§. III.

Ex forma amoris inter Chriſtum, & Eccleſiam.

Novum conjugalis Concordiæ argumentum Chriſtus in Lege nova fundavit in vinculo indiſſolubili, dum edixit de Nuptiis: *Quod Deus conjunxit, homo non ſeparet.* Equidem ſi Dei Filius venit plantare concordiam, quomodo concordia fiet, ſi, quod *unum* eſſe debet, dividatur & ſcindatur? Verum eſt, inquit Chriſtus, quòd virtus potentiæ meæ, quâ in omnium pectora dominabor ut Deus, faciet admirabiles olim ſeparationes in hominibus, apud quos, vis amoris mei facilè aut imperabit, aut impetrabit omnia; ut etiam delicatiſſimè nutritus quisque Patri ſuo ac Patriæ nuncium remittat, & per calcatam matrem ad mea properet vexilla. Implebuntur cœnobia militibus meis, Parthenia deſponſatis mihi capitibus, faciámque è terris cœlum, ubi *neque nubent, neque nubentur.* Nunquam tamen evenire permittam, ut qui *duo* jam *in una carne* fuerint, aut mulier invito viro, aut vir invita diſcedat uxore; non erit tanti, vel Chriſti nomen & amor, vel cœli ſacrificium, ut vinculo corpora ſemel divinitus confœderata, à concordi ſocietate, niſi mutuo ſeparentur conſenſu, quantumvis ſeſe alteruter divinis meis cuperet conſecrare ſervitiis. Grandis æſtimatio conjugalis vinculi, atque concordiæ, quam docuit Chriſtus verbo hoc! ſed longè maxima, quam monſtravit exemplo adeo luculento, ex quo Apoſtolus Paulus formavit admirabilem ad Chriſtianos Conjuges conſequentiam, & primum ad viros, ut diligerent uxores ſuas; quod ut efficacius perſuaderet, allegavit exemplum Chriſti Eccleſiam ſuam diligentis: *Viri diligite uxores veſtras, ſicut & Chriſtus Eccleſiam.* Grandis oratio! *Et ſeipſum tradidit pro ea, ut illam ſanctificaret.* Machina validiſſima ad expugnandos Maritos vel feroces, ut charitatem ſervent non verbis ſolùm, ſed actibus ſicut Chriſtus. Quid fecit Chriſtus? Eccleſiam judicavit dignam, quam ſanguine ſuo emeret: *Seipſum tradidit pro ea.* Ita eſt, verùm hæc *traditio ſui* fuit univerſale bonum omnium ſalvandorum: & regula eſt univerſalis dilectionis invicem omnium Chriſtianorum: in quo ergo peculiariter collineat ad dilectionem Conjugum, ut Pauli argumentum ſtet?

Eph. 5. 25.

Mihi videtur in duobus notabilibus caſibus id fundari. *imò*: quòd hodie Chriſtus nuptiis intereſſe dignatus eſt cum Matre ſua, compar tam ſanctum! Sed hoc vos fortaſſe parum movet, cùm præterierit. Igitur aliud, quod etiamnum durat, floréatque, adſeram: in iisdem quippe nuptiis facere dignatus eſt *initium ſignorum*, mutando aquam in vinum. Quid eſt mutare aquam in vinum? eſt mutare amaritudines in dulcedinem. *Vinum* Divo Auguſtino, eſt *ſignum concordiæ.* Quemadmodum enim vinum conficitur ex diverſarum Patriarum, & promontoriorum botris, & concordiam ineunt ſine ulla reluctantia: ita conjuges diverſorum humorum, & familiæ in individuam vitæ ſocietatem migrare debere. Quò reſpexit David, dum Uxorem *Vitem* vocat: *Uxor tua ſicut vitis abundans;* tum ob naturæ ſimilitudinem dum conjunguntur; cum etiam propter fructum, qui elicitur è vite; quod utrumque denotat perfectam conjunctionem. Et ſicut Vitis colitur ob fructum: ſic Uxor amore, & benevolentiâ proſequenda, & officiis excolenda eſt. Hoc præſtat maritus generoſus, quoties Uxorem inſigni beneficio ſibi devincire ſtudet, eique neceſſitatem imponit paribus humanitatis officiis Marito reſpondendi. Non eſt hoc *aquam* ſcire mutare in *vinum?* in quo Chriſtus hodie *initium ſignorum* fecit, quaſi unum, & primis mundi miraculis

Dilectio inter Chriſtum, & Eccleſiam: in quo collimat ad conjugalem charitatem?

Matt. 22.

dignum censeri possit, *Vir, & mulier bene consentientes.*

Sed alluſio Pauli maximum pondus habere videtur in ordine ad finem vitæ Christi, id est in Cruce: sicut enim documento debitam Conjugibus charitatem statuit vivus, sic exemplo consecravit mortuus. Notate mysterium. Extincto jam Salvatore accessit unus militum, qui lanceâ grande iter in Christi latus aperuit, *& continuo exivit sanguis, & aqua.* Ex hoc latere fluxisse Sacramenta Ecclesiæ, inquit S. Hieronymus. Quis autem nesciat, inter cætera Novæ legis Sacramenta esse *Conjugium honorabile, & thorum immaculatum? Sacramentum hoc magnum est, ego autem dico, in Christo, & Ecclesia.* Bene. Sed quid habet correspondentiæ Matrimonium cum Christi Lateris *sanguine, & aqua?* Fit hic alluſio ad Latus Adami: sicut ex hoc sumpta est Eva: sic ex latere Christi mortui venit Sacramentum Matrimonii. Optima similitudo. Quòd autem per venam *sanguinis, & aquæ* de corde, Concordiam significat non quamcunque, sed simultaneam, usque ad mortem. *Viri diligite uxores vestras, sicut Christus dilexit Ecclesiam* usque ad mortem. Gloriosa S. Elisabeth Andreæ II. Hungariæ Regis filia, Landgraffio Marito suo mortuo, dicere audita est: *Nihil non egi, ut Maritum meum servarem mihi: at postquam vitâ functus est, uno crine capitis mei non vellem eum reducere.* Concordia nempe Conjugalis Societatis non nisi cum morte finem habet. Quemadmodum autem Elisabeth soluta lege viri gratulabatur sibi libertatem ad Christi amplexum transeundi assertam: ita illo superstite nihil conjugali charitati præferebat; ad quam commendandam nec Deus, nec Christus plus facere poterant, nec ego his majus dicere.

Hebr. 13. 4
Eph. 5. 32.
Surius in Vit. Sanctæ Elisabethæ R. H. dictū.

§. IV.
A Medicis.

Sed quia corporum, & animorum hic tractamus concordiam, dicendum est aliquid etiam usu humano, & similitudine corporum humanorum ampliùs concordiæ commoda illustremus. Legi Librum, cujus Titulus est: *Pax Corporis;* & nihil intus erat aliud, quàm præscriptiones medicinarum. Medicinæ porrò in duas classes dividuntur: aliæ sunt *præservativæ*, quæ impediunt causas, & origines morborum; aliæ *curativæ*, quæ jam habitam humorum intemperiem pristinæ, debitæque tranquillitati restituunt, ut fiat *Pax Corporis.* Morbis qui hanc pacem in corpore humano perturbant, explicandis Tomi non sufficiunt. Et in Matrimonio quot sunt molestiæ tum corporis, tum animi? Paucis multa complexus ait Apostolus: *Tribulationem tamen carnis habebunt hujusmodi:* morbos tam multiplices, uno *Tribulationis* nomine comprehendere satis fuit. Paupertas *tribulatio*, ægritudines *tribulatio*, multitudo prolium *tribulatio*, sterilitas *tribulatio:* Omnium porrò tribulationum maxima est, Discordia. Cæteræ tribulationes, vitæ hujus sunt Purgatorium, discordia Infernus. Quod ut confirmet Dei Filius, miro modo permisit, ut etiam in præsentia suæ Matris, & sua, in Nuptiis fieret rerum defectus: *Vinum non habent.* Bene hoc dixisti, ô advocata castè viventium Conjugum! *Vinum non habent*, quia charitatem, & concordiam non habent. Ut enim in conviviis cæteri defectus vino supplentur: sic inter conjuges adsit concordia, & omnia levius sentientur; adsit concordia, etsi dolores inferni adforent, concordiâ diffugerent. Sed quid ego illis, qui vel quæ longissimam in hoc jugo transegerunt ætatem, volo renovare dolorem?

1. Cor. 7. 28

Simile.

§. V.
Allocutio ad Neo-Sponsos, & ad Virgines.

Cum iis mihi sermo est, quorum, & quarum cervices adhuc sunt jugo intactæ; cum iis mihi sermo, qui nondum suam vendidêre libertatem; nam & Evangelium & Nuptiæ juvencos recèns jugo subactos oculis nostris proponunt. Donec estis vestri, videte qualem donationem faciatis, & cui, libertatis vestræ. Optimè dixit quidam: *Uxorem duxi, libertatem vendidi.* Hoc si ab utraque parte verum est, sicut est, utraque pars jam sua desiit esse, utraque pars captiva, utraque vincta lege Dei, lege Christi, & lege mundi. Divitiis propriis emistis vincula, & captivitatem; prodegistis opes, sæpe ut fieretis ancillæ ex liberis, ex ingenuis servæ. Tantus amor thalami! Vulgata habet de B. M. V. *Missus est Gabriel Angelus ad VIRGINEM desponsatam viro*, pro quo alia dicit: VENDITAM. Et quanti vos vendidistis Virgines? tanti, quantum è paterna domo dotis attulistis; nempe vincula, quæ cervicibus induistis, compedes illæ, & onera tantum merebantur auri. Et quid rogo, emisti dum nupsisti? emisti hoc, quod

quod nihil accipere, nihil largiri ſine ſcitu viri poſſis. Mulieri Samaritanæ deſiderio aquæ vivæ, (de qua Chriſtus diſſerebat) excitatæ, volentique ejus aquæ
Joan. 4. copiam ſibi fieri: *Domine da mihi hanc aquam, ut non ſitiam;* ait JESUS: *Voca*
S. Chryſoſt. Hom. 32. in Joan. *virum tuum.* In quæ verba Chryſoſtomus: *Vade, voca virum tuum. Quaſi opus eſſet cum eo communicare,* & Uxori nec dona, inſcio marito, accipienda eſſe, etiamſi Chriſtus illa det. Ecce compedes! Jam libera quondam colla videre talibus vinculis innexa, in quos gemitus, in apertas tantumnon diſcordias erumpere quàm pronum eſt? Servitus multò inhumanior eſt, ſi contingat viro nubere furioſo, incivili, blaſphemo. Et tamen pro foribus pariter pendet Lex: *Sub poteſtate viri eris. Servi*
S. Ambr. *jure gentium:* inquit Ambr. *vos jure divino ſervituti addictæ.* Quomodo ſervitus iſta, niſi concordiâ mutuâ dulcoretur, tolerabitur? Accedant ad ſervitutem alia incommoda, quæ ſupra memoravimus; ſuſcitentur, quod proniſſimum eſt, jurgia, lites, ſuſpiciones, rixæ; quam crucem corpora, & mentes patientur expulſo omni ſolatio, quod niſi invicem ſibi mutuò præſtent, ab ex-
Luc. 17. 21. traneis ne ſperent. *Regnum Dei intra*
Curin cælo neque nubant, neque nubantur? *vos eſt.* Ob hujusmodi perturbationes putant nonnulli Nuptias non eſſe in cœlo: *In cælo neque nubent, neque nubentur.* Erunt igitur ſexus etiam ibi diſcreti? Omnino, ſed *erunt ſicut Angeli Dei.* Quare, ut etiam in terris inter nuptos concordia inveniatur, vel domus aliqua, & familia cœlum fiat oportet, vel Deus deſcendat, qui componat jurgia; vel certè viri omnes debebunt eſſe ſurdi, fœminæ omnes cœcæ; aut certè nunquam ſine jurgiis vivet, niſi qui Cælebs eſt.

Verùm quia nec ad cœlum licet ire, nec oculos nobis poſſumus eruere, uſque dum ſumus in mundo, & vivere debemus in mutua ſocietate: unica tot malis medicina ſupereſt, & pro utroque caſu, ſiquid jam læſum eſt, malo curando, ſi timetur, removendo, & impediendo; CONCORDIA. Sed bonum Concordiæ quâ viâ quærendum?
Media procurandi inter Conjuges concordiam firmã. Dico, Concordiam honore debito comparandam eſſe; quod nihil aliud eſt, quàm: Vir ut habeat concordiam cum Uxore, debet videre, quid ſit *Uxor;* & reciprocè Uxor debet videre, quid ſit *Vir ſuus?* Totam hujus ſapientiæ ſchola Deus in primis mundi nuptiis aperuit, ex qua admirabilis conjugalis vitæ compoſitio, ſeu (ut verbo Scripturæ utar) ædificium matrimoniale declaratur, & diſcitur. *Ædificavit* (inquit)
Gen. 2. 22. *Dominus Deus coſtam, quam tulerat de Adam, in Mulierem.* Audiatur Chry-
S. Chryſ. Hom. 20. in Epiſt. ad Epheſ. ſoſt. *Permiſit Deus Adæ, ut ſororem ſuam in Uxorem duceret, imò verò non ſororem, ſed filiam, quin adhuc nec filiam quidem, ſed propinquius quiddam filiâ, carnem ſcilicet ſui ipſius: Mulierem enim non fecit ex eo, quod eſſet* EXTRA CORPUS ADÆ; *ne tanquam* CUM ALIENA *cohæreret.* Ad unitatem alludebat tunc Deus. Si, inquit, fuerint *duo*, jam eſſet diviſio, & ſi diviſio, difficilis concordia. Itaque non *ex aliena* formavit Evam, ut ſcilicet eam, tanquam ALTERUM SE æſtimaret, amarétque Adam. Quomodo autem in uno eodémque diſcordia fieri poſſit? Unde lites Civitatum, & contentiones Principum? niſi quia una pars videlicet præpotentior, alteram contemptim intuetur, utpote inferiorem, ac debiliorem; ſepoſitâ ſemel mutuâ reverentiâ, & honore debito omnibus, qui ſumus unum in Chriſto, tanti tumultus fiunt: ita dico, quando vir non noſcit conditionem Uxoris ſuæ, nec Uxor dignitatem viri: paratæ præ foribus diſcordiæ. Sciat itaque vir, imprimis nihil habere ſe, in quo glorietur in creationis ſuæ natali, hac enim dignitate Mulieres pares ſunt, ſi attendatur Conditor utriusque Deus: ut quos una manus plaſmavit, fierent quoque honore pares, & gloriâ æquales. Quodſi in conſiderationem veniamus materiæ, de qua formata eſt Mulier, noverit Adam, eam non ſumptam eſſe ex Pedibus, ne illâ velut ſcabello uteretur; *Ne* (inquit Barchephas Moy-
Barcheph. Moſ. lib. de Paradiſ. p. 1. Theodoret. q. 30. in Gen. ſes) *vir fœminam multò inferiorem, humiliorémque æſtimaret.* Sicut nec de viri capite eam Deus condidit, *ne fœmina principatum affectaret, qui viri eſt,* inquit Theodoret. Diſcordiæ omnes in mundo oriuntur, quòd una pars alteram excellere velit, & prædominari. Omnes has prætenſiones ita attemperavit Deus in conjugio, ut & vir honorem principatûs haberet, quia prior creatus; & mulier non tanquam ancilla induceretur, ſed velut vitæ ſocia daretur viro honore par, gloriâ æqualis. Quid igitur habent, quod alter alteri objiciant?

Cæteræ prætenſiones, & querelæ, quæ oriuntur ex imparilitate ſtatûs, & ſangui-

sanguinis; alterutrius partis humilitate fortunæ, ac inopiâ, corporis morbis, damnis, infortuniis, & quæcunque tribulationes thalamum comitantur: omnes hæ medelam habent unicam in *Concordia*, & vera charitate conjugali. Si sunt corpore idem, idem sint animis. Naturâ ita comparata sunt unius corporis membra, ut pro se invicem solicita sint, & unaquæque pars alterius injuriam suum reputet damnum. Si fortè contingat pedem calcari, continuò lingua clamabit; Quid me premis? At quis te premit ô lingua! Me quidem, inquit, non premis, sed premis eum, quocum charitate conjuncta sum, pedem, qui est *os ex ossibus meis, & caro de carne mea*, cujus incolumitas mihi non minoris est curæ, quàm propria. Quodsi omnibus Christianis, quòd sint *invicem membra in Christo*, communis esse debeat charitas & solicitudo pro invicem, ut mutuò foveantur, & conserventur: quid non exiget arctissima socialis vitæ necessitudo in Conjugibus? quid fides, quid Sacramenti ad aras dicti religio? quid una caro, & tot alia intimæ amicitiæ vincula petent? utique flagitabunt mutuum auxilium, & utriusque fortunæ patientiam, nec solum felicibus collætandi temporibus, sed & in adversis invicem solandi studium. Inter Isaacum, & Rebeccam honorabile dicitur fuisse conjugium, & meritô. Isaacus significat *risum* in Hebræo: Rebecca verò *patientiam* sonat. *Et risus* (inquit Clem.) *à tolerantia adjuvatur.* Sit vir uxoris risus, gaudium, portus, consolatio; uxor verò quò patientiùs onera conjugii pertulerit, hôc ampliorem virtute suâ malaciam in marito faciet, ut *Risus à tolerantia adjuvetur.*

Clemens Alex. l. 1. Pædag. c. 5

Notate interim: Omnes nuptias ab *Isaaco* inchoari, & desinere in *Rebeccam.* Hæc est grandis differentia inter crucem religiosæ professionis, & matrimonii. Religiosa vita initio difficillima, continuata dulcescit, ac denique in risum Paradisi vertitur: contrà matrimonium principio suave, quò diutiùs continuatur, usu fit insipidius, nisi *risui* jungatur *Rebecca*, jungatur patientia, & concordia: quâ fiet, ut quoniam omnia ex sententia fluere non possunt, ingruentibus adversis mutuò sese non deserant, omni ope, ac præsidio quibuscunque in periculis sibi invicem adfuturi usque ad mortem. Verè *Sacramentum hoc magnum! ego autem dico, in Christo & Ecclesia.* Quæ gens, quæ natio acerbiora unquam perpessa est, quàm Ecclesia? tamen nullius extitêre, quàm hujus, majores victoriæ, quia nulla in mundo arctior extitit conjunctio, quàm Ecclesiæ cum Sponso suo Christo, & vicissim. Talia, talia par est matrimonia Christianorum esse! debent usque ad mortem, inviolabilem retinere inter se concordiam, fidem, amorem: ut jugum quod authore Deo inierunt, eodem adjutore portent concordibus humeris, nec nisi morte separentur. Quod si fiat, omnia Matrimonia erunt in *Isaac*, & *Rebecca*; in Christo, & Ecclesia.

Notabilis differentia inter statũ religiosũ, & matrimoniale.

Eph. 5. 32.

AMEN.

IN EADEM DOMINICA
SERMO III.

Jaurini, 1702.

Hoc fecit INITIUM SIGNORUM JESUS *in Cana-Galilææ.* Joan. 2.

SUMMARIUM.

In Nuptiis patrando miraculo locus.

I. *Si sint patientes in tribulatione.*
II. *Si fidem servent in tentatione.*
III. *Si permaneant in mutua dilectione.*

Deus Pater in operum suorum fine, & Christus in principio

DUas in mundo Nuptias celebratas video, ambas præsente Deo, & ideo solemnissimas: utrasque tamen notabili cum differentia, ordinéque inverso. In paradiso, jure cognationis nihil obstante, conjuncturus Deus nobile par, Adamum & Evam, priùs omnia prodigia præmisit, & quasi pro operum suorum corona, ac clausula nuptialem reservavit solemnitatem; Christus

Nuptias benedicit.

Christus è contra in omnium, quæ postea patraturus erat, mirabilium operum fronte hoc posuit, ut *Initium Signorum* non alibi, quàm in Nuptiis auspicaretur. Quid causæ? Ego nullam scio; nec aliam reperio ex parte Christi, nisi fortè quia Christum mundi reparatorem decebat *opera mirabilia ibi incipere, ubi Deus Pater finiverat.* Quia & Architecti cùm domum ruinas minantem renovare disponunt, *à culmine incipiunt solvere vetustatem, & ibi laborem inchoant, ubi priùs deserant*, inquit Ambr. Deus creator, & artifex sapientissimus opus mundi hujus, tanquam domum suam, non in arena peccati, sed in solida originalis innocentiæ petra fundaverat, eidémque tanquam tectum quoddam ac coronam, Adamum, & Evam imposuerat, talique complemento laborem omnem suum absolverat. *Vidit Deus* omnia opera sua *quæ fecerat, & erant valde bona.* Sed quia brevi pòst subintravit peccatum, & per peccatum mala omnia inundaverunt, maximum imprimis detrimentum tectum accepit, id est vir & mulier, lege nuptiarum conculcatâ, & omni carne corrumpente viam suam: oportebat divinam Sapientiam ibi incipere, ubi antea mira, ac ineffabilia facere desiisset; & ubi potissima corruptio ac vetustas viscbatur, in illa primum dissolvenda, instaurandáque operam collocare. Deus Pater prius omnem præmisit apparatum, in quem Neo-Sponsam induceret, ne criminaretur (sicut multis hodie accidit) quæreturq; veniisse se ad vacuum, & in splendidas miserias. Inducebatur illa non tanquam mulier in domum viri, sed tanquam Regina in palatium Sponsi instructissimum, omni bonorum genere opulentum; atque utinam grata pro beneficio, reverens pro dono extitisset! Postea verò regnante miseriâ, & matrimonialis charitatis rosam tot undique eingentibus in coronam aculeis ac spinis, necesse fuit, ut Christus misericordissimus istis primum impenderet beneficentiæ suæ solatium, *propter honorem Dei Patris* nuptiarum auctoris; ostendendo pariter conjugatis, fieri posse, ut læva omnia, ac difficultates quæ eorum statum comitantur in hujus vitæ exilio, recursu ad Deum fiduciali superentur, ac molliantur. His auditis, non sine cordis suspirio audire vos video dicentes: Utinam vel minimam partem emendare possim malorum, quibus mersus sum! id sanè majus miraculum foret, quàm hodie in Cana factum est. Bono estote animo, Dilectissimi! aderit JESUS, aderit MARIA, *quidcunque dixerint vobis, facite*, facite inquam, & juxta Dei Ordinationem disponite nuptias vestras, & hoc erit *Miraculum.* Miraculum quæritis? Dico: In Matrimonio piè, sanctéque viventes sunt revera *miraculum*, & inter omnia Christi signa primum. Hoc erit thema dictionis.

Simile.

§. I.

Miracula per Christi virtutem in Matrimonio.

Animadvertite bene: Istud miraculum fuit *Initium Signorum*, & mirabilium, oportuit ergo & alia fecisse signa Christum? & quidem plurima per se, per Apostolos. Si quæris, cur rectè miraculi hujus omnium primi locum determinaverit *Nuptias*, ut dum copulabantur dexteræ sociali vinculo nuptiarum, tunc Dei Filius *aquam in vinum* inaudito commutaret prodigio. Neque enim casu factum arbitror, & Christus ipse maximè cavebat, ne in certis locis faceret signum, contrà in aliquibus plurima. Dico: pro circumstantia loci, & Personarum hoc fecisse Christum, & quia Nuptiæ erant optimus locus faciendi hoc miraculum. Et cur? Quia in Matrimonio bene, sanctéque viventes revera sunt *Miraculum*, & (ut inhæreamus Evangelio) primi sunt inter omnia signa Christi. Explico mentem meam: &, si miracula audire delectat, etiam imitari non pigeat.

1mum. Difficultates, quæ comitantur matrimonium, æquo animo ferre.

Primum Miraculum in Matrimonio pono: Carere omni defectu, & omnia ex voto fluere. Quod quidem si vel auditu acciperemus alicubi gentium, & terrarum exstare matrimonium tale, tanquam ad *miraculum* intuendum eò proficisci dignum esset. Ratio est: quia hæc est *Imago primi sæculi*, originalis innocentiæ typus quidam, & terræ Virginis flos & partus, illibatæ naturæ beatitas: videlicet matrimonialis charitatis rosam sine aculeis ac spinis videre, immunem omni defectu, & copiâ pacis intueri vernantem, ubi nihil subintret, quod mutuam concordiam, & amorem contristet; nihil, quod opes imminuat, quod valetudinem lædat, quod metum incutiat foris, quod domi hilaritatem perturbet, sed omnia ex animi sententia perenni voluptate promanent, ac fluant. *Vadam, & videbo visionem hanc grandem!* At verò post tantam mutationem

nem scenarum, pro sæculi nostri conditione tantum abest, ut hanc thalamis vestris felicitatem polliceri possitis, ut ne à limine quidem invicem salutare possitis, quin se molestia quæpiam misceat, & cura, quæ hilaritatem vestram ipso gaudiorum die contristet. Ecce Evangelium! In geniali Neo-Conjugum mensa vix initium sumpsit convivalis hilaritas, vix pocula in orbem redière fausti cum apprecationibus, statim voces audiuntur: *Vinum non habent.* Quod plus est, Cherubicus Divinæ Matris oculus sicut semper eò reflectitur, ubi indigentia, ubi penuria est: nec hic dubitavit Filium pro Sponsis interpellare. Et quid? adeò miti postulato quale datur responsum? *Quid mihi, & tibi Mulier? nondum venit hora mea.*

Tria hæc abesse à conjugatis: defectum rerum, dolorem, separationem, certissimum est *miraculum.* Quæ enim unquam conjugia extitêre, quæ temporalium rerum defectum nescierunt? Qui illi conjuges, inter quos toto cohabitationis tempore dissidia, aut querelæ defuerint, ubi suspicio non confudit gaudia, ubi rixæ quantumvis breves vocem à Marito impatientem non extorserint, ubi denique contra sustentationem suam, suorúmque questa non sit mulier? Da mihi tale par, & ego tanquam de Paradiso venientibus assurgam. Denique quæ unquam nuptiæ extiterunt, quas mors non clausit, vel non clausura sit? *Nondum venit hora mea.* Quia etsi hora est occulta, non dubitatur tamen esse vicina. Sed quid ego quæro in exilio, & vera lacrymarum valle bonorum horum affluentiam, quam in ipso primigeniæ innocentiæ statu, ne diu duraret, Diaboli invidia turbavit? Vix enim Adamum inter, & Evam coaluêre felices Sponsore Deo nuptiæ, ecce Tentator adfuit, serpentinum illud *Quare* Mulieri priori suggessit: *Quare præcepit vobis?* Et numquid vos fecit Deus mundi Principes, potestati vestræ subjiciens omnia, quomodo ergo unam arborem excipiat? Excepit sine dubio, & per hoc ostendit, nullum Matrimonium esse sine defectu, neque licere omnia semper conjugatis quantumvis Principes sint, neque Deum obligari, ut omnia ex voto affluant. Postea verò quàm Adam præcepto Creatoris preces uxoris prætulisset, legat qui volet pœnas illorum, quæ quidem ad tria capita, quæ supra dixi, reducuntur. Prima est paupertas: in qua *in sudore vultûs* vesci jubebatur quotidiano pane suo. Mulieri denunciabatur: *In dolore paries.* Et quid post innumera exilia & mala? *Pulvis es.* Ex thalamo ad tumulum. O tristes voluptatum exitus! Tria hæc an bene declarent *Tribulationem carnis*, quam Apostolus conjugibus prædixit; vos scitis, qui hæc experti estis. Hæc tria quàm certum est non abesse à Matrimonio, tam certum esset *Miraculum* ea sanctè, & piè tolerare. Nec alia ratio commodior reddi potest, cur Christus in Nuptiis fecit Miraculum: quàm ut per hoc ostenderet, se *ex multis impossibilibus* facturum *possibilia*, ut etiam aquæ tribulationis vertantur in vinum dilectionis; ut mutuæ charitatis dulcedine inebriati conjuges dum Dei ordinationem custodiunt, hujus vitæ acerbitatibus omnibus superiores effecti, & bona de manu Dei suscipiant, & nullis frangantur adversis. Hoc agite Conjuges, & Miraculum feciſtis. *Hoc fecit initium signorum JESUS.* 1. Cor. 7.

§. II.

Secundum Miraculum: fidem Conjugalem illibatam custodire.

Huic par, & adhuc majus Miraculum in Matrimonio statuo: *Esse inter duos.* Hoc dixit Deus: *Erunt duo in carne una*, & non plures. Ecce Miraculum novum! *Dualitas in unione, & unio in dualitate.* Huc collimat Apostoli dictum: *Unusquisque habeat suam uxorem*, & non SUAS; *& unaquæque suum virum*, & non SUOS. Hoc utique dixit non præcipiendo unicuique ducere uxorem (nam *Qui non ducit, melius facit*, ut ipse prænonet) sed ut quam quis semel duxit, eâ sanctè contentus sit, ut sint *duo in carne una.* Quod tanti momenti, & curæ Deo est, ut *propter hoc relinquat homo Patrem, & Matrem, & sit adhærens uxori suæ.* Hoc est, ut Conjuges qui contrahunt matrimonium, sic se gerant, quasi nec Patrem haberent, nec Matrem, nec ullum cognationis vinculum obstare patiantur amori conjugali, tantum abest Latronem, quod absit! ne videlicet dualitas in unitate, & unitas in dualitate (*Miracula* sunt hæc) perturbetur. 1. Cor. 7.

Neque hic contentus Deus dispensâsse in jure Patris, & Matris respectu Conjugum: insuper gravi dualitatem hanc statuit, ut Dominus, edicto: *Quod Deus conjunxit, homo non separet.* Marc. 10. Stupendam rem hic, & mira-

miraculo parem notate. Neque enim vel Angeli mentionem fecit, vel Dæmonis, ſed *hominis*. Non dixit: *Quod Deus conjunxit*, Angelus *non ſeparet*, neque enim Angelus agit contra Deum, ſi bonus eſt; ſin malus, quid Diabolo cum nuptiis? ſed dicit: *Homo non ſeparet*. ſolus quippe homo *Dualitatem* hanc diſſolvere poteſt, ſi in conjugium ſublata Dualitate invehat *Trinitatem*, ſubinde Quaternitatem. Legite Geneſim. Aliquando profectus Abraham in terram Geraris, Saram ſicut thalami, ſic itineris, & laborum ſociam fidiſſimam deprecari cœpit, ut cum apud Barbaros diverterint, diſſimulatâ perſonâ Uxoris indueret interim *Sororem*, ſubque ſpecioſo nominis hujus pallio vitam, ſalutémque mariti certo diſcrimine liberaret: *Dixítque de uxore ſua Sara: Soror mea eſt.* Simul ac Saræ facies, velut ſydus quoddam peregrina in terra reſulſit, adſuerunt illico, qui eam comiter ſalutatam ad Regem deducerent. Miſer Abraham feciſti *ſororem*, & perdidiſti Uxorem! Sed ecce mutatas rerum ſcenas! *Venit autem Deus ad Abimelech per noctem, & ait illi: En morieris propter mulierem, quam tuliſti; habet enim virum.* Abrahamum Deus conjunxerat cum Sara, quis igitur hominum vinculum illud Divinum tollere tentabit? Sed cum mortalium inventus fuiſſet nemo, qui ſcelus impedire vel auderet, vel poſſet, *Venit Deus ad Abimelech*, & interitum denunciat, niſi Uxorem habentem virum dimittat. Audiamus exceptionem Abimelechi: *In ſimplicitate cordis mei, & in munditia manuum mearum feci hoc.* Miraculum in Barbaro! Invitatam ait, à ſe in domum non animo rapiendi uxorem, quam viro copulatam ignorâſſet. *Et ego ſcio* (reponit Deus) *quia ſimplici corde feceris, & ideo cuſtodivi te, ne peccares in me. Nunc ergo redde viro ſuo uxorem.* Multa eſſent hic conſideratione digna. Ad meum ſcopum facit *1mò.* In Conjugio ſublata Dualitate invehere pluralitatem, eſt tollere Chriſtianam legem, ſiquidem mulier ſi vivente viro fuerit cum altero, *Adultera vocabitur*, & viciſſim Abimelecho, Uxoris alienæ, quam ne quidem tetigerat, reſtitutio ſub pœna mortis indicitur. Quidſi illam violâſſet? Et quænam eos ſententia manet, qui alieno thoro inſidiantur? quid iis fiet, quæ ultrò ſeſe ingerunt? Quodſi mortis Reus eſt Rex, quòd mulierem tulerit, quam conjugatam eſſe neſciebat: quis finis abſtrahentium è ſinu virorum Sponſas, uxorésque? *2dò.* Ex hoc caſu intelligimus, virum & mulierem in conjugio ſic facere dualitatem, ut tamen ſemper ibi Tertius junctus ſit, DEUS, vel cuſtos, vel vindex. *Et ideo cuſtodivi te, ne peccares* MIHI. Si neſcit maritus, quid abſente ſe domi agatur, at ſciet thalami cuſtos DEUS. Timete Chriſtiani! *3tiò.* Interminatione mortis dimiſſio imperatur, & impetratur. Quàm pauci Abimelechi, & Raptores, qui ad Dei nuncium è nefario complexu ſeſe expediant, & reſtituant proximo, quod illius eſt? Quisquis te à Chriſto Chriſtianum vocas, honora immaculatum thorum, reſcinde periculoſa commercia, ſiquid ſimile habes, dimitte; ſi non habes, non admitte, Miraculum feciſti. *Hoc fecit initium ſignorum JESUS.*

Quantum ſcelus in thori dualitatem, invehere trinitatẽ? Gen. 20.

1. Cor. 6.

§. III.

3tium Miraculum: Amor uſque ad mortem conſtans, ſincerus. Ejus ſymbola ex utroque Teſtamento.

Fundamentum Nuptiarum, Dualitas eſt, ex qua naſcitur, conſervatúrque mutuus *Amor* inter Conjuges. En tertium *Miraculum!* Amor uſque ad mortem. In cujus Amoris ſymbolum alluſit divina ſapientia creando Evam non aliunde, quàm ex latere viri. Quid enim ſi accepiſſet de *oculo* Adami particulam, & ædificâſſet in mulierem? at dicetis futuram fuiſſe eam valde curioſam, aut delicatam, quæ vel pulviſculo lædi ſe minimè patiatur. Quidſi ex *capite?* at prætendiſſet imperium ac dominatum, non contenta *thoro*, niſi & *throno* ſocietur. Ex *pedibus* cavit ſumere Deus, ne Dei imago tractaretur inſtar ſcabelli; & quæ vitæ ſocia deſtinabatur, haberetur pro ſerva. Omnia hæc reliquit, ſed ex coſta lateris, ubi eſt ſedes amoris, creatam Adamo tradidit. Sinus aperiebatur, & dilectio fundabatur. Numquid divinè? Audiamus plura.

In N. T. Nuptiarum dignitatem commendaturus Paulus, argumento fateor ſublimi adſtruit, & Dualitatem, de qua dixi, & amoris conjugalis eminentiam: *Viri diligite uxores veſtras, ſicut & Chriſtus Eccleſiam, pro qua animam ſuam dedit.* Eph. 5. Stat totum in illo: *Sicut.* Pergit ibidem: *Sacramentum hoc magnum eſt; ego autem dico in Chriſto, & Eccleſia.* Vult amorem conjugalem mutuum, eſſe ſimilitudinem, & genuinam repræſentationem amoris

amoris Christi erga suam Ecclesiam: quod insigni facto ostendit Christus: quando morientis latere reserato, cum aqua, & sanguine inde manârunt Sacramenta, & Ecclesia fundata. Ex latere inquam, ubi est sedes amoris, fluxit Sacramentum Matrimonii; ut socialis vitæ originem ex latere Christi esse sciret, & casu quo charitas refrigesceret, ad illud latus redire, amorémque inde reparare, & animare disceres. Sic Elzearius Comes Uxori suæ Dalphinæ aliquando rescripsit: *Si vis me invenire, quære me in lateribus Christi.* Et quid ibi quærebat S. Elzearius? ibi dolores leniebat, charitatem reparabat, ad fortia agenda & patienda pectus animabat. Diabolus si à latere Christi semel abstrahere possit maritum, abstrahet certissimè etiam à latere uxoris, & vicissim; jam enim diffracto ac soluto Sacramento lateris Christi, in quo prius uniebantur ad invicem vir & mulier, necesse erit solvi pariter Sacramentum amoris mutui. In doloribus igitur, & crucibus; in perplexitatibus, ac tricis huc tendite, huc confugite; ne in turbido piscetur inimicus; ad hanc vos veri amoris, ac patientiæ scholam recipite, & nulla vi ab ejus latere abstrahi patiamini, ex quo formati, ex quo sanctificati, & ad invicem uniti primum fuistis. *Sacramentum hoc magnum est, ego autem dico, in Christo, & Ecclesia.*

Insigne documentum ad Conjuges.

Ex qua formatione Matrimonii de latere Christi mortui (post mortem enim lanceâ punctum est ejus latus) accipite Conjuges admirabile mysterium mutuæ dilectionis; videlicet *1mò*, Hinc docet Paulus, non esse verum amorem inter vos, nisi usque ad mortem duret. Date mihi amorem talem, qui nunquam refrixerit ab initio, *Miraculum* hoc erit meritò nuptiis hodiernis præferendum! Vis adhuc amplius? Si amor etiam post mortem duret. Quàm paucæ Judithæ, paucæ Elisabethæ, verè miracula sæculorum, quæ cum Sichæa Vidua procis suis respondeant illud celebre:

Ille meos, primus qui me sibi junxit, amores
Abstulit, ille idem teneat, fervétque sepulchro.

Alia tria documenta ex textu S. Pauli.

Hoc mysterio Paulus docet *2dò*; ad conservandum amorem, ipsam mortem pro invicem subeundam esse. Unde ergo fit, quòd propter intervenientem unum morbum, & quid dico morbum? ob verbum, dissocietur affectus? Imò ob solam suspicionem imaginariam tot vincula, tot fœdera prosterni quis non miretur? Verum quidem est, in Conjugio positos esse debere cautos, ne, qui divino præcepto *Patrem & Matrem* reliquerunt, ut fierent *una caro;* ne inquam extraneorum sese societati plùs misceant, ac par sit; at ex quolibet signo læsam fidem, violatum amorem queri, proclamare adulterum, id jam non esset amare, sed tyrannidem sustinere.

3tiò denique, Ex mortui Christi latere fundatum esse docet hoc Sacramentum; ut sciant legem suam conjugati: *Vitam suam mortuam esse.* Quid est esse *Mortuum?* Mortuum esse est alienis manibus tractari; verbo: Libertatem suam vendidisse, virum conjugi, conjugem viro. Ne autem queramini vitam, libertatémque omnem vestram perdidisse, reflectite vos ad dictum Apostoli: *Mortui enim estis, & vita vestra abscondita est in Christo JESU.* Libertas moriatur, vivat amor! Claudantur oculi extraneis, & in uno viro figantur, & vicissim. *Miracula* hæc sunt, & idcirco rarissima, nec tamen Christi virtute, ac adjutorio desperanda. Quin imò Coloss. 3.

Similia Miracula, & modò fieri posse patrocinio B. M. V.

Efficientur & temporibus nostris Miracula talia, & plurima, si, quod Sponsi in Cana Galilææ fecerunt, divino nomine invocato Nuptiæ inchoentur; si inquam Deo socialis vitæ auctore, si Christo Nuptiarum cohonestatore, si Spiritu Sancto Sanctificatore ac Præside; si denique Intemerata Virgine Matre advocata dexteræ socientur, & gratiæ stolâ in individuam vitæ societatem colligentur. Atque ego hic dum Virginem Sacratissimam undique misericordiæ oculis, uti terrestrem Cherubinum, instructissimam, audio pro inopibus Sponsis Oratricem effectam cum effectu felici (quid enim Filius negabit Matri?) Totum terrarum orbem in tres divido classes, omniúmque Patronam agnosci volo MARIAM.

B. V. omnium Statuum Ecclesiæ Patronæ.

Aciem ducant, qui nondum legibus Matrimonii subacti libertatem perfectissimam habent nubendi, vel non, Virgines scilicet; Talium est Patrona MARIA, quæ illibatum Virginitatis florem ad virgineum Matrimonium virginèe intulit; & quid mirum si ex hoc virgineo Matrimonio sine copula carnali nasci potuit Filius, *ex virga de radice Jesse*, flos? Sub hoc titulo omnibus virginibus, & maximè religioso voto ligatis

gatis commendo MARIAM, commendo recursum fiducialem, commendo præsidium. Vos verò Nupturientes desideratis facere *miraculum* aliquod? Id equidem Christi virtute, ac Mariano obtinebitis præsidio, ut tanquam *Sanctorum filii*, casti ad castas nuptias accedatis. Diaboli *miracula* sunt hodie, prius fieri Matres, quàm Uxores; quid mirum si in tali conjugio amara sint omnia, inauspicata omnia, benedictio nulla?

2da classis est, matrimonio junctorum: quibus certè ad continuationem socialis vitæ, laborúmque tolerantiam invictam, præsidium MARIÆ necessarium imprimis est. Res admirabilis! B. V. in tota S. Scriptura nusquam legitur, nisi hic pro Sponsis aliquid rogâsse Filium. Et rogavit non rogata, quid non faciet rogata? Nulla Mater novit melius, quid sit esse Matrem. Dicite ergo illi: *Monstra te esse Matrem!*

3tiam classem faciant Viduæ charissimis maritis orbatæ. Earum quoque Patrona est MARIA eò etiam amplior, quòd antea dum in conjugio versaretur mulier, ejus *caput* fuit *vir*, nunc autem ejus *caput* est *Christus*; cui dum unicè placere student, & quærunt, certò noverint se fore pupillas oculi Mariani, perpetuúmque in ejus sinu refugium habituras; si modò & ipsæ pro modulo suo ejus vitam imitari studuerint, quæ sicut Virginibus iter ad Matrimonium virginitatis suæ luce signavit, & in conjugio Mater Matribus edidit exemplum in amore, in dualitate, in doloribus, in pace: Sic postea Viduis præluxit, Sponso, Filióque orbata charissimo, solitudinem æternæ vitæ meditatione condiendo, ac dulcorando. Audéte & vos facere tale *Miraculum!* ut eò magis impetretis ejus orationis suffragium, & potentissimo vivi, mortuique fulciamini patrocinio Mariano. AMEN.

DOMINICA III. POST EPIPHANIAM.

SERMO I.

Dico huic: Vade, & vadit; & servo meo: fac hoc, & facit. Matth. 8.

SUMMARIUM.

Bonorum famulorum Penuriam quid faciat?

I. *Dominorum rigor.*
II. *Pactæ mercedis fraudatio.*

Centurio à Christo laudem, à servis fidelitatem quo pacto meruit?

CEnturionis rara humanitas, ac sui demissio, quâ pro recuperando famulo non dubitavit accedere Salvatorem mundi; duo præcipua decora viro militari contulit: alterum, ut *fidem* Christus admiraretur, cui parem *in Israël*, hoc est in Patriarcharum, Regum, Prophetarum nepotibus, ac filiis non invenisset; *fidem* tam modestiâ plenam, ut tectum suum tanti hospitis majestate dignum esse negaret; tam firmam & eminentem, ut nihil dubitaret, vel corpore absentem Dominum imperare morbis posse, & fugare mortem; tam actuosam, & ferventem, ut pro salute Servi deprecator accederet. *Audiens JESUS, miratus est, & sequentibus se dixit: Amen dico vobis: non inveni tantam fidem in Israël.* In procuranda servi salute impensa humanitas hoc illi primum peperit decus, ut Christi cor raperet in admirationem, linguam in laudem, oculos in amorem. Alterum, quòd tanta in domesticos humanitate promeruit, erat, ut vicissim à Militibus amaretur ut Pater; à Servis timeretur ut Deus; ex ejus ore, & imperio tam moderato penderent universi, & obedientiam pro lucro reputarent. *Dico huic: Vade, & vadit; & servo meo: fac hoc, & facit.* Caspia saxa, non homines sint, qui tam pios, tam humanos non revereantur heros; non redament, à quibus

quibus amari se vident, Patronos tam beneficos.

Fuit hæc ratio ad persuadendum efficax, ut Miliți quod orabat, sine mora conferret Christus: *Multi* (Origenis verba sunt) *eo tempore pro diversis rogabant infirmitatibus, NULLUS tamen PRO SERVO. Et hoc ei ad augmentum beatitudinis, & coronam gloriæ erat.* Quasi dicat: Mirum non fuisset, si pro filio uteri sui (qualiter Chananæa, & Regulus) deprecator accessisset; quia ibi & amor grandior, & obligatio major Patris ad filium servandum viscera urget, & miseratione prosternit; ideóque plus Christo placuisse obsequium Domini pro Servo, quàm Chananææ Matris pro filia, certissimum est. *imò*, quia quotidianum est Parentibus filiorum saluti consulere: PRO SERVO, qui solicitus sit, corvo rarior albo. *2dò.* Ille amor fundatur in natura; Charitas in servum fundatur in gratia, propter solum Deum, quem agnoscimus diligendum propter se, & diligendum proximum propter Deum; quis enim favor? quæ alia retributio sperari à famulo queat, nisi in eo imago Dei aspiciatur? quam credibile est Gentilem hunc respexisse, & considerâsse, quòd sit consors ejusdem naturæ, par Dei opus, & imago, futurus olim collega throni in regno, qui nunc servus in domo, uti statu inferior, sic miseratione dignior. *Multi eô tempore pro diversis rogabant infirmitatibus*, NULLUS *tamen* PRO SERVO. Cujus salutem dum Centurio pro viribus procurat, & in eo DEUM respicit, itidem à DEO respicitur, inquit Basilius Magnus: *Servi sanitatem requirens, Dominum reperit; dúmque ipse servi sanationem venatur, fit ipse Domino præda.*

Hom. 5. de diversi.

Magis commendat fidem, cura Servi, quàm filii

In Servis respiciendus Creator.

Orat. 19.

Hinc colligant Domini, quantam habeant fidem. Quis est pro servi sui salute ita solicitus, ut non solùm alimenta præstet corporalia dum sanus est, & viget; sed etiam animæ de salutaribus remediis prospiciat, dum infirmatur? Heu! nos Christianos quanto rubore homo Gentilis afficiet tam modicam fidem habentes? qui nedum prostratos erigimus, sed tyrannorum more stantes prosternimus, valentes conterimus, & *LEONES in domo* sumus. Homo Ethnicus viscera, quæ non tenebatur, pandit, & Creatori ministrat in Servo: nos debito fraudamus stipendio, ut pro vindicta vociferentur in cœlum. An ita sit, & Christianis quàm sit utrumque indignum; vestrum erit, Domini, ex iis, quæ præsenti sermone prolaturus sum, metiri *fidem* vestram, & conscientiam.

§. I.

Pars prior. Dominorum rigor immisericors.

Sanè mirum est, cùm Regnum vestrum & populosissimum esse, & divitiis abundare gloriemini, nihilominus querimur omnes penuriâ bonorum famulorum nos laborare, penéque *Lucernâ Diogenis accensâ* ad meridianum solis jubar inquirendum esse fidelem Servum. Videant Domini, & Patresfamilias, ne per ipsos stet, ut & alii optimi viri penuriâ hâc vexentur, laboréntque; scilicet cùm semel apud vos in scyllam inciderunt, ubique metuant, & in omnium *alis pauperum sanguinem* stillare suspicentur; quò fit, ut omnia tuta, sæpe delusi vereantur. Non hoc dico, quasi omnes Servi vestri Angeli sint, qui Dominorum suorum currum cum Cherubinis ad nutum dominalis imperii quacunque ferre parati sint sine querela, sine repugnantia, *Quasi Domino servientes, & non hominibus.* Neque eò dementiæ veni, ut credam famulos aut omnes esse Davides, saluti, honori, emolumentis curiæ vestræ intensissimos: aut vos omnes Saules arbitrer spiritu furoris exagitatos, mala pro bonis reddentes; ut idcirco cogantur miseri spontaneo susceptо exilio inter scopulos, & feras quietius vivere, aut in montibus latrocinia profiteri, quibus inter cives in Urbibus, in Curia cum Nobilibus, ob avaritiam, & crudelitatem salvis, securisque esse non liceat. Ego hoc non dico. Scio nec omnes esse *Ægypti Præpositos*, qui subditis Christi sanguine redemptis panem tribulationis proponant, & duplicent opera laterum, eos nunquam non otii incusantes. Et hoc novi probè, non omnes esse Labanos, qui *decies immutent mercedem* pactam, atque conventam, jubeántque sic afflictos pro vindicta in cœlum clamare, aut nomen Domini exercituum blasphemare. Nec omnes Dominas esse *Uxores Putipharis*, quibuscum non liceat uno sub tecto castis commorari junioribus famulis, ephebis, ut Confessarii sententiâ jubeantur solum vertere, salutémque in tuto collocare. Procul à me sit tam crudelis opinio de Dominabus, Dominisque, qui Sacro-sanctam JESU Christi Fidem profitentur, súntque tanti Capitis membra, *superædificata super fundamentum Apostolorum, & Prophetarum, ipso summo*

Jer. 2. 34.

Coloss. 3. 23.

Gen. 31.

no angulari lapide Christo: ut persuadeam mihi, eos Evangelia de inimicis audire, & in domesticos sævire; de Eleemosynis doctrinas excipere, & de subditis prædas agere; alienigenis hospitalitatem exhibere, & Domesticos fame, cæde, injuriis vexare? Audire Christum, ut oculum proprium eruant: & famulo scandalum ponere? Utinam! quàm hæc sunt à JESU Christi lege remotissima, eique infinitè contraria; à vobis, Christiani Patresfamilias, & Dómini, pari ardore fugiantur, & vitentur! Sed dico: aut Domini *Sancti* sunt, & quis cum Sancto habitet, nequitiis deditus? aut nimis rigidi sunt, & quis rigidos ferat, clementibus assuetus? Nihil ita Christianos dedecet, ut immisericordia, quibus ut Dei imitatoribus, & filiis Evangelia clamant tam sonora voce: *Estote misericordes, sicut & Pater vester misericors est;* jam si affectum benignitatis in suscipiendo, & viscera misericordiæ in condonando, & obliviscendo, etiam inimicis professis & capitalibus impendere debuimus; quantò minus domesticos servos, & subditos privare conveniet communi illo Christianæ benignitatis solatio, & remedio unico, quò vel ipsos hostes fovere, complectique in Christo jubemur? Si peregrinos excipere, advenas tecto & sinu fovere, alienigenis cibum, potúmque proponere, Christi imperio jubemini; in vos Christiani Patresfamilias cadere possit? ut ob avaritiam, crudelitatémque vestram, domesticæ familiæ tot acerbitatibus vexatæ vobiscum habitare non liceat, sed mutare sedes, & dominos compellantur?

Christianos decet misereri inimicorum: quantò magis domesticorum?

Luc. 6. 36.

Indignum sanè est, ut, quos oportebat in domo sua præsidere ut Patres, Servósque, *Puerorum* (uti Scriptura amat loqui) & quasi filiorum loco habere; vertantur in Tyrannos, à quibus non amor, non vox solatii: sed juges rixæ, increpationes, blasphemiæ, & contumeliæ audiantur. Si, cum corpore valent, & munere suo sat probè funguntur, sic tractantur; nec audeo meminisse, quid fractis, atque infirmis fiat? Utinam non domo eliminentur! Quò fit, ut adhuc sani, ac fideles servi, horrore commoti perterritique prius fugam arripiant. Bene de talibus Salamon: *Benefacit animæ suæ vir misericors: qui autem crudelis est, etiam propinquos abjicit.* Quid autem propinquius Dominis, quàm *Servi?* quos à *servando* sic nominatos ego didiceram, ut & Domini se eorum *servatores* meminerint esse, & illi *servatos* se perpetuâ memoriâ glorientur, beneficiúmque fideli servitute compensent. Christianis Dominis quid tam vicinum, ac subditi? sub eodem Deo, & ad imaginem Dei formati, ad æternam felicitatem æquè creati, eodem sanguine redempti, suorum Dominorum *cohæredes* conscripti: hoc quantum ad gratiam. Quoad statum vitæ quid familiarius, quam ii, quorum sudoribus quotidie pascuntur, quorum dexteris res domestica stat, augentur opes, & conservantur? sine his redigerentur in solitudinem palatia, labarent mitræ Pontificum, titubarent Regum cydares, algeret focus Nobilium, & serica in pannos mutarentur. Sed quid? immisericors & *crudelis etiam propinquos abjicit;* & quos, Majores vestri clementiâ ac virtute congregârunt, vos cœdibus, captivitate, vinculis perterrefactos dispergitis incredibili cum miserorum illorum luctu, ac fortunarum vestrarum detrimento. Repeto. Heu quantum nos confundit Centurionis Gentilis in servum exhibita benignitas! Quid in factis nostris est, quod non sit undequaque à Christo remotum, ac barbarum? In Ethnici hujus actionibus quæ pars est non Christiana, non Evangelio concors? *Domine* (inquit) *Puer meus jacet in domo Paraliticus.* Alibi apud Evangelistam: *Et erat illi pretiosus.* Omnes circumstantiæ paternum spirant affectum; solicitudinem, quâ personaliter ad Christum pro servo Orator accessit; amorem, quo utrámque substantiam corporis, & animæ sanam, valentémque exoptavit; dilectionem: quem enim *pretiosum* habuit dum valeret, nec prostratum deseruit, sed velut pater filium complexus summa cum famulorum ædificatione confovebat. Audite quonam argumento ad hæc officia præstanda sit inductus: *Nam & ego* (dicebat Christo) *homo sum sub potestate* constitutus. Ex quo sic inferebat: Meus Tribunus (erat enim miles) vellem si me solaretur infirmum in castris, si mihi advocaret medicum, si cibo de mensa sua foveret, recrearet; quin igitur idem servo meo præsto? Ego vellem, ut mihi quàm moderatissimè imperaret, clemens in me, & beneficus esset: pari humanitate mihi cum servis agendum. *Leniter imperantibus libentius paremus,* ut verissimè Ethnicus dixit. Domini, periclitemini hanc artem in regimine domûs;

Servi quasi filiorum loco habendi.

Prov. 11.

Servum à servando dici, ergo Domini sint servatores.

Servorum utilitatem.

Quonam argumento Centurio sit usus?

Seneca.

mûs; probate lenitatem, qui probâstis fruſtra ſeveritatem, & familiam perdidiſtis. Quid ſi vobiſcum reciprocè ſic Deus agat? Si, quorum ſub poteſtate eſtis, Principes vobis catenas, vincula minentur? Quomodo Chriſtus intrabit ſub tectum veſtrum, ubi ejus membra quotidie vapulant, & in illis Chriſtus? *Quod uni ex minimis meis feciſtis, mihi feciſtis.*

§. II.

Pars poſterior; De injuſtitiis Dominorum.

Quàm ſtupendum Ethnici Militis facinus, Creatori ſuo in perſona ſervi miniſtrantis adeo dulciter, ut vel paludamento ſuo infirmum foveat: tam intolerandum in Chriſtianis, domeſticorum ſuorum non dico curam omittere, ſed ex eorum ore bolum eripere, & (quod terribilius!) annuos ſudores pacta, conventáque fraudare mercede.

Deut. 24. Legem audite. *Non negabis mercedem indigentis, & pauperis fratris tui, ſicut & advenæ, qui tecum moratur in terra, & intra portas tuas eſt; ſed eadem die reddes ei pretium laboris ſui, ante SOLIS OCCASUM, QUIA PAUPER EST, ET EX EO SUSTENTAT ANIMAM SUAM.* Additur ratio, quæ omnium Dominorum aures, & cor terreat! *Ne clamet contra te ad Dominum.* En, ut ſervorum lachrymæ, quæ à Dominorum conſpectu arcentur, ad Deum penetrant! Et notandum, quod Orphanorum, Pupillorum, Servorum, & mercenariorum lachrymæ, ſint inſtar ſanguinis de terra clamantis ad Dominum.

Vi am eripere, & mercedē: utrumque in cœlum clamans.

Gen. 4. *Vox ſanguinis fratris tui clamat ad me de terra.* Ratio eſt: quia fraudata Operariorum merces, eſt quædam occiſio, & quandoque occiſione gravior:

Eccli. 34. *Qui effudit ſanguinem, & qui fraudem facit mercenario, FRATRES SUNT.* Quid ita? eò quòd utrobique ſanguis

Ibid. funditur. *Qui aufert in ſudore panem, quaſi qui occidit proximum ſuum.* Quid ergo mirum, ſi clamor pauperum penetret ad Dominum? pertingat ad ipſum thronum? Sed occluſimus ora illorum verberibus? verbera duplicati clamores erunt ad cœlum. Quid verò, ſi profundo carceri ipſos demerſimus, numquid ex illo baratro clamare in cœlum valebunt? Certè, lapides illi actores, teſtésque ſceleris erunt, per quos

Jac. 5. *clamor eorum in aures Domini Sabaoth introibit.* Domini! & vos, cùm oppreſſi famuli vindictæ Supremum Dominatorem admonent, dicitis: Latratum canum non porrigi in cœlum; &, ſi eò pertingat, quid tum? *Accedam* (inquid Deus) *ad vos in judicio.* Ad cætera flagitia compeſcenda expeditio imperatur lapidibus, grandini, peſti, fami, quæ vindictam Dei portant in cervices peccatorum: Clamor pauperum, vox ſanguinis mercenariorum ab ipſo throno Deum excitat, Dominum exercituum à regalibus ſedibus advocat ad ulciſcendos cujuscunque Dignitatis, & Eminentiæ tyrannos, & oppreſſores. *Accedam ad vos in judicio, & ero teſtis, qui calumniantur mercedem mercenarii, viduas, & pupillos.* Ubi noto etiam cum Propheta: Calvam eſſe excuſationem eorum, qui dicunt: Famulum eſſe mortuum; cui reddam? Habet *Viduam*, habet *pupillos.* Habet animam, quæ non moritur, pro hujus refrigerio diſtribue, da pauperibus, qui pro illa exorent, ut à peccatis ſolvatur; non enim tuum eſt, da cui debes, & pro quo debes; niſi velis habere *portionem cum homicidis.* Scito, quia *vox ſanguinis* clamabit ad Dominum. Malach 3. 4.

Ita eſt. Sed quemadmodum inter clamores eſt differentia: alii ſunt tono majore, alii minore, alii vaſtiſſimo: ſic in hoc genere peccati, pro ratione pacti, quod initum eſt, ſicut ſunt gradus malitiæ defraudatæ mercedis, ſic & gradus clamorum ad Dominum.

Primi ſunt illi, qui pactum ſtipendium, anno ſervitii perſoluto, differunt, ſic, ut ad majorem ſummam excreſcat cenſus, quàm ſit capitale: Simillimi Corvis, ſuo etenim *Cras, cras* tædioſiſſimo animas mercenariorum enecant, ut non rarò interea morte interveniente, penitus obliteretur memoria debiti, & à Succeſſore reponi ſibi audiant! Quid ad me? pete ab eo, cui ſerviviſti. Quot hujusmodi per ſcelus dilata, & protelata ſtipendia apud Magnos inveniremus in Protocolis? Accidit aliquando, ut Aſverus noctem inſomnem ducens, curaret ſibi prælegi Annales; inter cætera audit: quomodo Mardochæus detexiſſet conjurationem Bagathan in caput Regis. *Quod cùm audiſſet Rex, ait: Quid prò hac fide honoris, & præmii Mardochæus conſecutus eſt?* Reſpondentibus Miniſtris: *Nihil omnino mercedis accepiſſe;* ingemuit, & advocato qui pro foribus palatii excubabat, Amane, conſultóque, præmium tantâ fidelitate dignum Mardochæo perſolvi cum

1mus gradus, mercedem differre. Eſth. 6.

fœnore

Aularum mos, oblivioni mandare sudores benemeritorum.

fœnore imperavit. Hîc discè Aularum morem. Proh quanti sudores, quanta palatinorum fidelia obsequia imprœmiata obliterantur! Quot famuli, qui expectant Annales pervolutari, & inde in memoriam laborum suorum perveniri, fusi sanguinis, fractarum virium, animæ pene perditæ? quo solatio? quali prœmio? Nullo. *Nihil omnino mercedis recepit.* Sic nempe ad usque *noctem*, quam insomnem ducebat Imperator, dilata merces Mardochæi, notat avaritiam, sugillat crudelitatem eorum, qui salarium famulis debitum adusque ultimam vitæ noctem differunt, cùm vel seriò conscientiæ scrupulo tacti, imminentisque horrore judicii perterrefacti crebrò inter singultus orare, obtestari heredes, Uxori, liberis mandare restitutionem, ut solvant, & contentent. Creditis eos religiosiores fore patribus, maritisque suis? excœcat eos lucelli amor, ne hæreditatem cum onere ad se translatam patiantur accidi, & diminui solutionibus necessariis quidem, sed quas oblivione sensim sepeliri posse existiment famulorum verecundiâ demum expugnatâ. Sic auroram, quam Dei lex limitaverat pro termino, ad annos extendimus. *Non morabitur opus mercenarii tui apud te USQUE MANE.* Simile fuit Tobiæ ad filium consilium, hæc Sanctorum disciplina: *Statim mercedem restituere.* Quodsi enim retardet avaritia vestra mercedem tunc, cùm de Operariorum vultibus, ac genis recens stillat sudor, jam eo absterso atque siccato quid fiet? dicetis vos numos in lutum abjicere. Et miramini, si famuli scopulis citius, quàm talibus Christianis servitutem præstent, & fidem?

Levit. 19.

Tob. 4.

2dus gradus, immutare, & diminuere.

Alii è contra mercedem famulis pactam non denegant quidem, nec differunt reddere, sed novô avaritiæ ingeniô faciunt quod possunt, mutando speciem. Convenit aliquis se soluturum bonâ usitatâ monetâ; dat dubiam, dat periculosam, quam in dies novit devalvandam; sic pauperes dimittuntur. Pactus est vestem de panno Anglicano, Paduano; offert Coronensem. Alius in purissimo Tritici grano spopondit, substituit siliginem. Simillimi Labano, in quo non cognati amicitiam expertus Jacob, sed Tyranni impudentiam dequestus dicebat: *Decies immutâsti mercedem meam.* In quo autem immutaverit, nescio; hoc constat, quòd tam nobili famulo contra pacta, conventa, Sponsæ septennii sudoribus quæsitæ *Racheli*, supposuerit *Liam*, id est, margaritæ vitrum; ut oportuerit omnibus damnis refusis, novum inchoare septennium, ut ad ejus aliquando amplexum perveniret; quibus artificiis fructus is demum respondit, ut è domo Labani ablatis Idolis argenteis, aureis, aliâque supellectili fugam peregrinas in oras arriperet. Planè mundi moderni ingenium Laban exhibet: doctus damno suomet, sic enim (ut est in adagio) *Invenit lapidem falx;* dum fraudat aliena, perdidit sua. Sic fit, hodie, cùm fraudatis, immutatis solutiones, authores estis famulis extrema consilia capessendi, ut ad furta, rapinas, utinam non violentas, & sanguinarias cædes semet resolvant, ut illustria ad terrorem exempla vel in ipsis palatiis commonstrant. Magnum quiddam est desperatio famulorum. Vident bene Domini, & tacitè dissimulant famulorum ebrietates, usque dum in educillis dominalibus omnem solutionem (quam aliâ viâ obtinere desperaverant) sacrificent marsupio avarorum dominorum, sic, ut anno servitii evoluto, inito computu, dum inopes se, nudósque recedere intelligunt, ad diras, & maledicta vertantur. Vos! vos nomen Dei exercituum blasphemari facitis! vos ad furta, ad latrocinia, ad ebrietates gradum illis sternitis! ex quorum domibus, quodsi eas primum subiissent cum hæresi, oportebat egredi Catholicos, odore Christi virtutum attractos, ex impiis, Dei cultores, ex irrisoribus fidei, martyrii candidatos; per quorum ora deinde Catholicæ fidei decus, Sacramentorum fama, Sacerdotum laudes, sacrificiorum majestas, Crucis reverentia, & gloria non solùm propagaretur ad fidei hostes, sed etiam defenderetur argumentis, & sanguine. At modò contraria omnia; qui domuum vestrarum limen ingressi sunt Catholici, exeunt sicarii, blasphemi, desperati; percussistis insanabili plagâ innocentium conscientias, dum ad vos fatali errore perducti venerunt non quasi ad Patronos, sed Tyrannos; indagabant *Justinianos*, offenderunt in *Diocletianos*; pro aris sanctitatis, & justitiæ, servituti Avaritiæ mancipati.

Domini, causa sunt flagitiorum, ad quæ famuli injustè tractati demum se resolvunt.

E domibus Catholicis, quales deberent famuli prodire?

Gen. 31.

Neque istud satis. Vultis audire his etiam majorem in cœlum clamantium sonum? Illorum clamor multò validius cœlos concutit, quibus parum esset pacta stipendia fraudari, nisi diuturna

3tius gradus, qui in libertate natos, potentiosè subjugant.

na post servitia præmium, jugum hæreditariæ servitutis, cum prolibus facti subditi referrent. Si ex ullo Regno hujusmodi in cœlum clamor ascendit, ea cœli pars, alioquin saluberrima, amœnissimaque, quæ Patriæ huic vestræ respondet, inconditis tot oppressorum luctibus sæpenumero concussa, attonitos Superos reddidit. Gravitas injuriæ inde colligitur, quòd cum Deus lata lege vetu-
Deut. 25. erit *rem proximi concupisci; non bovem, non asinum, nec omnia, quæ illius sunt;* hi post defraudatos Servorum sudores, reservata per summam injuriam stipendia, corporum etiam ipsorum dominium vendicare nitantur. Si nolit, ad vincula; ad vadimonia; desperatus quid agat? debet sponsionis sacramento sese obstringere, uxorem, proles hæreditariæ servituti mancipare; scribitur jus, conduntur tabulæ titulis tam futilibus, adeò Christianâ modestiâ indignis, ut è barbarorum loris, Taycosamæ pyris accensis mitiores ad thronum Dei ejulatus perveniant. Et isti legunt sapientis ora-
Eccli. 7. 23 cula: *Non lædas servum in veritate operantem, neque mercenarium dantem animam suam. Servus sensatus sit tibi dilectus, quasi ANIMA TUA, non defraudes illum LIBERTATE.* Pactam
Tria, quatuórve scelera Damasci. Operario mercedem procrastinare, peccatum est; scelus, immutare; nefas sudoris pretium, *ex quo animam suam sustentat*, negare, eripere; libertate spoliare, facinus vel ipsa morte rediAmos. 1. 3 mendum. Hæc illa sunt, *Tria, quatuórve scelera Damasci*, super quæ visitabit Omnipotens hos, qui *triturant in plaustris ferreis super Galaad*, & cervices pauperum opprimunt. Multi Officiales Provinciæ, ac Domini terrestres, quibus titulis speciosis pauperum libertatem elidant, nec ausim loqui apud Christianos. Inventum moribus istorum aptissimum fuit, quod accidit aliquando, quamquam exitu longè dissimili, Josephum inter, & Beniaminum: Frater Pro-Rex, quem jam, licet adhuc ignotus, toto amoris sinu complexus fuerat, Beniaminum apud se detenturus, titulóque speciosò subditum facturus, ad orificium frumentarii sacci illius clàm poculum argenteum supponi jussit: quô deprehenso, velut convicti uno ore responderunt fratres: *Servi tui sumus*, dominare nostri. Ita plane servituti perpetuæ multorum, prætextus comminiscimur varios, confingimus furta, maleficia, illata damna, dilapidatas opes. Fingimus horrea Servorum scelere arsisse, pecora eorum maleficio debilitata periisse, furta iis consciis & fors consultis evenisse; ut quondam detrimenta quæcunque Romanum Imperium accepisset, omnia Christianis imputari solita scribebat Tertullianus, ut prætextum fundendi sanguinis nostri haberent: ita nunc Domini, qui Christi fidem profitentur, quò dominatum, & opes latius proferant, *etiam sub tauro* (ut in adagiis est) *vitulum requirunt*, & pauperes confictis undique calumniis petiti, patrociniis destituti, libidini crudelium Dominorum victimæ immolantur. Hócne est esse hodiernum Centurionem? Hoc membra Christi protegere, solari, fovere? Hoc fidelem esse familiæ, an potius *Leonem in domo?* Audebitis jam ad Christum accedere, & adorare exemplo Militis, ut vestros famulos, ancillas, ex servis repentè facta mancipia, curet ex hac calamitate? Ut medeatur Viduis, & pupillis, vestris fraudibus, ac scelere oppressis, in quorum fortunas, & corpora invasistis? Profectò si Centurio hodiernus ad immortalem nominis sui famam prædicatur hanc in famulum contulisse benevolentiam, & gratiam: Vos, qui nec corpora curatis, nèc animas famulorum respicitis, meremini ex ore Dei audire: *Non inveni in Israel tantam infidelitatem.* Quid amplius? si Centurio, cujus virtutem Christus admirabatur, meruit ab eo visitari, qui prior membra sua visitâsset: vos, qui in membris ejus non honorem capitis attenditis, sed opes, dominatum vestrum, & familiæ splendorem intuemini, digni estis cum omni *Pentecostali pompa* illa deseri à Christo, ac fors neque in fine vitæ, ejusdem præsentiâ frui, qui fratrum vestrorum desertores extitistis, & proditores.

Notent Bene Domini.

Et hæc quidem fuistis aliqui, an & Patres, & Majores vestri? nescio. Terrent me, de Domibus, de Comitatibus, de Sedibus, de Regno vestro crebræ in cœlum vociferationes, quarum jam effectus, atque damna non dubia sentimus, utinam non & in Liberis vestris aliquando sentiatis! Quid ergo? Con-
Rom. 13. 7. cludo verbis Apostoli: *Cui tributum, tributum; cui vectigal, vectigal; cui honorem, honorem;* cui libertatem, reddite libertatem, ut Christus, fidem quam debetis Servis, & justitiam; vobis, Liberisque vestris persolvat, ac remuneretur, si tamen Emendatio sequatur, & conscientiosa Restitutio. AMEN.

IN

IN EADEM DOMINICA
SERMO II.

Cyriaviæ 1707.

Non inveni tantam fidem in Israël Matth. 8.

SUMMARIUM.

Centurionis Fides eminentissima;

I. *Quia Signifer gentium, & Divinitatis Christi Professor.*
II. *Quia in persona servi, divinæ Imaginis agnitor.*
III. *Quia sui contemptor ob Dei magnalia.*

In quo sensu Fides dari possit major, vel minor?

MEnsurare Fidem Christianam, vel ponderare hanc in comparatione alterius, in rigore considerando quid sit *Fides*, supervacaneum est. Verum si in comparationem veniant circumstantiæ, & Personæ, quæ & quibus in occasionibus fidem habuerint; illam ponderare non otiosum, neque inutile. Ratio primi est: quia Fides est assensus præstitus alicui dicto Dei, sive illud sit locutus Deus immediatè, sive per alios de quibus nullum dubium est, quin à Deo acceperint: satis est, Verum esse, quia DEUS DIXIT, Deus revelavit. Si enim aliquis Christianorum interrogatur: *Quid credis?* respondet: Credo Deum esse Trinum in Personis, & Unum in essentia, sic de reliquis Mysteriis: Si porro interrogetur ulteriùs: *Unde hoc?* respondet, Quia Deus dixit, Dei Filius revelavit, & hoc dixisse, hoc revelâsse testantur Prophetæ, testantur Apostoli, & hoc satis est; per hoc enim distinctio habetur ab omni alio quod Deus non est, vel quod ab alio non Deo, vel non Dei homine est dictum. Hinc patet quod dico, in rigore non esse distinctionem ullam in Fide divina, sive enim Fides sit de objecto maximi momenti, qualis est Dei essentia; sive de re parva, v.g. merito boni operis, in calyce frigidæ: sive ibi neges Trinitatis mysterium, sive hic meritum boni operis, æquè infidelis es, quia in alterutro authoritati Divinæ non assentiris, cui assentiri debebas in parvo, sicut & in magno; in pluribus, sicut in unico; quia una eadémque authoritas Divina indivisibilis & hoc dixit, & illud: in qua quia non datur inæqualitas, non datur etiam in actibus fidei, sive assensu magnitudo, vel parvitas.

Verùm quia ex parte Credentium datur intensio actuum Fidei, comparando inter se circumstantias, & ponderando actum cum actu: Fides dicitur etiam *magna*, vel *minor*, tanta, & talis, proportione credentium qui Fidem sic vel aliter exercent. Omnes Christiani credunt *hanc esse vitam æternam, ut credant te Deum, & quem misisti JEsum Christum.* Hoc omnes fatentur, quia hoc Deus dixit. Sed an in omnibus Christianis hæc fides æqualiter eluceſcat? Non puto. Quis enim non dicat fortiorem, & excellentiorem esse fidem Martyrum, qui sanguine proprio, & depositione animæ suæ confitentur id, quod alii in media pace, in serico & purpura, in deliciis profitentur? *Manducaverunt,* inquit Scriptura, *& adoraverunt;* at in gravissima ægritudine, velut Laurentii craticulâ extensus aliquis si fidem eliciat, si adoret, si gratias Christo referat; quis non eminentiorem talis Christiani agnoscat fidem? Audimus in Evangelio, Mulieris laudari *magnam* ac præstantem fidem: audimus reprehendi *modicæ* naufragantis Petri fidem. Quid ita? quia Mulier dicens: *Si tantùm tetigero fimbriam,* perfectiùs sublimiúsque adhæsit Christi Divinitati; quàm Petrus, qui Christo præsente dubitaverit gradi in fluctibus, & totam Christi manum petiverit. Quin sæpe numero in uno eodémque homine jam plùs, jam minùs eluceſcere Fidem: aliquando enim tam firmam, vividámque in nobis experimur fidem, quâ *transgredi murum*, & omnia virtutis obstacula perrumpere nosmetipsos miremur; in aliis occasionibus, quibus sentimus inopiam spiritûs, fateri cogimur: *Avertisti faciem tuam à me, & factus sum mihimetipsi gravis.* Sic fides in nobis jam abundat, jam deficit; jam exeresit ad montes, jam ad granum sinapis humiliatur, & cum misero Parente illo orat augmentum sui:

Psal. 21. 30

Job. 7. 20.

Credo

Marc. 9. *Credo Domine! adjuva incredulitatem meam.* Credo Domine quantum ab imbecillitate mea præstari potest, tuum est roborare quod debile in me est; majorem sine dubio peterem fidem, & major est tua authoritas, quàm ut ego possim venerari: *adjuva* ergo *incredulitatem meam* gratiâ tuâ. Ex his utrinque consideratis:

Faciamus jam gradum ad Centurionis nostri fidem tam eminentem, ac heroicam, ut non fuerit satis eam à Christo laudari, i. e. approbari divino calculo, nisi etiam præferretur fidei totius Israëlis: *Amen dico vobis, non inveni tantam fidem in Israël.* Surgant omnes Civitates, Vici, Castella per quæ transii, quæ prædicationum mearum sono implevi: ubi auditum est simile huic? ubi tanta coruscavit lux fidei? ubi tam sublimis edita professio, ac in Capharnaum? Surgant omnes Sacrorum Pontifices, Sacri Senatûs Principes, Scholarum Oracula, Legum interpretes, Urbium Judices, sacri profanique Ordinis viri, fœminæ: quis in toto Israële hunc unum Gentilem, hunc Militem virtutis laude superavit? cujus fides illius par fuit? Quis Pontificum, quis Sacerdotum, quis Ministrorum Sanctuarii, unius hujus militis reverentiam Deo debitam æquavit? Magna profectò encomia laudum? *Non inveni tantam fidem.* Ergo nec Pastorum tanta, nec Regum, nec Petri, aut Magdalena? *Non.* Ecquod tantæ commendationis meritum videamus, ut imitari possimus exemplum.

Proponitur celebre dictum Christi in laudem fidei Centurionis.

§. I.

Quia Centurio erat primus fructus ex prædicatione Christi ex Gentibus.

Apud Imperf. Hom. 22. Rationem tantæ Fidei, aureo eloquentiæ flumine reddit D. Chrysostomus: *Centurio*, inquit, *primus fructus ex Gentibus, ad cujus fidei comparationem omnium Judæorum fides infidelitas est inventa.* Bene advertendum ad dictum S. Chrysostomi: *Primus fructus ex Gentibus*, & ex prædicatione Christi. Habes hic resolutionem propositæ quæstionis: In ratione Fidei excellentiam & magnitudinem alicujus actûs haberi non ratione assensûs præstiti Deo loquenti, quia in hoc omnes assensus pares sunt, & in omnibus par reverentia loquenti Deo defertur: sed magnitudinem & parvitatem desumi ab actuum intensione, & circumstantiis. In casu nostro circumstantiam, quâ fides Centurionis attollitur, audisti: quia *Primus fructus ex prædicatione Christi.* Quæ enim major fides inveniri potuit, quàm Virginis ab Angelo Salutatæ, credentis fieri posse, ut Deus fiat homo, & ipsa simul Mater, & Virgo? Sed non *ex prædicatione Christi*, neque ex Gentilitate. Crediderunt Magi, sed neque *ex prædicatione Christi*, nec sine signo de cœlo. Itaque quia Centurio primus fuit Christi labiorum fructus ex Gentibus, qui Christum credidit esse Deum ex auditu: ipsâ primatûs novitate meruit credentium Signifer appellari, & in exemplum fidei proponi toti Israëli: *Non inveni tantam fidem in Israël.* Tanquam Signifer Gentium, & primus divinitatis Professor.

Et hoc jure divino ac humano ratum esse videtur, ut primi Inventores, seu rerum divinarum, seu humanarum, principem Artis suæ vindicent honorem, & auctoritatem. Vis de Sacris exemplum? *Enos* peculiarem à Spiritu Sancto laudem promeruit ex hoc, quia *Iste cæpit invocare nomen Domini.* Quid igitur, ante eum non erant homines? Erant homines: & iste fuit homo, sed priores non invocârunt nomen Domini; iste Enos & agnovit Deum, & *ad publicum Dei cultum per sacrificia populos invitavit.* Magna fides, ubi aliquis in multitudine aliqua præcedit in bono, & maximè in credendo Deum, & sequentibus dat exemplum credendi, ut animentur ad faciendum, in quo ipse pro honore Dei præire non dubitâsset. Id ipsum confirmavit Deus in prodigio illo, quo populum per mare rubrum gloriosè traduxit. Jam jubente Deo, imperatoria virga Moysis mare diviserat, stabant alpium more immoti fluctus, turritique vortices pendebant divinæ potentiæ nutu frænati; ingredi tamen præsumebat nemo; exercitus à tergo instabat armatus, fugientem Dei populum, nî ocyus mare transmittat, in certissimam servitutem reducturus. Quem mittam? & quis ibit nobis? quis se ducem offeret? Sacri Interpretes memoriæ prodiderunt, *Judam* generositate innata raptô vexillô ingressum esse primum cum sua Tribu: cujus fidei meritô, quòd aqueos illos periculosissimósque parietes ingredi non dubitaverit, obtinuisse præmium sanè augustissimum pulcherrimúmque, ut de Tribu non alia, quàm sua Dei Filius nasceretur: Hic enim arrepto generosis manibus Vexillo, super quo inscriptus erat LEO; profunda maris ingressus, populum non tam verbo, ut Duces faciunt in acie, quàm exemplo fortissimo ad sequenda vestigia animavit. Gen. 4. 26.

Omne

Omne initium grave. Quod cùm ubique, tum maximè in rebus Fidei apud eos, qui rerum novitate attoniti nihil unquam simile viderunt, audiverunt, verissimum est, quod tamen ad fidem amplectendam requirit Apostolus, ut audiant: *Fides ex auditu.* Centurio noster nihil antea audiens à Christo in re tanta, uti est *fides in Deum*, ad primum labiorum Christi motum credens, tot in Ecclesiam propediem intraturis Gentibus, tot populorum millibus ad Deum sese conversuris exemplo præeundo fecit, ut nomen æternum, famámque sæculis omnibus memorandam obtineret: *Non inveni tantam fidem in Israël.* Plus ille de Deo non credidit, quàm quod est in Deo, est certum: at quia supplevit omnia tempora anteacta, quibus Deus merebatur agnosci à Gentibus, & agnitus non est: supplevit suo exemplo præterita, & futuris præluxit: hæc res fecit ut esset signifer Fidei: *Primus fructus ex Gentibus.*

Primitiæ Romanorum: unde Christus deinceps vocari post. sit *Deus Gentium.*

Centurio sine nomine. Vocetur igitur *Primus fructus ex Gentibus!* Vocetur *Primitiæ Romanorum*, præerat enim Præsidio Romanorum in Capharnaum, ut colligitur ex S. Luca cap. 7. ℣. 5. & 8. Hic mihi subit Doctissimorum Ecclesiæ Patrum plausibilis sententia de Doctore Gentium: eum ex *Saulo* non prius factum *Paulum*, quàm ubi in

Act. 13. 11 Actibus Apostolorum Sergium PAULUM Proconsulem Evangelii jugo subjugâsset; ut quemadmodum nonnulli Duces ex devictis Provinciis clara sibi cognomina Familiæ pepererunt, *Africani*, *Parthici*, *Germanici* deinceps appellati: sic

Cornel. à Lap. hìc. Proconsul hic *(quasi illustres manubiæ Pauli è Gentibus)* Nomen suum dedit victori, ut pro SAULO vocaretur PAULUS. Dei est dare hominibus nomen, non accipere; Dei Filius antequam natus, jam nomen de cœlo inditum habe-

Luc. 2. bat: *Vocatum est nomen ejus JESUS, quod vocatum est ab Angelo, priusquam in utero conciperetur.* Verùm post erectum prædicationis vexillum, post bellum Lucifero indictum, post inchoatum auspicatissimum redemptionis opus, & tot patrata terrâ marique prodigia; post fusum fugatúmque de corporibus animisque Diabolum, post idola & pompas superbissimi inimici jamjam delctas, atque prostratas, & tot animas ereptas, cœlóque assertas; si fas sit Dei Filio sibi nomen de hominibus, tanquam victoriæ fructum indipisci, convenientissimum fore', ut de *Romano* hoc Centurione, cujus tanta in Christum fides extitit, glorioso, novóque cognomento DEUS ROMANORUM diceretur, & DEUS GENTIUM. *An Judæorum Deus tantùm? nónne & Gentium? immo & Gentium*, quarum hodie illustres primitias & nova Romanæ Ecclesiæ spolia in Centurione Romano dedicavit. *Ut fiat oblatio Gentium accepta, & sanctificata in Spiritu Sancto.* Felix Occidens! Felix Roma! de cujus manubiis, hodie DEI Filius appellari cœpit DEUS GENTIUM; non quòd antea *Deus* non erat *Gentium*, per quem omnia facta sunt: sed quòd hodie per amorem & gratiam cœpit dominari affectibus Gentium, ut novum sibi excitaret imperium, & crearet *populum acceptabilem, sectatorem bonorum operum:* ad quæ hodierni Militis illustrissima fides gloriosè præluxit. *Non inveni tantam fidem in Israël.* Tantam fidem qualia putas opera sequentur?

Rom. 3. 29

Rom. 15. 16.

Tit. 2. 14.

§. II.

Secunda ratio tantæ laudis, est charitas exhibita Deo in persona Servi.

Audiatur nunc Origenes, in quonam Centurionis fides maxima eluxerit, quâ totum Israëlem superavit testimonio Christi. Et verò circumstantia notabilis est, quòd Dominus pro Servo suo sic se demitteret, ut ad Christum supplex accedere non dubitaret. *Multi* (inquit Origenes) *eo tempore pro diversis rogabant infirmitatibus, nullus tamen pro servo, nisi iste solus: & hoc ei ad augmentum beatitudinis, & coronam gloriæ erat.* An stet hæc ratio à tanto ingenio allegata, videamus, quídque res hæc augere, & magnificare possit rationem Fidei. Lego Matrem illam supplicem accessisse ad Christum, & cum omnibus votis, quibus salutem filiæ suæ commendabat, esse rejectam: *Non respondit ei verbum ullum.* At ad primas Centurionis preces suum Dei Filius adventum sanctè promittit: *Ego veniam, & curabo eum.* Non dixit: Veniam, & videbo: sed, *veniam, & curabo.* in primo Humanitas, in secundo Divinitas, utraque ad Centurionis nutum expedita, parata. Miratur hanc diversitatem Basilius Seleuciensis, unde nam sit quòd *Herus pro famulo rogans exorator fuit; Mater pro filia rogitans, tulit repulsam?* Certè si nos vidissemus hinc Matrem Matrem supplicem pro uteri sui pignore, inde Centurionem pro suo solicitum servo: omnes putaremus materna potius

Matth. 15.

Basil. Seleuc.

viscera respicienda fuisse, & relicto Milite illam potius exauditurum, quæ grandiore vinculo erat filiæ propriæ obligata. Factum est contrarium; & quia Christus aliter fecit, & aliter expedita est mater, quàm Herus; plus placuisse obsequium Domini pro servo, quàm matris pro filia, certissimè concludi potest, et quô fundamentô? Præscindendo à personæ dignitate, & quod fuerit homo exterus, utpote Romanus Centurio, vel quod in Judæos tam humanus, ut ipsis Synagogam ædificaverit: his aliisque occultis, (quæ actum fidei extollere poterant, circumstantiis) seclusis, unicam hanc do causam: Qui peroravit pro famulo, prior digniórque fuit ad gratiam. Quod sic probo: Omnis operatio Christiani, & omnis actus fidei quò magis recedit ab humano affectu, eô præstantior æstimabiliórque evadit coram Deo, ut patet in duobus actibus amoris, quorum uno diligo amicum, altero complector proditorem & hostem: quis enim dubitet posteriorem hunc actum esse altero illo gradibus propemodum infinitis Christianiorem, adeoque cœlo teste pretiosiorem? Honorantem me honorare, amantem redamare, diligere uteri mei pignus: est hæc humanitas Christiana communis cum Barbaris; hostem recipere in amicum est charitas, quâ comparamur Martyribus, assimilamur Angelis, & Christo; éstque charitas tantò perfectior, quantò plures difficultatum gradus, & grandiora vincula naturæ habet superanda. Sic se res habet in Fide: Quò quis in actu fidei magis recedit ab humanis argumentis, eò majoris est meriti actus fidei. Primum habuit mater, posteriùs Centurio. Mater accedebat oratrix propter se in causa filiæ: Centurio non sibi, sed servo utile rogabat. Nondum audierat Christum in peregrino suscipi, Christo in infirmis serviri: & jam nesciens Deo serviebat, cujus imaginem in persona servi honorabat. *O miraculum* (inquit Basilius) *modo non opinabile! Puer membra solutus jacens Domino ducatum præbet ad Dominum; servi sanationem Centurio requirens, Dominum reperit; dúmque ipse servi sanationem venatur*, FIT IPSE DOMINO PRÆDA. In alienigenam præstita charitatis viscera, in servum præstita officia ex quanta fide profluxerint, testis est Salvator dicens: *Amen dico vobis, non inveni tantam fidem in Israël.* Et hoc in Gentili. Hinc explorate Christiani, qualem quantámque fidem habeatis? Deus inter nos non permitteret infirmos, nec in Civitate pauperes, nudos, desertos, vinctos ad aliena ostia compulsantes; nisi ad experimentum fidei nostræ, an Christum in peregrinis suscipiamus, in nudis vestiamus, in infirmis & vinctis pascamus, & consolemur? An reputemus perdi, quod pauperi erogatur; dignitatem lædi, si in servo infirmo Christus visitetur, si mortuus nostris sepeliatur expensis? Hoc pariter dico ad Sacerdotes, & ad sæculares Ordines. Ad Centurionis fidem, tanquam *Lydium lapidem* exploremus omnes fidem nostram, quâ mensurâ levamus domesticorum necessitates, an providemus alimenta non solùm corpori, sed & animæ? An eos Christo commendemus, atque etiam fatigia pro charitate suscipiamus, ut è domibus vestris animæ Servorum, & Ancillarum non deorsum ad Infernum, sed ad Cœlum migrent? Domus vestræ barathra, & amphitheatra bestiarum sunt, si vobis conscíis ibi peccata regnent, & inde rectà ad gehennam domestici migrent. Clavicularius regni cœlorum Divus Petrus si fortè ad Portam Cœlestem pulsantes olim Heros alloquatur, & quærat: Unde domo? Quis enim tu es? Ego à tali Castro, Curia, palatio; ego ex tali Urbe Consul, Senator, Civis; Rectè (inquit) ex illa domo rarus adhuc pes cœli portam trivit, ubi serviebatur Diis alicnis ventri, & gulæ, nulla cura impensa Servis morientibus, Ancillis, & Subditis; gregatim ad tartara descendunt in iisdem peccatis, in quibus viventes tolerabatis, & non estis miserti, sed clausistis viscera. Et vos habuistis fidem? Ecce Gentilis pro Servo quid non facit? & vos in famulorum animabus cohæredes vestros spreviistis, occidistis. Quid putatis, admittet vos in cœlum? Cum vacua, & mortua ista fide cœli nunquam profectò patebunt. Dicetis: Quomodo ergo è domo purpurati potuit Lazarus venire *ad sinum Abrahæ?* Et ex vestris domibus erunt aliqui, qui cœlum intrent gratiâ Christi JESU, & suâ cooperatione, sed non vestrâ; vos autem relegabimini ad Epulones, ad immiseri cordes & tyrannos, qui viscera fratribus vestris occlusistis; & quod vobis solatium si illos Angeli portent ad sinum Abrahæ, & vos Lucifer in sinu suo ardenti deportet? Attendant Domini, & Dominæ, qui domesticam familiam cæterósque

Ratio quare fides, & charitas ista fuerit eminentissima.

S. Basil. Orat. 19.

In Civitatibus permitti tot pauperes, ad experimentum fidei Christianorum.

Barathra illæ domus sunt, ex quibus ancillæ, famúli morientes in gehennam pergunt.

terósque ſubditos ſuos, modò luxuriis ipſorum deſerviant, & opes adminiſtrent, augeant, de cætero non curant, parum ſoliciti, an orent, an Templa, & Sacramenta frequentent, an Parochis obediant, feſta obſervent, & jejunia? Heu me! Surget aliquando *Centurio* iſte inter *Conſtantinos*, *Ludovicos*, *Stephanos*, quibus tam cordi fuit ſalus ſubditorum, quàm propria; & multos Chriſtianos accuſabit proditi Chriſtiani ſanguinis ſuper ruina irreparabili ſubditorum. Imitemur vel Gentilem, ut perveniamus ad veram fidem. Laboremus pro ſervis, ut aliquando ſtemus cum Angelis. Quæramus lucra Chriſto in ſubditis, ut Cœlum intremus cum meritis. Imitemur Milites, qui noluimus audire Martyres, & Principem Martyrum animam ſuam ponentem pro multis.

§. III.

Tertia ratio: fides divinitatis Chriſti, & humilitas maxima, profundiſſima.

Duæ iſtæ rationes etſi ad confirmandam magnitudinem fidei Centurionis noſtri ſatis eſſent: majus adhuc argumentum reperio, quod in aliis rarum eſt reperiri. Quod illud? Audiamus Evangelium, ut & nos cum Chriſto hominis reſponſum admiremur. Argumentum ſupplicationis erat hoc: *Domine, puer meus jacet in domo paralyticus, & malè torquetur.* Et præterea nihil? Nihil omnino. Videns Chriſtus fidem illius, ait illi: *Ego veniam, & curabo eum.* Illud dictum Chriſti: *Ego veniam, & curabo eum*, proba fuit fidei Centurionis, an ſit firma, an magna, conſtans, excellens, meritoria; ut proinde tota fidei ſumma, & Servi ſalus inde penderet. Vel enim dicet (ſic Chriſtus argumentari poterat) Omnino *veni Domine*; vel non? ſi dixerit, *Veni*, non erit fides perfecta; ſi dixerit, *Nolo ut venias*, apparebit perfectiſſima. Pulchrè Centurio ſe invenit. Chriſtus ſe offerebat ad inviſendam ejus domum: Centurio negat ſe habere domum, ſed *Tectum* humilius, quàm ut majeſtatem Chriſti capiat; ſed etſi caperet *Verbum* pro nobis *caro factum*, ipſe tamen nunquam ſe tanti Hoſpitis adventu dignum arbitraretur. Sed ne quidem, inquit, præſentia tua ibi neceſſaria eſt, nec eam peto, ſed tantùm *Verbum*: quô ſi potuiſtis cœlum & terram fundare ac maria, & omnem creaturam condere; ſi verbo tuo fugantur Dæmones, oppreſſi liberantur, mortui reſurgunt; ſat eſt verbum; dic hìc, & ibi fiet; hic impera abſens corpore, ibi tua divinitas ſalutem perficiet. Ego Cæſaris mei Officialis ſum, cujus poteſtas hodie me præficit, cras officio & loco movet; & tamen à meis militibus illud obſequium, & reverentiam habeo, ut ubique dicto audiant, *dico huic vade, & vadit; veni, & venit:* quantò ampliùs tu Deus cùm ſis, hìc jubebis, & ibi infirmitates diffugient, mors recedet, ſalus, ſoſpitas confeſtim aderit? Et ait: *Domine non ſum dignus, ut intres ſub tectum meum, ſed tantùm dic verbo, & ſanabitur puer meus.* O fidem toti Israëli præferendam! quid ad hujus fidei excellentiam ſuperaddi poſſit, neſcio; In Chriſto occultam adorare divinitatem, tantundem de virtute Chriſti in abſentia, quantum de præſentia ſentire; inſuper incomparabili modeſtiâ excuſare tenuitatem perſonæ pariter, & tecti ſui, tantique Hoſpitis ſacratiſſima fatigia deprecari. Ludat nunc Gentilis Centurio, ſortémque mittat ſive cum viro Principe apud Matthæum, qui ad excitandam à mortuis filiam requirebat, immò urgebat Chriſtum, ut veniret, & *manum* ſuam defunctæ cervicibus *imponere* dignaretur; ſive ludat cum Regulo in eadem Urbe Capharnaum: qui pariter Chriſtum, ad filium qui animam agebat, curandum ut *deſcenderet*, non tam orabat, quàm cogebat; Ludat ſi placet, & cum Martha, quæ germani ſui funus referebat in abſentiam Chriſti ſic, ut tamen Chriſto præſente non dubitaret illum fore redivivum: de quatuor concertantibus cuinam putatis aleam plus allaturam, an Principibus? an Militi, an Virgini? Dico, Militi, dico Centurioni. Habebant omnes iſti fidem, habebant magnam Chriſti potentiæ venerationem: at fidei palma Uni *Centurioni* ſervatur hac vice teſtimonio Chriſti. Venerunt ad Chriſtum Principes illi, venit Martha Chriſti hoſpitio clariſſima, venit & Centurio. Rogabant illi unus pro filia, unus pro filio, una pro Germano: Centurio obſecrabat pro *Servo;* Commendabant illi id, quod habebant pretioſiſſimum, ſalutem ſtirpis & Familiæ ſuæ: Centurio *Servi*, quo carere poterat, miſeratione tangebatur, & fatigium non renuebat; illi accelerabant greſſus Chriſti: iſte retinebat; illi urgebant ut veniret: iſte deprecabatur ne ſacratiſſima veſtigia ſub peccatoris tecto inquinaret; illi manum, & totum corpus petebant Chriſti: iſti ſatis viſa vox una, & verbum Verbi,

Illuſtratur à comparatione fidei aliorũ credentiũ Matth. 9.

Joan. 4.

Joan. 11.

per quod omnia facta sunt, nec dubitabat Christum quem videbat, absentem posse id totum perficere, quod præsens fecisset. Judicate nunc, si non rectè intulerit Christus: *Non inveni tantam fidem in Israël.* Nec satis fuit Christo fidem illius admirari, extollere laudibus, atque etiam totum Israëlem comparatione tantæ fidei ac virtutis sepelire; nisi etiam in hoc primo spolio, fructúque suorum labiorum surrecturi brevi pòst in Gentibus Ecclesiæ faustissimi Imperii prima designaret auspicia, jámque animo provideret propediem venturos *ab Oriente*, & *Occidente* innumerabiles populos, certatim Christo nomina daturos: útque isti per fidem, & obedientiam susceptо adoptionis spiritu, *cum Abraham, & Isaac, & Jacob in regno Cælorum* consessuri essent: sic filii regni, scelere suo detanti gradu honoris dejecti relegarentur ad tenebras, qui fidei, mundum illuminantis odissent cum noctuis fulgorem.

In Centurione veluti lapide primo super Christum fundato, designabatur sublime ædificium Ecclesiæ Gentium.

Habetis AA. Christiani, fidem Centurionis undecunque eminentissimam testimonio Christi. Habetis Centurionem *Magnum*, quia primus fructus ex Gentibus; *Majorem* præstita Deo in persona Servi charitate; *Maximum* humilitate, fide, charitate. Nullum credo hic adesse Gentilem, vos omnes cognosco lacte Evangelico nutritos filios & filias Christi, & suppono vos credere in unum Deum. An hoc sufficit ad salutem æternam? Omnino, si id rectè fiat. Sunt qui credunt Deum in Templo præsentem, & se continent; domi joca, irreverentiæ, blasphemiæ, idola avaritiæ, ac libidinis; itaque domi suæ præsentem Deum viventem, & videntem non credunt, cujus faciem & Numen debuerant revereri, & coram eo ubique in sanctitate, & justitia conversari. Aliqui sunt, qui credunt præsentiam Dei de die, sed in tenebris non; unde hoc? quia secreto tenebrarum exuunt timorem Dei, & dicunt: *Nemo nos videt*; igitur nec Deus. Sed omissis, quæ in hanc rem plurima ad ruborem nostrum dici possent, concludo paucis cum Apostolo vos alloquens: *Vosmetipsos tentate, si estis in fide.* h. e. examinate opera, an sint conformia fidei internæ; scrutamini mores, & fidem vestram, actiones denique omnes; an eæ, velut lineæ ducantur omnes è fidei centro, regantur à Veritatibus æternis, conformentur Evangelio? Videte, ne fortè doctrina sit Christiana, sed vita Gentilis; Heu! Prophetarum oracula intonamus, & blasphemamus; audimus Evangelia, & rapimus; legimus Apostolos, & inebriamur; credimus Judicium, Infernum, & peccare non desinimus. *Vosmetipsos tentate, si estis in fide. Non inveni tantam fidem in Israël.* Immo verò majorem inveniat Deus apud nos, quibus plura contulit! AMEN. 2.Cor. 13. v. 5.

Alloeutio ad Christianos, ut fidem suam operibus bonis demonstrent.

IN EADEM DOMINICA
SERMO III.

Vide, nemini dixeris: at ille cœpit prædicare, & diffamare sermonem.
Matth. 8. Marc. 1. cap.

SUMMARIUM.

De septem Sigillis, & septem Tubis, *Anno sæculari Jubilæo habita Concio ad Comitia Albæ-Juliæ, 1700. cùm nonnullæ rerum mutationes propediem instarent; quarum felices exitus sicut optârunt omnes, sic earum fructus dimidio jam sæculo perceptos, Catholica gratulatur Ecclesia Transylvaniæ.*

REgalia signacula, quibus obsignantur labia Leprosi, necui aperiret mysterium quod secum contigit: & militares tubas, quibus publicat beneficia Christi, quæ latere, & abscondi non possunt sicut Sol, qui radiis suis; & aromata, quæ suâmet fragrantiâ produntur: putavi fore utrumque non indignum hodiernâ frequentiâ argumentum; si aut vos obsecrem *per modestiam Christi*, ut bonorum quæ agitis, in hoc sæculo præmium ne requiratis, contenti *Mensurâ* illâ *confertâ*, *coagitatâ*, & *supereffluente* in supernis, quæ sinum vestrum, qui nunc præclara facta abscondit, aliquando opulentiùs implebit; aut verò Cives Patriæ exhorter, ut pro communi Provinciæ salute dicta, gestáque illustrium 2.Cor. 10. 1. Luc. 6. 38.

illuſtrium Magnatum, & Dominorum plenis laudum præconiis ubique celebrent, Deúmque magnificent in ſervis ſuis, quibus contulit os, & ſapientiam, cui adverſarii reſiſtere non audeant, nec poſſint; ut nefas ſit, nec ſine ingratitudinis macula evenire poſſit, iis, qui ſuos Patriæ, Majorúmque Religionibus defendendis ſudores impendunt, gratæ recordationis vectigal negare, & illuſtres memorias oblivionis ſepelire ſilentio.

Ad honorem Anni, quem modò inivimus, Anni ſæcularis DCC. combino factum, cum textu Evangelico. In factis, pono miraculum ſanatæ ac depulſæ lepræ; in dictis repono Chriſti juſſionem & imperium, quo vetabat hoc miraculum publicari: *Vide, nemini dixeris.* Imponebatur ſilentium Le-
Marc.1.45 proſo; nihil minus factum eſt: *At ille cæpit prædicare.* Qualiter hæc duo concordari poſſint: Dominus mandat in ſecreto ſervari beneficium, quod ille violat, prædicando miraculum. An Chriſtus bene, & alter male? Dico, utérque bene, & quòd Chriſti modeſtia prohibuerit, & quòd Leproſi gratitudo ſilere non potuerit. Signacula quæ Chriſtus ori appoſuit, Gratitudo deſtruxit, & miracula tubis publicavit.

Hoc fine in gratiam ineuntis Anni ſæcularis, mutuor à dilecto Diſcipulo,
Apoc. c.5. & 8. & Propheta *Septem* Sigilla, quæ ſecretum innuunt; pariter ex Angelorum manibus *Septem* Tubas accipio, quæ manifeſtationem ſignificant. Hoc eſt: Ex Secreto quod mandat Chriſtus ſervandum, & ex propalatione occulti Sacramenti, & operum Dei, quæ libere publicabat Leproſus ſanatus: inferam *Septem* Principia, quaſi vitæ inſtituendæ leges, & teſſeras; quæ ſi obſerventur, non DCC. duntaxat, ſed Anni æterni nobis cedent feliciter.

§. I.

Bona gratis dare.

Primum Principium. Bona, quæ facimus, ſeu quæ ſpectant cultum, & gloriam Dei, ſeu quæ ſalutem ac tranquillitatem Patriæ, proximorúmque utilitatem & conſervationem concernunt: pro iis nullum terrenum præmium expetere. Sic fecit Chriſtus beneficio præſtito: *Vide, nemini dixeris*, & in Evan-
Matth. 6. 3. gelio: *Neſciat*, inquit, *ſiniſtra tua, quid faciat dextera tua.* Solius Dei hoc eſt talentum, & eorum, qui proximi Deo: facere bene omnibus, & gratis; ſervire commodis plurimorum, ſive deinde reſultet gratitudo pro beneficiis, ſive non, denique Deus ſemper erit Deus, qui fuit ab æterno, & à ſe. Verum eſt, Deum univerſa quæ condidit in cœlo & terra, in gloriam ſuam creâſſe ea, & maximè Hominem; dubitari autem poſſet per creationem hominis utrum gloria Dei aucta fuerit, an plùs obſcurata? Revolve Noëmi tempora, ſuccurrat Abrahami ætas, Nationum & Gentium mores uſque in diem hunc animo recole, & videbis grandia illa Dei beneficia peſſimè ſolvi, ut niſi Dei Filius de cœlo deſcendens infinitis pretioſiſſimiſque meritis ſuis noſtrum ſuppleret teporem, & miſeriam, omnino ex nobis ad Deum fructus gratiarum vix ullus rediret. Quid igitur, an ideo à benefaciendo deſiſtet? non; gloria enim Dei maximè propria hæc eſt, facere omnibus bene, & nihil præmii recipere. *Deus meus es tu, quia* Pſal.15.2. *bonorum meorum non eges.* q. d. inde cognoſco te verè Deum, quia das omnibus & nullo indiges, & quidquid tibi refunditur, beneficio minus inferiúsque eſt. Idcirco Chriſtus pro collato in Leproſum beneficio tam ſingulari nedum munus aliquod petivit, ſed etiam de eo fieri *vocem* prohibuit: *Vide, nemini dixeris.* Jam ſi in aliquo Domino tam Chriſtiana generoſitas ſit, ut etiam poſt ſingularia Recip. impenſa obſequia terrenum præmium non requirat, fierine poteſt, ut ullis unquam pollicitis donis ac præmiis ad proditionem fidei, quam Patriæ debet, inducatur? ut ad gloriam per aliorum ruinas eluctetur, & creſcat tunc, ſi alii deficiant? Quàm procul erit à proditionis crimine ob aurum, ob gloriam, ob honores, qui hos ne quidem ob præclara facinora ſolicitat?

§. II.

Laudem non quærere.

Secundum Principium eſto: Natura virtutis eſt, quemadmodum Solis, lucere, quomodocunque opprimatur, ſupprimatur, obſigilletur, denique eluctabitur virtutis lux, & aliquando prodibit. Sanato Leproſo Chriſtus ſilentium imponit: quid enim opus erat ſermone prædicare, quando veſtigia lepræ oſtendebant beneficium? Ipſa cicatrix militem loquitur. *Quid erat neceſſe ut ſer-* S.Hieron. *mone jactaret, quod corpore præferebat?* Res admiranda, quòd Deus qui ſummis mundum ornavit beneficiis, nunquam videri voluerit, qui ſolus gloriam meretur; contra omnem mundi conſuetudi-

nem, quisquis enim modicum quid faciat, parientis instar gallinæ fructum proclamare gestit; unam domum ædificet, opusculum typis edat, vestem sericam altari consecret, statim apponit *Nomen, & Insignia;* non dico id malè fieri, quia ad aliorum exemplum: Quare ergo Deus in opere tam præclaro & admirabili suum Nomen non apposuit, quod poterat in cœlo fulsisse stellis, tanquam characteribus lucidissimis expressum? S. Paulus ait, Deum contentum fuisse, si ea fecisset, per quæ ad cognitionem Dei mens dirigeretur humana, atque ideo supervacaneum duxit aliter suam manifestare gloriam, quàm per creaturas, quarum esse dependet utique ab uno solo Deo. Vel enim quibus Deus confert ista bona, erunt boni, vel mali? Si boni, naturâ suâ discent aliud bonum esse, unde acceperunt ut bonis bene utantur; Si mali sint, neque si Deus visibiliter appareat, erunt meliores. Neget totus Orbis, sentiat de Deo ut vo-
Psal. 18. 1. let, *Cæli enarrabunt gloriam Dei.* De humanis idem esto judicium. Vel est bonum, vel malum quod facis; si bonum est, totus mundus coacervet fuligines, non illud denigrabunt; si malum, totus mundus congreget colores, non illuminabunt. Non egebat Dominus omnium, ut ante eum Leprosus tubâ caneret: ipsa eleemosina, abscondita in corpore pauperis, ostendebat hæc opera non potuisse alterius esse, quàm Christi. Non sola in homine lingua perorat.
Matth. 5. 16. *Sic luceat* (inquit Christus) *lux vestra coram hominibus, ut videant opera vestra bona, & glorificent Patrem vestrum qui in cælis est.* Neque enim necesse est, ut videant omnes opera bona esse *vestra;* satis ad decus vestrum, satis ad gloriam Dei, ad ædificationem proximorum fuerit, si *opera vestra bona*, si fructus consiliorum laborúmque vestrorum sentiatur in bono Reipub. regimine, in tranquillitate Patriæ, in concordia & justitia pauperibus æquè ac divitibus administrata: nequit latere populos origo tantæ æquitatis, & justitiæ, ipsa opera prodent, vestris humeris Rempub. stare fe-
Apoc. 14. 13. licem. *Opera eorum sequuntur eos.* Quale decus?

§. III.

Malum quodcunque successu temporis patere.

Tertium Principium, quod deducitur è contrario ex hoc mysterio secreti, & propalationis, *Sigilli*, & *Tubarum:* Malum quodcunque illud sit, successu temporis patére. Mirum hoc videri posset ob disparem naturam virtutis, & peccati: Virtus enim, ut Sol, lucere amat, Dei hominúmque calculo approbari petit: Contrà *Omnis qui male agit,* Joã. 3. 20. *odit lucem, & non venit ad lucem, ut non arguantur opera ejus.* Si ergo omnis peccator fugit lucem, quomodo opera ejus successu temporis veniunt ad solem, ad notitiam, & in sermones vulgi? Ratio hujus fundatur tum in natura & concatenatione peccatorum, tum verò in profundis judiciis Dei cognitoris cordium, & renum. Quantum ad primum: Nunquam ullus vult solus esse turpis, quem enim non puderet in tanta Civitatis vel Regni frequentia solum digito populi monstrari: HIC EST? itaque socios & collegas infamiæ quærimus, ut quò plures fuerimus pares in scelere, eò facilius aliorum authoritate nostras palliemus impuritates; quod fieri non potest, nisi manifestando aliorum peccata, & occultas alioqui maculas in lucem proferendo. Unde audies dicere: HIC, & HÆC numquid æquè est talis? Nec iste est Angelus, nec ista Sancta Theresia. Inter tres in Paradiso personas admissum erat peccatum, & secretum non poterat servari; Adam relegabat se ad Evam, Eva relegabat ad Serpentem. Quid si plures extitissent complices, quantò unusquisque timuisset videri solus infamis & turpis, eò promptior fuisset ad secretum de aliis manifestandum. Sic fit in mundo: cum in omni communitate pauciores sint boni, & electi; plures perversi: fit, ut dum quisque solus digito monstrari timet, ex aliorum propalatione malo suo quærat lenimentum. Sed potius id profundo Dei judi-
cio permittitur, ut *nihil* sit *tam occul-* Matth. 10. *tum, quod non reveletur*, & aliquando pateat. Sic divinitus evenit, ut ad emendationem peccatoris occultæ ejus ignominiæ revelentur, & si alii deerunt, *Revelabunt cæli iniquitatem ejus*, inquit Job. 20. 27. Job. Quique putabant se satis tectos, & sanctos famâ publicâ, mox converso sipario futuri sunt in cantilenam, & objectum sermonum vulgi. *Domus ista* 2. Par. 7. 21 (inquit Deus) *erit in proverbium omnibus transeuntibus.* Etiámne ea, quæ debent esse sanctissima, venient in proverbium vulgi? Tale Templum Spiritûs S. fuit David. Occultabatur anno integro peccatum, Aularum vitio inventus est nemo, qui Regem commonefa-

cere

cere aut auderet, aut posset; *revelârunt cœli iniquitatem ejus; Tu fecisti in occulto*, terra silebat, aula tacebat; ego autem faciam in Sole, ut totus terrarum orbis cum omnibus circumstantiis audiat, & sciat. Caveamus peccatum, ne fiamus proverbium! fugiamus delicta, confiteamur occulta, ne cogatur Deus revelare abscondita.

§. IV.

Non sunt facienda bona, ut eveniant mala.

Quartum hoc sit Principium, ex impositio Leproso silentio. Probatur. Prædicare Christi potentiam quis malum esse dixisset? Verùm quando rationabiliter timetur ne invidiam seditionémque causet narratio miraculi, omitti jubet Christus. Jam enim tunc in Christum consilia fervebant, hac accedente curatione sine dubio oleum igni addidisset narratio quàm honorifica Christo, tam periculosa exasperandis Pontificibus, quibus de Christo audire mors erat. *Ubi non est auditus, ne effundas sermonem*, ut ut ille sermo sit Omnipotens, & ipsum Verbum Patris: taceatur, ne audientes & odientes ad blasphemiam concitentur. Quid in speciem sanctius facere poterat Absalon: quàm in publicis Aulæ spatiis populum alloqui, & ab iis exquirere, quid injuriarum haberent ab aliquo Ministrorum, & Officialium? Quid humanius quàm ruere in cervices hominum, & Regio osculo dignari? Quid divinius quàm inter lachrymas dicere: *Quis me constituat Judicem* ut Rempub. justitiâ fulciam? Bona verba! sed non ex bono cordis thesauro, & quia his auditis poterat populus exasperari contra Davidem: contra non solum pietatem, sed etiam politiam deliquit, consilium quod secretò disponebat, publicè buccinando, & inimicos in se armando. Redeo ad Christum. Hominibus ad tribunal Divinum comparituris quidquámne sanctius ostendi poterat, quàm majestas & gloria, in qua compariturus erat Filius Dei? Hominibus brevi morituris quid utilius, quàm referre excitatum à mortuis Moysen à se visum in monte? quo audito animarentur ad oppetendam fortiter mortem; denique Apostolis multa pro Deo perpessuris, & etiamnum trepidantibus quænam exhortatio ad virtutem potentior accidisset, quàm in Collegio audiri famam Eliæ cum Christo in monte colloquentis? Hæc omnia Christo tanti non erant, ut licentiam faceret de diei illius plausu, & gloria vel mentionem inferendi: *Nemini dixeritis visionem hanc.* Certum est per se hanc narrationem fuisse sanctissimam, sicut nunc toti Christianitati est gaudiosissima: verum quia tunc ex præcipitatione prædicationis mala fuissent orta, imponitur silentium: *Nemini*, nec Principibus, nec Sacerdotibus, nec plebi, nec in ipso Collegio Apostolis, quia ibi erat Judas, ibi perfidia, ac parata proditio. Adeo ut ob unius proditoris præsentiam, aliorum consolatio omittatur. *Nemini dixeritis.* Quid? quòd Discipuli ipsi audientes gloriam Redemptoris, & paulo post supplicio Crucis adjudicatum spectaturi, possent scandalum accipere; sileatur ergo actio, nec memoretur Moyses suscitatus, nec Elias advocatus, taceatur de voce Dei Patris nec memoretur, & sit, quasi nihil fuisset factum. Quæcunque demum causa militet pro bono, mala inde evenientia pugnant, ut nullum potiùs bonum fiat, quàm ut cum omnibus bonis pereamus, & alii in anima ruinentur. Ex quo

Eccli. 23. 6.

Matth. 17.

§. V.

Tempore metienda esse omnia.

Quintum Principium deducitur spirituale, ac civile dictamen: *Tempore metienda esse omnia.* Juxta illud Salomonis: *Tempus belli, & tempus pacis.* Et hoc quidem ita, ut si hoc tempore fiat, malum erit; si alio fieret tempore, bonum esset. Sanatio Leprosi fuisset mala pro circumstantiis, in quibus prohibebat Christus loqui: at post Christi mortem erat res prædicari dignissima. Ipsæ divinæ tam miserationes, quàm justitiæ videntur quodammodo pendere à tempore: neque enim aut beneficam manum suam Deus nisi *in tempore* miserationibus & consiliis suis *opportuno* aperit, aut in delicto flagranti punit illico suos, & Ecclesiæ persecutores. Ita animæ interfectorum audiuntur in Apocalypsi clamare ad Deum pro vindicta: *Quousque non vindicas sanguinem nostrum?* Scelus patet, justitia exigit, persecutores vivunt, & vivunt non ad deponendam, sed ad confirmandam audaciam, si porro tolerentur. Quid igitur obstat? dico, tempus obstabat, quod divinam iram retardabat, & flagella differebat. *Et responsum acceperunt*, ex illo utique cœlesti Senatûs-consulto, ubi omnia ponderibus suis librantur: *expectarent modicum tempus, usque dum impleatur numerus fratrum suorum.*

Eccle. 3. 8.

Apoc. 6.

Tunc,

Tunc, & non priùs Deum facturum *Vindictam in nationibus, increpationes in populis, ad alligandos Reges eorum in compedibus, & Nobiles eorum in manicis ferreis.*

Sicubi, certè in Regnis, & Regnorum moderatoribus principium hoc observari debet: vel est malum quod te premit, vel bonum, quod expectas. Si malum est, & *non potes emendare, debes patienter tolerare, donec Deus aliter ordinet*, ait optimè Kempensis. Et Chri- Matth. 13. stus parabolâ Zizaniorum ostendit etiam gravia delicta reservari tempori, tempori messis: *Tunc dicam: colligate ea in fasciculos ad comburendum.* Bonum Orator Sacer jam ab annis 20. in Transylvania, in Vinea Domini. est, quod expectas? & ego expecto jam XX. annis Ecclesiæ Dei solatium, & malorum Patriæ levamentum, justitiæ stabilimentum, causarum expeditionem. Et quid? *Sinite utraque crescere.* Difficultatem explico in planitiem. Josepho videbantur manipuli XI. & duodecimus elatior; audite consequentiam: Gen. 37. *Numquid Rex noster eris?* Quæ proportio *Manipuli* eminentioris ad Imperium? Qui suo timet officio, aut qui ambit, & inhiat, si musca super alicujus verticem volitet, gemmas Imperii somniat. Præcipitatio, & temporis impatientia nos affligit, & ut plurimùm ad calamitates deducit. Mi Joseph! bene perpende quid dicas? alii aliter interpretabuntur, tuæque fortunæ difficiles conciliabis exitus. Sed quodnam tempus debebat expectare Joseph? Quodsi ex manipulis licuisset omen Imperii sumere, expectâsset ac triturâsset triticum suum, deinde ad molam vexisset, ut panes pinsantur. Plura, & majora animus meus volvit, quàm ut oratione explicare velim, aut possim. Dico universim: nihil unquam exitus calamitosiores habuit, quàm præcipitatio. Et quoniam in dona Dei violentè ruere non possumus, quia sunt dona, quid igitur facto opus? Quantum vos attinet, eorum nihil omittite, quæ vestri consilii ac muneris sunt, tanquam felices optatique exitus ex vobis solis penderent; ex alia parte Deo ita innitamini, ut si nihil omnino ex vobis, sed totum ex supernis pendeat, ut *quomodo fuerit voluntas in cœlo* (ut Machabæi ante pugnam dicebant) *sic fiat*, & talis omnia cœpta coronet exitus. Vigilemus, & oremus.

§. VI.

Prohibe, quod magis divulgatum cupis.

Sextum Principium deduco ex imperio Christi, & facto Leprosi. Christus vetat, Leprosus prædicat. Quid hoc? *Prohibe, quod magis divulgatum cupis.* Experimento didicimus, quò fortiùs secreto adstringimur, eò violentiùs premi pectus, nisi exoneretur in amicorum aures, & commissa propalentur. Multa si non prohiberentur, nunquam fierent, nec facta fuissent. Nec Evam muliebris audacia ad arborem illam pellexisset, nisi determinatè illa excepta à Deo fuisset, æstimâssetque mulier *furtivas aquas* esse *dulciores.* Casum Evan- Marc. 1. 44. gelicum refert Scriptura apud Marcum: Christum comminatoriè prohibuisse alicui: *at ille egressus cœpit prædicare, & diffamare sermonem.* Qualem sermonem? Sermonem: quod Christus prohibuisset. Clamabat per compita & vicos: Qui mortuos suscitat, *qui facit mirabilia magna solus:* Sanavit me, & prohibuit me loqui! Satis hæc erat Tuba, ut fama miraculi diffunderetur totâ Galilæâ: *Ita ut jam non posset manifestè introire in Civitatem, sed foris in desertis locis esset, & conveniebant ad eum undique.* Duæ gravissimæ intentiones Christi suadebant silentium imponi, ac secretum teneri, videlicet ne occasio daretur seditioni, ac invidiæ æmulorum, quæ reipsa evenit: *Ita ut jam non posset manifestè introire*, sacratissimámque, cujus gratiâ venerat, Missionem continuare in Urbibus. Nónne bene dixi, ipsa opera bona, & miracula occultanda esse, ne majora bona impediantur? Interea alter finis impletus fuit, ut relictis Civitatibus, & æmulis, novitate miraculi allecti homines ad eum frequentissimi exirent in desertum: ut ipsa miraculi prohibitio evaserit major provocatio ad sequendum. Habemus exemplum in suprema Cœna, in qua cùm palàm diceret Christus: *Unus ex vobis me traditu-* Matth. 26. *rus est:* satis hoc erat ad magis & magis indagandum: *Numquid ego sum Domine? Sciebat autem, quis esset eum traditurus.* In tanta consternatione etsi scirent de sua conscientia, tamen trepidabant de Christi sententia: *Unus? ex vobis?* Proditor tangebatur, famæ parcebatur, immo vitæ, ne si resciretur, à Petro & aliis discerperetur, id quod D. Chrysost. notavit. Ipsa novitas acriùs ir- Tom. 3. Serm. de Proditione Judæ. ritabat Discipulorum mentes, promptiorésque ad inquirendum reddebat, ut extorquerent ex Christo, ut ad minus uni Apostolorum nomen Tyranni illius aperiret: *Qui intingit manum suam mecum*

cum in paropſidem, ille me traditurus eſt. Si ego hodie dicerem ex hoc ſuggeſto, habere me aliquod ſecretum pro bono Patriæ, pro omnibus afflictis; & adderem: mihi eſſe *prohibitum:* quot juramentis obſtringeretis me, ut dicam? quot promiſſiones eſſent de fide ſecreti, & quò magis ſecreti me dicerem ſigillo teneri, eò acriùs veſtra irritarem deſideria. Hoc fecit hodie Chriſtus tum ex humilitatis ſtudio & fuga gloriæ, ut Patres ajunt: tum verò ut ampliùs ſui deſiderium accenderet, præcepit: *Vide, nemini dixeris;* interim ſi regalia ſignacula ſilentii, quæ ori tuo appono, ſimplicitas tua & Gratitudo deſtruxerint, facias quod vis; occludes mihi portas Urbium, & magis pectora æmulorum ad tempus; quis ſcit, ſi hoc pacto magis & magis ſcrutando deveniant ad originem facti, quo viſo ad pœnitentiam convertantur?

§. VII.

Cùm tempus, loquendum eſt.

In honorem Sacri Jubilæi Romano-Catholici, Anni ſæcularis M. DCC. dicamus *ſeptimò:* Ubi tempus, locus, gloria Dei, & proximi commodum exigit, loquendum eſt. *Ubi Chriſtus, ibi libertas.* Idem Chriſtus qui prohibuit narrari viſa in monte, adeò futura non excluſit tempora, ut de cœlo mitteret Paraclitum, qui de omnium ore ac labiis ſeras confringeret, & linguas mutorum eloquentiſſimè diſertas, & Regibus formidabiles efficeret. Et qui leproſi os ligavit, brevi poſt Jeroſolymorum Urbem velut in triumpho invectus inter palmas & hymnos, adeo læta, ac triumphalia carmina illa non impedivit, ut diceret ſaxa & lapides locuturos, ſi homines obmuteſcant. Ita Chriſtus diſcernebat inter *tempus loquendi, & tempus tacendi.* Ita ſemper clariſſimi quique Patriæ Magnates valentiùs loquuntur pro Deo, cùm diu tacuerunt. Sic ante annos Nonaginta in Regni Hungariæ Comitiis, cùm inconditis vociferationibus Hæretici urgerent liberum Religionis exercitium Regnis pariter Croatiæ, Sclavoniæ, & Dalmatiæ eſſe concedendum: Illuſtris horum Regnorum Banus THOMAS Comes ab ERDÖD, publicè nudato gladio his verbis ſententiam ſuam dixit: *Hoc* inquit *ferro, ſi aliter fieri non poterit, peſtem illam à nobis eliminabimus, trésque nobis adſunt Fluvii, Dravus, Savus, & Colapis: è quibus unum novis iſtis hoſpitibus ſorbendum dabimus.* Ad quæ verba attoniti Proteſtantes imprimis ſubmiſſim muſſitare, demùm conticeſcere.

Luc. 19.

Año 1609.

P. Szentiv. Miſcell. Diſſert. Catal. 76.

Chriſtiani, & Romano-Catholici! Annus iſte Centeſimus eſt, ideóque Jubilæus. Talis quondam Annus inter clangores tubarum promulgabatur, aperiebantur ergaſtulorum portæ, manu mittebantur ſervi, remittebantur hypothecata bona, quia erat *annus libertatis Domini* celeberrimus, atque gaudioſiſſimus. Utinam! nunc de multorum labiis timoris ſeras, & catenas reſolvat Deus, quia loquendi tempus venit, & tacendi præteriit. O! ſi hodie Majores veſtri in hac rerum ſtatu redivivi apparerent! O! ſi illis Catholicæ religionis Tulliis, Atlantibus, qui in cineres redacti ſunt, ora ſua pro Deo daretur aperire! Non jam Amanis, & Mardochæi tempora vivimus. Aman ſcriptis, & decretis certavit in omnem Judæorum Gentem: pertulimus & iſta Catholici, ſed nunc non ſic. Olim ſcripſimus, nunc licebit liberè loqui, ac etiam oportebit. Mardochæi conſilium fuit ad Reginam Eſtherem: *Ne reputes, quòd animam tuam tantùm ſalvabis; ſi enim nunc ſilueris, per aliam occaſionem liberabuntur Judæi;* ſed tibi ea res non cedet honori, ut quæ in periculo gentis tuæ conticuiſti. Sola igitur loquela deſiderabatur Eſtheris? Alia tunc erant tempora, alii Reges, alii Miniſtri. *Si nunc ſilueris.* Scias apud tuum Aſverum dona non aſpici, ad lucra, ſi animum ad loquendum adjeceris, gentem tuam lucrata es. Noſtræ loquelæ ut efficaciores fiant, armentur per me licèt donis, iisque maximis, terrâque totâ altioribus; armentur divino ſpiritu, zelo ac juſtitiâ, armentur pupillorum ac pauperum lachrymis, incendantur charitate in Deum, & Patriam, & miſeratione in tot pereuntes. Domini! *Ne reputetis, quòd animas tantùm veſtras ſalvabitis,* ſi loquamini digna Rep. digna Deo. Quantum ad me, ego incepi cum Chriſto ſilentium imperante: *Nemini dixeris;* vos finiatis cum Leproſo divina beneficia ubivis loquente: & quantò magis mando ut, quæ dixi, ſecreta teneatis, vos ſi tempus videtis adeſſe, eò valentiùs loquamini pro Deo, & narrate omnia magnalia ejus, quæ fecit cum Patribus veſtris, ut & vos, poſterósque veſtros oculo miſericordiæ ſuæ porro tueri, & conſervare dignetur.

Eſth. 4.

AMEN.

DOMINICA IV.
POST EPIPHANIAM.
SERMO I.

Ipse verò dormiebat. Matth. 8.

SUMMARIUM.

Servi, Vocatione ſua dignè ambulent.

I. *Quia Hoc ſunt, quod Deus illos eſſe voluit.*
II. *Hoc agunt, quod Deus ab ipſis exigit.*
III. *Quia ſic & Angelos, & Filium Hominis imitantur, qui* non venit miniſtrari, ſed miniſtrare.
IV. *Quid ſit dignè ambulare Vocatione Servorum?*

Mare, Symbolũ Parrum-familias.

GUbernator in navi dormit, ſervi vigilant; Chriſtus quieſcit Sacerdos Magnus, Vicarii remigant; ſopitum, & feſſum curis reclinat caput tantiſper in tabulam Rector, & nihilominus induſtriâ Præfectorum navicula mediis in fluctibus curſum tenet. Sic bene conſtitutâ, ordinatâque domo tutò quieſcetis, Domini, & tranquillè dormietis, ſi (ut non pridem vos rogavi) familiam veſtri amantem, & dicto audientem habueritis. Quod utrumque facilè conſequemini, ſi ab ipſo *Mari*, in quo Salvator navigat, veſtrâ prudentiâ atque ingenio non indignum ſumatis exemplum. Mare, utpote prudentiſſimum Elementum, gemmas, & corallia pretioſa profundiſſimo ſinu recondit, & ſervat; contrà cadavera, perfractas tabulas, algas, quisquilias non patitur, ſordes in littus ejectat: oſtendens Domûs Præſidibus modum, quem in deligenda familia domeſtica adhibeant, ex qua, ſi conſultè inſtituatur, ſalus & felicitas; ſi malè, nominis veſtri, Domûsque ruina pendet certiſſima. Ut nimirum quos fideles, proba indole, & Chriſtianis moribus præditos inveneritis, eos fovere non ut ſervos, ſed quaſi filios ſtudeatis, ut benevolentiæ ſinu complectamini, ſervitia eorum fidelia largè compenſando; Incorrigibiles, impuros, blaſphemos, oſores Templi, tanquam cadavera ejicite, ne ab iis inquinemini potiùs, quàm adjuvemini. Sordes ſunt, ejiciantur! probi, & fidi, ut gemmæ veſtram coronam ornaturæ retineantur, & foveantur.

Familia, qualiter reformanda?

Ut res hæc ex animi veſtri ſententia ſuccedat, oportet, ut primum, & ante omnia famuli, qui in domum veſtram oculum levabunt, intelligant, ibi peccata, & blaſphemias non tolerari, bonos bene tractari, accuratè ſolvi; immorigeros expelli, eliminari. Ita Rex Sanctus, in innocentia cordis ſui perambulans omnem domum ſuam, in famulorum mores inquirebat tacitè, omnino reſolutus, neminem ab obſequiis ſuis toleraturum, qui Deo palàm inimicus eſſet, & infidelis. *Ambulans in via immaculata, hic mihi miniſtrabat. Non habitabit in medio domûs meæ, qui facit ſuperbiam, qui loquitur iniqua;* hos neque in conſpectum regii vultûs ſui admitti patiebatur, ſine miſericordia ſervitiis amovebat. Non eſt datum cuivis eos delectus facere, quos tanto Principi licuit, dicetis? Licebit & vobis, Domini; ſi enim ea ſemel fama Provinciam pervagata fuerit, Catholicas domos, & ſervitia reformatum iri: quemadmodum probis amorem, ac ſtipendium condecens indubiè perſolvendum: ſic improbos nullatenus tolerandos, videántque luculenta utriusque exempla fieri, ut Columbæ, Noëmi manibus in Arcam reponantur, Corvi ad cadavera remittantur: fiet, ut & famuli paulatim in moribus ſe reſorment, & Apoſtolici laboris noſtri non pœnitendos fructus germinent, juſtitiam, promptitudinem, fidelitatem, *tanquam Domino ſervientes, & non hominibus*, id eſt: non tanquam pro temporali mercede, quæ ab hominibus expectari poſſit: ſed velut pro æterna, quæ *à Domino eſt.* Quod

Pſal. 100. 6.

hæc

hæc Concio intendit, non mea, quamvis & mea; ſed Apoſtoli Pauli ad vos, ô ſervi! doctrina, quam explicaturus ſum. Attenti eſtote.

§. I.

De Vocatione Servorum.

Fundamentum Apoſtolicæ doctrinæ, ſuper quam reliqua omnia fundantur, quæ ad Servos ſalutariter dici poſſunt, eſt: æſtimatio ſtatûs, in quo à Deo poſiti ſunt, ut eo contenti vivant. Ita enim ad verbum Apoſtolus in priore ad Corinthios, univerſos fideles exhortans ad conſervandam, & retinendam gratiam vocationis ſuæ, & ſtatûs, in quo à Deo poſitus quisque eſt, ait: 1.Cor.7.20 *Unusquisque in qua vocatione vocatus eſt, in ea permaneat.* Et continuò deſcendit in particulari generalem eam doctrinam Servis applicans: 21. *Servus vocatus es? non ſit tibi curæ.* hoc eſt: non te id contriſtet, nec turberis in eo, quòd Servus ſis, quaſi ſervitus ſit conditione Chriſtiani hominis indigna: ſed de eo potiùs te conſolare, quòd à graviſſimo mancipatu peccati & mortis, ſis per Chriſtum ad pileum vocatus, & manumiſſus, Deique ſervus effectus, tametſi in hac vita homini ſervias, quamdiu Deo viſum fuerit. *Non ſit tibi curæ; qui enim in Domino vocatus eſt ſervus, libertus eſt Domini; ſimiliter qui liber vocatus eſt, Servus eſt Chriſti.* Oſtendit Apoſtolus eos, qui in ſtatu Servi erant, poſt ſuſceptum Chriſtianiſmum non debere propterea ſtatum ſuum mutare, ſi fuit islicitus, & honeſtus; ut ſi circumciſus, ſi conjugatus fuit, etiam Chriſtianus eum ſtatum retineat; ſi Servus, permaneat; neque enim dedecori Chriſtiano eſt, ſervire homini, ſed peccatis; à quibus ſemel per Chriſtum aſſertus, etiamſi ſervus ſit, *Libertus eſt Domini; ſicut, qui liber vocatus eſt, Servus eſt Chriſti.* O argumentum conſolationis pulcherrimum!

Ea eſt magni faciendа. Hoc poſito fundamento, ut Servi, Ancillæ, Subditi ſtatum, *quô vocati ſunt* æſtiment, & magni faciant; omnes obices, & obſtacula tolluntur ex parte ſervientium, quò magis ſalutem ſuam in eo ſtatu ſecurè operentur, & vocatione ſua dignè ambulent. *Primò* tollitur pudor; jam enim Apoſtolus præmiſit, Chriſtiano non eſſe dedecoroſum, ſervire. *2do.* triſtitia, & animi ægritudo ex cogitatione, quòd ſi parentes eum Academiis applicare voluiſſent, literarum præſidio ſervitutis jugum rumpere, bene beatéque vivere licuiſſet. Quaſi verò, ſi Deus voluiſſet in alio te ſtatu collocare, non Parentibus hanc mentem ſuggeſſiſſet? non excitâſſet Patronos, qui te literis admoviſſent? non tibi inſpirâſſet amorem, non providiſſet commoditatem in literas incumbendi? Quid ſi omnes Reges, omnes divites, omnes Sacerdotes, omnes literati? non ſolùm totus mundi decor, ſed etiam Dei intentio periret. Si omnes menſis aſſideant, quis miniſtrabit? quis coquet? quis fercula menſis inferet, efferet? Si omnes divites, ſi omnes Domini; quis arabit? quis agros, & vineta colet? Et, quæ tua erant in Deum mèrita, ut necdum editus in lucem, immò cum nihil eſſes, calamum præ ligone; librum præ acu tibi dandum eſſe prætenderes? Hoc es, quod DEUS TE ESSE VOLUIT. & Reges, & Sacerdotes, & Divites hoc ſunt, *quod Deus eos eſſe voluit.* Præter hanc unicam ſanctiſſimam Dei voluntatem quid in Regibus? quid in Divitibus eſt, quod revereamur? Quid tam excellens, tam præclarum aliud, quod adoremus, niſi Deus, qui eos ſic vocavit? At verò, ſciviſſes & tu quærere Dei gloriam, ſi Deo placuiſſet in alio te ſtatu collocare? At, mi bone, erras. Etenim quisque per ſuam, quantumvis humilem conditionem, NON MINUS Deum laudat, quàm Reges, ſummique Imperatores; quia hoc faciunt, quod Deus eos facere voluit; & hæc eſt ſumma gloria Creatoris, creaturas habere ſibi obſequentes, & Vocationi quemque ſuæ correſpondentem. *3tiò.* Satisfit ſcrupulo illi, quod famulis, ancillis, tempus non ſuppetat Deo ſerviendi, ſicut ſuppetit aliis, qui domum Dei aſſiduè frequentant. At ô bone! quis tibi perſuaſit, ORANDO tantùm nos DEO SERVIRE? Deo obſequi, eſt voluntatem Dei exequi, officióque, quod à te exigitur, ſatisfacere: unde nunquam melius ſervitur Deo, quàm præſtando obſequia, quæ ipſe petit. Ea autem petit, quæ STATUI ſunt PROPRIA. Cantet Monachus, ratiocinetur Philoſophus, aret ſubditus; & ſuæ quisque Vocationi ſatisfecit. *Unusquisque* (ait 1.Cor.7.7. idem Apoſtolus) *proprium donum habet ex Deo, alius quidem ſic, alius verò ſic.* Quid ergo metuis? Dominus tuus, Domina tua ſerviunt orando, tu laborando, ancilla domum, & focum cuſtodiendo, unusquisque actionem ſtatui ſuo propriam obeundo. Et in hoc uniuſcujusque

Deus te non voluit facere liberum, ſed Servum.

Ipſi Reges hoc ſunt, quòd Deus eos eſſe voluit.

Laudare Deum eſt ejus voluntatem facere. Art. ſemp. gaud p. 1. c. 1. §. 1.

jusque perfectio consistit, si accuratè agat id, quod ab ipso Deus in hoc statu suo exigit. Habent sua quique officia. Nec à tuo Domino exigit Deus Religiosum claustrum, nec à te Domini tui eleemosynas; grati Deo estis, si agitis, quod pro vestra conditione potestis, & debetis. *In veritate comperi, quia non est personarum acceptor Deus: sed in OMNI GENTE, qui timet Deum, & operatur justitiam* (faciendo officium) *acceptus est illi.* Act. 10. 24.

§. II.

Ancillæ, custodiendo domum, omnium cordibus, & linguis orant.

Pro solatio Famulorum, & Ancillarum, qui Dominis orantibus, ad sarcinas remanere jubentur, servit in re quidem planè dissimili, factum Sauli, in persecutione glorioſissimi Martyris Stephani, in quem Saulus non quidem manibus suis misit lapides, sed *Ut esset in omnium lapidantium manibus, ipse OMNIUM VESTIMENTA SERVABAT: magis sæviens omnes adjuvando, quàm suis manibus lapidando.* Putent ergo Famuli, Ancillæ (suppono etenim domesticos fidei esse) cum ipsi ad Templum, ad Concionem ire quidem, etsi quàm maximè cuperent, non possint; tamen custodiendo domum, obeundo officium injunctum, dum præstant omnibus domesticis securitatem, & orandi commoditatem: putent sese omnium domesticorum corde Deum amare, omnium linguis Deum laudare, omnium genibus adorare Numen; inter omnium passus, gressúsque, etiam suos connumerari ab Angelo. *Ut essetis in omnium orantium cordibus, omnium vestimenta servatis*, omnium cibum præparatis: *magis orantes, omnes adjuvando; quàm propriis linguis laudando.* Sic ABRA, Dominæ suæ victoriæ particeps fuit, non quidem dexterâ sua fulmineum in cervicem Holofernis ictum vibrando, sed *foris ante cubiculum* excubando, dum securitatem Hebreæ Amazoni præstat ad grandem triumphum, Dominæ suæ manibus etiam puella militabat, vincebat. Hoc me tantopere delectat dicere, ut subditis, famulis, ancillis, qui intentione optima faciunt, quod eos facere Deus voluit; potius in videam felicissimum statum, ex quo non otium suum, non voluptatem suam quærunt, non honorem, sed Dominorum utile; ingenti cum suomet spirituali fructu, & coronarum augmento in cœlo. *Ut essetis in omnium orantium cordibus, omnium vestimenta servatis.* Quid autem, si Herus, si Hera non orandi, sed saltandi, sed bacchandi gratiâ domo absint, redeántque sub noctem temulenti, familiæ graves, domesticis intolerabiles? Non est vestrum istis medelam ponere. Neque vos propterea, quòd iis securitatem bacchantibus facitis, vel eorum pedibus saltare, vel eorum ore fescennina joca jactare, aut blasphemâsse feremini, qui tuendo lares domûs, innocens, quod Deus à vobis præstari voluit, officium exequimini, curam Domûs, & vigilantiam. Immò gaudete magis, vobis procul abesse ea illicia, quibus Domini animas suas ruinant; & campum suppetere cœlestium meritorum, quando hæc amatis, & colligitis, vobis thesaurizatis innocentiæ, & patientiæ coronas.

S. Augustin. Ser. 14. de SS. Judith 13. 5. Abra, socia victoriæ Judithæ.

§. III.

Servorum Vocatio æstimanda ex Angelis.

Quocirca statum vestrum æstimate, vocationem honorate, officium etsi coram mundo humile, at meritorum feracissimum cum gratiarum actione suscipite, exemplo Angelorum: inter quos etsi tanta sit differentia dignitatum, quantâ stella stellam claritate præcedit; tamen testante Apostolo: *Omnes sunt administratorii spiritus*; sed, prout alibi ait: *Unusquisque in suo ordine*, sunt *Principatus*, sunt *Dominationes*, sunt *Virtutes*, sunt *Throni*, sunt majoribus altiores, & his alii eminentiores, sed *unusquisque in suo ordine*, in quo à Monarcha Supremo positus, fixúsque est, facit servitium, obit ministerium, exequitur imperium. Angelus manet Angelus, stat in gradu suo, alicujus pueri cunis præpositus, aut portando in Babylonem prophetæ, vel obturandis in catabulo bestiarum oribus, ne noceant, destinatus, suam spartam, provinciam suam obit; non ideo ambit cum Archangelis splendidissimas obire legationes, præire exercitus, Regum, Imperatorum tueri latus; vel cum *Thronis* Deum portare, aut *Seraphinorum* ardores, *Cherubinorum* æquare sapientiam. Satis est, in suo gradu & ordine servire Creatori. Sat splendidè servit, qui facit, quod facere jubetur à Deo. Nobis miseris nunquam arridet id, quod sumus, semper alii esse volumus; ad alium gradum, ad aliam claritatem suspiramus; servire nolumus, dominari non conceditur; eminere non possumus, humiliari nolumus; quid igitur? filum Divinæ providen- Hebr. 1. 14. 1. Cor. 15. 23.

providentiæ, quæ hâc viâ volebat nos ſalvare, ſcindimus malè contenti, quòd omnes nos Deus non creaverit Dominos, non fecerit Senatores, Cancellarios, Conſiliarios; quaſi verò Deus ſapientiſſimus, qui Solem, Lunam, ſtellas, terras & maria artificio ſummo condiderit, *inte SOLO erraverit*, formando te ſervum? Hoc dico ad confuſionem noſtram, qui erubeſcimus ſervilem conditionem, etſi tot meritorum feracem, poſteaquam Filius, cùm eſſet in forma Dei, & majeſtate, aſſumpſit *formam Servi*, & venit *miniſtrare*, *& non miniſtrari*. Ecce! cujus Nomini poſtea Regum genua curvanda erant, non erubuit hominibus ſubditum ſeſe profiteri: *Et erat ſubditus illis*. Quid? quòd idem annos non paucos ſervili operæ, malleis, & dolabræ manus easdem impenderit, quibus poſtea portas æreas Inferni confregit, Orcum domuit, Cœlum reſeravit. Qui poſtea quàm *formam Servi* dignatus aſſumere, famulares currui gloriæ Divinæ humeros ſubjecit, inſtar Cherubini tot facies præferentis: *Quatuor facies UNI. Faciem hominis* portavit Incarnatus, & natus; *faciem bovis* portavit ſub Crucis aratri pondere moriens; *faciem Leonis* portavit in Evangeliis rugiens, & Infernum concutiens; *faciem Aquilæ* portavit, prædam corporis ſui, & manubias aſſertorum populorum regnis cœleſtibus inferens, & coronans. Servitium dignatione ſuſceptum, non neceſſitate geſtum, ut ſignificaretur fuiſſe undequaque perfectiſſimum in Chriſto, ſub ejusdem Cherubini figura deſcribitur alatus: *Et quatuor pennæ uni*. Neque enim Servo ſatis eſt imperata facere, ſed hilariter exequi, & promptè, &, ut Scriptura loquitur: *In auditu auris* parére.

Phil. 2. Ab exemplo Chriſti, figurati in Cherub. Luc. 2. Ezech. 1, 6. ibidem. Pſal. 17. 45

Hìc ego ſubſiſto. Audiamus Paulum Apoſtolum, elevatis in cœlum & complicatis manibus orantem Servos, Ancillas, Subditos, ut exemplo Chriſti, qui propter ipſos *formam Servi* induit, ſervitutem bonam ſerviant: *Obſecro vos ego vinctus in Domino! ut DIGNE ambuletis vocatione, quâ vocati eſtis, cum omni humilitate, & manſuetudine, cum patientia in charitate*. Ecce Quatuor pennas! *Quatuor pennæ uni*. Unicuique vocato ſervo quatuor hæ pennæ neceſſario induendæ, ut dignè ambulet vocatione per exactam obedientiam.

Eph. 4. 1.

Itaque, Primò, ſint Humiles, & in Dominis ſuis aſſueſcant Chriſtum intueri, quod in eadem ad Epheſios epiſtola indicat Apoſtolus, & præcipit: *Obedite Dominis carnalibus cum timore, & tremore, in ſimplicitate cordis, ſicut Chriſto; non ad oculum ſervientes, ſicut Domino, & non hominibus*. Quo Apoſtolicæ doctrinæ ſtylo quemadmodum Dominis datur ad intelligendum, quòd, cùm ipſi perſonam & dignitatem CHRISTI ſuſtineant, non debeant famulis cum ira mandare, aut ea petere, quæ manifeſta peccata ſunt, & Chriſto indigna; ſic, cùm ea mandaverint, quæ Dei legi non adverſantur, Dominorum imperia, tanquam ab ore Chriſti profecta, Servi humiliter ſuſcipere, & promptè exequi ſtudeant, obedientes *SICUT DOMINO, & non hominibus*, id eſt: non tanquam ſpe temporalis mercedis, quæ ab homine expectari poſſit; verum veluti æternæ retributionis intuitu, quam Chriſtus fidelibus ſervis perſoluturus eſt, quem in Dominis ſuis honorant, & reverentur. Contra hoc peccant famuli, qui omnia faciunt cum murmure, ſicut Dæmones, & clàm in Dominos maledicta vomunt; currum, jumenta, & res Domini Diabolo devoventes. Peccant ſimiliter Ancillæ in Dominas ſuas palàm contumeliosæ; qualis illa Saræ ab obſequiis, quàm cùm fortè Domina ſua pro culpa neſcio qua increparet, eam reprehenſionem non tanquam ab ore Dei profectam humiliter ſuſcepit, ſed audaciâ incredibili Dominæ ſuæ in faciem exprobravit interfectos ſeptem Maritos, quos ſatis conſtabat, altiore Dei conſilio, ab Aſmodæo fuiſſe jugulatos: *Ampliùs ex te non videamus filium, aut filiam ſuper terram, INTERFECTRIX virorum tuorum*. Quot? quàm grandes in uno reſponſo contumeliæ? *Numquid & occidere me vis, ſicut jam occidiſti ſeptem viros!* Impudentiſſimum proſtibulum, túne iſthæc dicere? Tu ferreum illud os in Dominam, in Sanctorum neptem, in caſtiſſimam Heroinam aperire auſa? Tu eam criminari, maledictis laceſſere non erubuiſti, cujus orationes in conſpectu Domini recitatæ Angelum de cœlis devexerunt, & in terris hoſpitem ſuſcipere meruerunt? Næ tu, impudentiſſima, in curru Luciferi Sponſam agere poſſis, ejúsque famulari blaſphemiis, quibus mundum implevit, & cor tuum refercit. Servi, Ancillæ Chriſtianæ! *Obedite Dominis carnalibus cum timore, & tremore, SICUT CHRISTO*. Quod mandatur,

In Dominis ſuis Chriſtum reverari diſcant

Tob. 3. 9. Servorum protervia caſtigatur.

Eph. 6.

Eph. 6.

mandatur, non facitis; quod non mandatur, hoc agitis, id est, imperiis contrarium exercetis. Hoc non est in Dominis revereri Christum. Res Dominorum nedum augere pergitis, & tueri, sed destrui sinitis, dissipari, periculis exponi dissimulatis. Hocne est fidelem esse Christo, cui in dominorum persona famulamini? Ecce vel ipsi canes, qui de Herorum mensa micas colligunt, eorum res lædi, tangi non permittunt, dant signum, latratum edunt, nec mordere parcunt proditorem. Vos Dominorum famam velut captivam in triumpho portatis ad forum, ad vicos, ad vicinias; quæ secreta oportebat esse, ad tubam, & tympanum vulgatis & proditis. Malæ aves, quæ proprium nidum maculatis! Hoc doluit Miphiboseth apud Regem accusatus ab Servo: *Servus meus contempsit me, insuper & accusavit me apud te Dominum meum Regem.* Et quonam crimine? Accusavit eum conjurationis in Davidem, & confœderationis cum Absalone, quasi hujus desiderio remansisset in Jerusalem; ut propterea in Miphiboschethi Domini sui fortunas, ac ditiones servus authoraretur verbo regio. Ecce gratitudo! quam sustentare debuerat Domini sui cydarim Ducalem tam sibi beneficam, ingratus Cuculus Siba, capiti suo adornat, & Dominum suum exuit, à quo nuperrimè de stercore elevatus, docuit: Vapores de terræ infimis per Solem attolli in sublime, ac per eosdem deinde nubibus pulcherrimum sydus obscurari: sic complures libertos acceptorum beneficiorum immemores, in ruinam Patronorum suorum loqui, & operari quis nesciat?

2.Reg.19. 26.

Servus prudens iratum Dominum dulci responso placabit.

2dò, Sint *mansueti*, & cùm animadvertunt Dominos suos irâ fervere, & comminari, aut omnino taceant; aut, siquid habent silentiô meliùs, cum omni mansuetudine respondeant *sicut Domino, & non hominibus.* Sic enim *Responsio mollis, frangit iram.* Talis mansuetudo conjuncta eximiæ prudentiæ videtur fuisse in Servis Naaman Syri: qui aliquando equis, & curribus pro dignitate sua stipatus, fortè ad Elisæi domûs ostium consistebat, Lepræ suæ cœlestem præstolaturus medicinam: sed cùm à Propheta juberetur ad Jordanis aquas se conferre, in eóque lavari repetitis septem vicibus: inhumanitate, ut rebatur, responsi offensus, & quòd ne quidem meruisset officii causâ prodeuntem ad se alloqui Elisæum (uti sunt Principes in puncto honoris delicatissimi) recedere parabat indignatione plenus, quòd ad Jordanem (cujus Sacramenta ignorabat) relegaretur, malo suo potius ab fluviis Damasci remedium quæsiturus. Atque jam jam revertentem detinebant Servi opportuna ad eum oratione usi: *Pater, etsi rem grandem dixisset tibi Propheta, certè facere debueras; quantò magis, quia nunc dixit tibi: Lavare, & mundaberis?* Fecit, paruit, mundatus est, & responso molli tumorem, & iram frangi posse docuit. Quodsi mansuetudo famulorum sociata fuerit eximiæ prudentiæ, cavebunt, non modô magis irritare Dominorum suorum furorem aut adversum se, aut alios; sed etiam ut ne nuncia, quæ ab animis iratis dictantur, ad alios perferant, quoties animadverterint nuncia hujusmodi fore inter domos, & familias odiorum seminaria. Prudentis famuli erit, nuncia istiusmodi aut reticere silentio, aut temperare suavitate, Domini sui honori, familiarum paci consulendo. Recitetur Domini tui intentio, contumeliæ taceantur; stylum mandati prudentia servi molliat. Si in corde Domini est fel, in ore famuli sit mel. Talis famulus, talis Secretarius immensi pretii gemmâ emendus. *Servo sensato liberi servient*, & Dominorum suorum nullâ aliâ re magis affectum sibi captivabunt.

Dominorum iratorum nuncia quomodo perferenda

Eccli.10.29

3tiò, Sint *patientes* laborum, & Dominos (ut præcipit Apostolus) etiam discolos, *supportent in charitate.* Hæ sunt *duæ alæ* residuæ *Cherub:* Patientia, & Charitas; quæ efficient obedientiæ jugum non solùm tolerabile, sed etiam suave, & amabile. Patientiæ virtute labores perferemus, animi, & corporis nervos intendemus ad muneris nostri partes omnes adimplendas; patientia fugit otium cùm omnibus, tum maximè vocatis Servis suo statu indignum. Quàm enim indignum, & omnino non ferendum est, ut famuli conducti ad laborem sese ebrietatibus dedant, & modicum mercedis futuræ necessitati reponendum, gutturi, & ventri sacrificent? Famulus ebriosus, Diabolus in domo; rarissimus Exorcismus est, qui hunc expellat, cum semel inhabituatus fuerit. Probârunt Diabolum hunc exorcizare baculis, compedibus, camo, & fœno: actum egerunt. Et quod gravissimum est, semper diebus Deo consecratis, celeberrimis, & sanctissimis horrenda ista labes dominatur. Servi cogitate, esse

4.Reg.5.

vos

vos ante omnia *Servos Dei*, pretio magno emptos, & recuperatos à tyranno omnium sæviſſimo, cui in Baptiſmo renunciâſtis; itaque ſi cæteris diebus operam rei familiari Dominorum terreſtrium impenditis, dies verò Feſtos ventri, ebrietatibus, Baccho ſacrabitis, & libidini; quando demum cultum, honorem, venerationem omnium Supremo Domino, Deóque veſtro, cujus eſtis Servi, tribuetis? quam particulam vitæ illi conſecrabitis? Heu me!

Ad hanc Quæſtionem donec veſtrum præſtolor reſponſum, quòd fortè nunquam dabitis: Sermonem finio Apoſtoli Pauli obſecratione: *Obſecro vos ego vinctus in Domino, ut dignè ambuletis vocatione, quâ vocati eſtis.* Vocatio veſtra ea eſt, quæ authore Deo ſtabilita, approbata, ſaluti obtinendæ idonea, ſanctitatis capaciſſima, ſicut laborum, ſic meritorum fertiliſſima ſit. Itaque ſerviatis DIGNE ad ſpem, dignè ad promiſſam mercedem in cœlis, dignè ad Chriſtum, cui in perſona Dominorum famulamini; dignè ad Eccleſiam, quæ tanquam filiis hodiernum vobis ſermonem impendit; dignè ad Angelos, quos in ſervitiis non ſolum adjutores, ſed etiam Collegas nacti eſtis. Denique dignè ad gloriam cœleſtem, ad quam hâc viâ vocati eſtis. Interrogate vos identidem cum Bernardo: *Ad quid veniſti?* Ad quid vocatus? Mementote vos vocatos eſſe ad humilitatem, cervices ſubdidiſſe veſtras Dominis, & in his Chriſto, ſtudete ergo in eorum perſona Chriſtum revereri, Chriſto parére, velut Chriſti res tueri. Mementote vos vocatos eſſe ad laborem, nolite vacare otio, ſed impendite vos negotio vobis ab obedientia imperato. Agite quod agitis fideliter, agite patienter, agite conſtanter, cum bona intentione ſervientes *tanquam Domino, & non hominibus;* ut & in terris Dominis veſtris expetendi, grati, & dilecti evadatis, & olim ab ore Chriſti Judicis audire mereamini elogium, maximæ vobis coronæ loco ſerviturum: *Euge Serve bone, & fidelis, intra in gaudium Domini tui!* AMEN.

Eph. 4. 1. Quid ſit, dignè ambulare vocatione Servorum?

IN EADEM DOMINICA
SERMO II.

Segesvárini in Comitiis. An. 1699.

Suſcitaverunt eum dicentes: DOMINE, *ſalva nos perimus.* Matth. 8.

SUMMARIUM.

Domini, præſint, ut proſint.

I. *Quia quò eminentiores dignitate, eò majores ſervitute.*
II. *Quia compellare* Dominum, *eſt cogere ad officium.*
III. *Quia ſervire, character eſt Vocationis.*

Aut proſint, aut non præſint.

DOminos vocari, nihil eſt; Dominos eſſe, magnum eſt, & Deo proximum. Si poteſtis *imperare ventis, & mari*, & vobis elementa obediunt, ac parent; ſi lepras ſanare & vulnera; ſi non ad ſepulchrum deducere vivos, ſed è ſepulchris excitare mortuos, ut per vos vivant; ſi januas cœli aperire, & pluere panes eſurientibus; ſi in inopes & famelicos evacuare granaria, & rurſum implere poteſtis; ſi inquam talia poteſtis, bene eſt, nominis veſtri menſuram impleviſtis; ſi non, deponite nomina *Dominorum.* Quisquis vel conſilio, vel auxilio prodeſſe aliis non potes, aut renuis cùm poſſis, ego tibi dico, immo Deus: *Non aſſumes in vanum Nomen* DOMINI. Aut profitis, aut Domini non ſitis.

Exod. 20. 7

Tothilas quondam Gotthorum Rex, Servum Chriſti Divum Benedictum exploraturus, utrum verè, ſicut fama vulgabat, Prophetico polleret ſpiritu, occultorúmque cognitor eſſet: eum aditurus Spatharium ſuum regio præmiſit ornatu; quem ut vidit Dei Servus: *Depone*, inquit, *fili quæ geris, non enim tua ſunt.* Gerebat nempe purpuram, cydarim, arma, comitatum & ſatellitia quaſi Rex: *Depone fili, neque enim tua ſunt.* Non iſta faciunt Reges, non Dominos, & Deo proximos dignitate. Quid ergo? Diſcipuli certiſſimo conterriti naufragio, in tam præſenti diſcrimine Chriſtum compellant titulo DOMINI:

Domine,

Domine, salva nos, perimus! Simul audito hoc titulo (dormiebat enim in navi) *Surgens imperavit ventis & mari, & facta est tranquillitas magna: porrò homines mirati sunt dicentes: Qualis est hic, quia venti & mare obediunt ei.* Quid hic primum admirer? an discipulorum fidem? an maris ventorúmque reverentiam? an verò regiam Christi facilitatem humanitatem & potentiam? *Dominum* me vocatis, faciam ut cognoscatis nominis tanti mensúram, nec vos pœniteat súbditos meæ se commisisse fidei, numinisque mei implorâsse potentiam. Et ego dico: Non posse Christianos DOMINORUM titulo gloriari, nisi tanti nominis vocationi correspondeant & dignitati. Nemo Dominus, nisi ut Servus multorum. Quod erit hodiernæ dictionis argumentum.

§. I.

Quo majores Domini, majores Servi.

Siquis in corona hac esset, qui propositionem meam fugillaret tacitè, quòd ex una parte magnificentiam Dominorum attollam, ex alia parte ad servitia humiliem, & invitem: circumspiciat is omnia magna opera Altissimi, quæ condidit in usus & utilitates hominum: quò majora ac excellentiora ea sunt, majoribus quoque destinari servitiis animadvertet. Percurramus cœlum oculis: quò majora creata sunt luminaria, etiam majora imperata servitia publica. *Fecitque* Gen. 1. *Deus duo luminaria magna.* In quem usum? *Luminare majus, ut præesset diei:* videlicet ut in quatuor partibus mundi tot hominibus, & animantibus laboraturis proferret necessarium lumen; in quem finem oportebat Sidus hoc perpetuò circummoveri ab ortu ad occasum, & nullam capessere quietem. Similiter *Luminare minus, ut præesset nocti*, & labori vices quietis redderet, simul ut viatores toto orbe & navigantes suo regeret splendore: utraque autem essent *in signa* discriminantia annum & menses, ver, æstatem, hyemem, & autumnum: *in signa* serendi, metendi, navigandi, vindemiandi; aliáque sexcenta. Quanta hæc servitia! In terris Urbes quantò majores, celebriorésque fuerint, eo plures cives complecti sinu, alere, ac defendere debent: quò grandiora munitioráque Præsidia, ac Arces, eò pluribus belli tempore refugium præstare ac securitati servire plurimorum oportet; ut nihil vel in terris, vel in cœlo Magni nomen, nisi magnis sustineri servitiis possit. Sed quid dico, creata? sicui placet, legat titulum titulorum Dei, & inveniet in capite libri scriptum esse: *In principio creavit Deus cœlum, & terram.* Gen. 1. Iste est maximus omnium Titulus, in quo fundatur Dei majestas ac dominium. Et quomodo stabit? dico, cum maximis servitiis tum in fundatione rerum, tum in conservatione ac providentia: Omnia pro nobis, & omnibus nobis: neque enim tantum sibi titulum Maximi Domini vindicaret, nisi etiam ad nostra sese demitteret servitia; & qui adhuc de veritate dubitabundus hæreret, aperiat is sacra volumina, inveniet millies titulum Dei, DOMINUS, & si millies inveniet titulum *Domini*, semper servitia Dei deprehendet, & promptitudinem omnibus se communicandi in bonum & commodum: quod est esse *Dominum. Domine salva nos, perimus?* Hoc titulo facto, viscera Dei intima rimatus es.

De Dominatione Christi suprema, ac regio etiam in elementa, ventos, ac maria imperio, sermo est in hodierno Evangelio. Notate bene: excepto duntaxat uno casu, quô Christus audiit: *Domine, Domine aperi nobis:* & super Matth. 25. quam parabolam fundatur pariter alia veritas contra eos, qui volunt ubique Dominum Deum sibi servire, & ipsi nihil: *Non omnes, qui dicunt mihi: Domine Domine, intrabunt in regnum cælorum.* Quare hoc? quia regnum Dei non est vox, & syllaba, sed veritas. Dico, quandocunque in veritate vocatus est *Dominus*, effectus optimus est secutus vel quoad emolumentum spirituale, vel quoad temporale. Hinc est, quòd cum Discipuli Christum ex ejus verbis colligerent propediem moriturum, ait Scriptura: *Facta est contentio inter eos,* Luc. 22. *quis eorum videretur esse* MAJOR? Hic enim est stylus terræ; Ut fluctus fluctum, sic heres heredem trudit. Successor instat, pellimur! Christus adhuc vivebat, & jam de Vicario deliberabatur. Non negat absolutè Christus, sed ait: *Qui* MAJOR *est in vobis, fiat sicut minor; & qui præcessor est, sicut qui ministrat.* In verbis his: *major, minor;* Præpositus, Minister idem, nec est umbra repugnantiæ, sed lucidissima veritas; ut quisquis se videt Dominum, fiat sicut servus, & quò major Dominus, eò major servus, eò quòd & pluribus servire debeat, & in pluribus. De maximo omnium Domino, & ideo verè Domino, dicit regius Psaltes: *Voluntatem timentium se* Psal. 144. *faciet,*

faciet, & obsecrationem eorum exaudiet. Quid est *voluntatem timentium se* facere, nisi eorum justis desideriis, necessitatibus & petitionibus die & nocte servire, semper aures habere expansas ad audiendum, & manus paratas ad largiendum, brachia exporrecta ad protegendum, eósque quibus *Deus refugium, & virtus*, sive stent, ad adjuvandum; sive fugiant, ad salvandum. Quò major Dominus, major Servus. Quorum Dominorum, & verè Dominorum obligationem in solo hoc titulo fundatam: simul obligationem Subditorum erga Dominos suos explanans Apostolus ait: *Obedite Præpositis vestris, & subjacete eis, ipsi enim pervigilant quasi rationem pro animabus vestris reddituri.* Nihil terribilius, quàm pro anima sua rationem reddere, quid igitur de aliorum animabus quæ incuriâ Præpositorum pereunt? Quidam è Principibus magnis interrogavit suum Concionatorem: Utrum Reges, & magni Domini salventur? Respondit: *Si post Baptismum moriantur;* eò scilicet, quòd titulis suis minimè respondeant. Grandem obligationem in se claudit hæc vox *Dominus*, & siquis pro virili correspondeat, satis est ad laudem apud Deum, & homines; satis ad proximorum solatia, satis ad compescendas querelas pupillorum, & orphanorum.

Hebr. 13.

§. II.

Qualiter compellandi Domini: & quomodo ab his titulo suo respondendum?

In hoc, & præteritæ Dominicæ Evangelio ad Dominum dominantium, & Principem Principum vociferantur hinc ex mari periclitantes, inde de terra Leprosus miserabili gemitu: de terra, & mari installatur *Dominus*, ut faciat quod est Domini. *Domine salva nos perimus!* Tu in navi quiescis, & non consideras, quia nos perimus? Leprosus humi genu flexo dicebat: *Domine, si vis, potes me mundare.* Utrinque responsum est titulo *Domini:* ibi imperio, maris fluctus sedantur: hìc in signum clementiæ protenditur manus: *Volo, mundare*, dixit, & factum est. Doctrina est duplex ad Dominos, & ad supplices populos, qualiter alloquantur Regni Magnates. *Domine.* pars altera est, qualiter Domini debeant respondere: *Volo.* De parte supplicantium securos facio omnes Dominos, eorum nihil omittendum, quæ Christianæ humilitatis & officii erunt in alloquendo; alloquemur si placet, lachrymantibus oculis, & si hoc non erit satis, in persona omnium pupillorum, & afflictorum flectam genua; addam obsecrare per vulnera, per *aspersionem sanguinis JESU Christi!* per salutem animæ vestræ, per Patriæ tranquillitatem. Nullum itaque dubium ex parte prætendentium. Ex parte Dominantium pariter nullum mihi dubium esse potest, si considerent, cujus titulum præseferant. Si enim titulo hoc gloriari licet, glorientur etiam in hoc, quod liceat consectari tanto sub titulo Regem Regum, cujus titulus sufficiebat ad pacanda maria, ad suscitandos mortuos, ad consolandos afflictos, ad aperiendum cœlum, & viscera; denique charior allocutio & ad expugnandum efficacior vis Christo non fuit, quàm vocari Dominum: *Domine, si vis, potes! Domine, salva, perimus!* hoc audito majestas vertebatur tota in gratiam, potestas in clementiam, divinitas in misericordiam. Iste dicit: *Si vis potes;* de potentia mea dubium non habet, si modò velim: quomodo autem ero Dominus, si subditorum emolumenta & commoda nolim, si lachrymas dissimulo, si pollicitis meris, & spe quæ differtur, affligo animas? si unum requiritur verbum, *Volo*, & omnia facta sunt: cur dicam, *Nolo?* &, si nunc possum, cur nolo modò? Ad omnes has difficultates expediendas solemne habuerunt omnes confugientes Christum compellare *Dominum*, quasi cogendo ad officium suum. In jure civili magnum quid est, *cogere ad officium*, quandoquidem Dei minister est, & omnis potestas à Deo; cogere aliquem ad officium, est cogere ad potestatem, quam Deus commisit tanquam Vicariis. Quis Dominorum, qui justè hoc nomen portat, nec tanquam Tyrannus in honores invasit, sed tanquam vocatus à Deo officium inivit: quis inquam Principum excusare se possit, quando potestatem habet expediendi justitiam, auctoritatem supremam mandandi, & finiendi causas, & non facit? Quis tædio tangetur & nauseâ, quando uno verbo *Volo*, potest expedire negotia jamjam moritura, & sepelienda? Quis justè conqueretur, si suum palatium obsideatur ab injustè oppressis, familiis depauperatis; si volunt queri adversus iniquos invasores, & raptores, ad quem ibunt? quo se vertant, nisi ad eum, qui habet potestatem imperandi ventis, & mari? *Suscitaverunt eum dicentes: Domine, salva nos, perimus!* Quodsi

Matth. 8. & Marc. 1.

Domini à Deo vocati sunt ad laborem.

ista suscitatio de quiete ad laborem, à deliciis ad officium, ad vigilantiam, ad boni publici curam, sæpiùs accidat permolestè; meminerint se Dominos esse: *Quidquid homines vocamus laborem, Regum natura est*, ut pulchre Pacatus. Inter nos, inquit, qui de vulgo sumus, & inter Dominantes, differentia esse debet tanta, quanta inter Solem, & Cochleam: Cochlea quæ ubi domunculam suammet sublevat, itérque suum ingreditur, hoc & paulatim facit, & subsistendo identidem respirabit; at verò natura Solis est, nescire otium, esse indesinenti in motu, sine quo terris lucem, arboribus plantisque vegetationem, pretiosissimorum quæ mundus habet aut coralliorum in mari, aut metallorum in visceribus terræ pretia perficere non posset; tum siquando pulcherrimum illud rapidissimúmque sidus vergere in occasum videtur, nobis occidit, ut aliis nascatur, & omnium emolumentis serviat. Nos homunculi querimur, ultra vires affligi, cum hæc & alia imperantur: sublimior virtus Dominantium nec vivere se credet, nisi laboret: *Quidquid homines vocamus laborem, Regum natura est.* Hæc est virtus gratiæ, & assistentiæ divinæ effectus; hæc vocationis ipsorum dignitas supra hominum cæterorum sortem, ut ipsi spontè naturâque suâ ferantur in laborem, & ubi cæteri, velut in apertis faucibus Leonis horrescunt periculum; ibi cum fortissimo Samsone ipsi favum mellis reperiant, consolationem quòd Deo, quòd Patriæ, & Subditis, quòd Officio & conscientiæ pro virili responderint, quia horum gratiâ vocati sunt. Ideo in duobus Evangeliis *Domine! Domine! Si vis, Volo. Salva nos!* mox ventorum, & maris Imperator, ac Dominus surrexit, & *fecit tranquillitatem.* Quis enim alius id faciat, quàm qui ad clavum sedet *Dominus?*

Pacat. in Orat. ad Theodos.

Comparã tur Soli.

Addamus si placet, iis, qui de terra, & mari installaverunt *Dominum:* tertium, qui de aëre Salvatorem nostrum, *Dominum* salutavit, & salutem reportavit. Quis ille? Latro de Cruce. Hic videns æternitatis viam instare, & cœlestium gratiarum dispensatorem emori: citò supplicem libellum format, & alloquitur Christum quàm paucis, tam ponderosis verbis à præcipuo omnium Titulorum orationem inchoans: *Domine, memento mei, cùm veneris in regnum tuum.* Reverentia in alloquendo, modestia in petendo, utraque summa. Grandis fides fateri potentiam in supplicio, dominatum in vinculis, regnum in nuditate, gloriam quibus vellet Paradisum, & quibus vellet, gehennam de tribunali Crucis decernendi; confiteri tantum Crucifixi in omnia imperium & dominatum, fides omnino stupenda: *Domine memento mei!* Sed quàm grandis fides Latronis, tam videri pòssit importuno facta tempore petitio. Quem salutabat *Dominum*, sciebat esse Regem, poterat, si didicit legere, videre titulum Crucis *Hebraico, Græco, Romano*, characteribus inscriptum: si hoc non, habuit aures, audivit in Prætorio quæ dicebantur: *Ipse dixit: Rex sum Judæorum.* Rex est, sed considera pendentem, considera morientem, considera clavos & spinas, & tace! ut quid isto rerum statu molestus interpellator accedis? Immo verò, inquit Latro, nisi modo accedo, perii! nisi modo pulso, & peto, foris remaneo, & regnum non intro. Nec est quod me à proposito deterreant aut lanceæ in cor jam paratæ, aut spinarum ac juncorum aculei fronti divinæ infixi. Proprium est id Regnantibus, supra caput habere fulgentem ac speciosum titulum *Regis*, sed infrà spinis & aculeis verticem habere incinctum, magnæque potestati comites ire magnas curas. Quodsi alii in animæ suæ ruinam curas inferunt Regi, Dominóque meo; dum agitur de puncto omnium maximo gravissimóque salutis meæ, & tam breve tempus est, tacebo? Immo clamabo: *Domine memento mei!* pulsabo, ut mihi aperiatur Paradisus. Factum est. *Hodie mecum eris in Paradiso.* Vox est Domini. Videte hic prudentiam alloquentium Christum; spectate Domini, an vos excusare per labores & officii spinas debeatis, cùm vos greges pauperum vallant, compellant, & vocant: *Domini!* quin etiam de Cruce, in quam si fortè vos vel corporis fragilitas, vel animi perturbati affixit ægritudo: favorabile responsum præbeatis, neminémque à conspectu vestro tristem recedere patiamini. Quid ita? quia Deum, cujus Vicarii estis, repræsentatis, oportet vos divinam in agendo repræsentare clementiam, & naturam.

Latro de Cruce, maximo lucro suo Christum compellat Dominum.

Luc. 23.

§. III.

Dominorum est nasci in plurium utilitatem: & quanta hinc commoda?

Ego circumstantias temporum attendendo dico: neminem vestrûm meliore modo dignum reddere sese dominatûs

natûs titulo, quàm ſi Multis ſerviat; & tunc digni eritis, quibus viciſſim *à multis* ſerviatur, æſtimétque populus ſalutem dignitatémque veſtram tanti, ut eam profuſo ſanguine ſuo tueri, ac defendere in lucro reponat. Sic Abſalon captivabat ſibi, & admirabili comitate devinciebat corda populorum: ut ſi fine ſancto ea ſervitia præſtitiſſet, omnium dominorum verè dominantium exemplar & Principum ſpeculum dici ex merito poſſet. Politicus iſte Magnus humanitatem ac benevolentiam ſciebat eſſe potentiſſimam catenam, quâ liberi populi devinciantur, & barbari ſubjugentur: jam in aurora obambulare ſpatia aulæ regiæ, & cunctos qui habebant cauſam apud Regem, vultu in clementiam temperato alloqui, nomen, genus, familiam requirere: *De qua Tribu es tu? Qui re-*
2. Reg. 15. *ſpondebat; Ex una Tribu Iſraël ego ſum ſervus tuus.* Reſpondebátque Abſalon ingemiſcens: *Videntur ſermones tui boni, & recti, ſed non eſt, qui te audiat conſtitutus à Rege. Dicebátque: Quis me conſtituat Judicem ſuper terram, ut ad me veniant omnes, qui habent negotium, & juſtè judicem? Sed & cùm accederet homo ad eum ut ſalutaret illum: extendebat manum ſuam, & apprehendens oſculabatur eum.* Videte hìc omnes Svadæ Civilis vias conciliandi ſibi populorum affectus: Et primò voluntatem optimam jus ſuum cuique tribuendi: *Ut juſtè judicem;* Omnibus ſerviendi deſiderium ac propenſionem: *Ut ad me veniant omnes.* Liberalitatem regiam, in cujus conteſtationem *Extendebat manum ſuam*, quam, ſiquando ad ſceptrum perveniret, experturi eſſent ſibi & Patriæ munificam, & gratiis refertam. Sed & in amoris ſignum officioſos dividebat amplexus, quoties *accedebat homo ad illum:* fuerit is pauper, an Ordinis Patritii? nihil hoc ad æquitatem conducebat, dummodo fuerit *homo*, ipſam Dei imaginem, & communionem patriæ, ſummum ducere motivum declarandæ æquitatis, adminiſtrandæ juſtitiæ, præſtandi obſequii: quaſi iſto agendi modo docuiſſet Magnates & ipſos Regnantes, niſi populorum & Patriæ commodis ſervitia ſua conſecrent, & proſint multis, non poſſe dominationem aut ſuſcipi, aut ſuſceptam retineri. Nec eſt, cur violari dignitatem ſuam iſtis ſervitiis putent; iſta ſervitus eſt divina imitatio, eſt vocatio Regum, & Magnatum; eſt munus principalis ſpiritûs, vinculum & catena ad continendos in fide, & obſequio populos liberos. Iſta ſervitus parricidæ Abſaloni erat gradus ad Imperium: Chriſtiano Magnati via hìc ad honores, ibi ad regnum æternum capeſſendum: dum vivit, ad merita bona, dum moritur ad coronam, & memoriam æternam; pulchriùs longéque magnificentiùs ſubditorum humeris, & lachrymis, quam holoſerico tapete, tubarum tympanorúmque triſti clangore in ſepulchrum ſuum deducendus, & quot pauperum diu vixiſſe optantium votis, totidem Elogiis coronandus. *In memoria æterna erit* Pſal. 111. 7 *juſtus, ab auditione mala non timebit.* Cedant vel Oratores diſertiſſimi palmam Elogiorum qualia boni omnes texere ſolent, cùm fama auditur procul præſtantiſſimi cujúsque Magnatis & Patriæ Patris ſepulchro illati. Iſte fuit (lachrymantes dicent) *Dominus*, niſi homo natus fuiſſet, ſemper vivere dignus. Iſte de cœlo datus non ſibi, ſed pluribus. Ille oculus cœco, claudo baculus, ad ſe accedentibus ara, & templum Juſtitiæ nunquam clauſum. Illi debet Patria pacata maria, illi Eccleſia compoſitos ventos & fluctus minaces, qui grandi impetu domum Dei quatiebant. Illi debent Monaſteria quòd ſtent, Templa quòd refloreſcant, Eccleſia quòd libertatis jura vindicata lætetur. *Imperavit ventis & mari: & facta eſt tranquillitas magna.*

Finio: memini quippe me ad panægyrim funebrem texendam huc non aſcendiſſe, niſi ad nos qui vivimus, qui adhuc reſidui ſumus ex tot Patriæ incendiis, ac periculis, ad nos inquam exſtimulandos habere ſermonem, ut velimus ſtatui, officióque noſtro glorioſis factis reſpondere. Novi ſæpenumero etiam optimas intentiones impediri, ut quod pro Deo, & Religione præſtare cuperent, non poſſint; quando ipſas Dei manus ſæpe ligatas legimus, ne faceret quæ cogitavit; ſicut enim Deum noſtra peccata impediunt, & ſummam potentiam quodammodo ligant, ne data optima largiri poſſit; ſic nos aliena coarctant, & plurimum retardant, ne glorioſa præſtemus. Meum nunc votum eſt, quidquid virium, quidquid induſtriæ & dignitatis in nobis eſt, non parcere ubi requiritur ſervitium Dei, & proximi; cætera, laborúmque ſucceſſus felices permittamus Domino Dominantium; ille faciat, & afferat Auroram illam beatam, quâ ſopitis omnibus ventis & fluctibus turbulentiſſimi hujus ma-

Servitus Dominorum, eſt character vocationis

ris fiat *tranquillitas magna* in diebus noſtris; ad quod requiritur, ut identidem excitemus Chriſtum, ut *surgat, & imperet. Lixit, & facta ſunt.* AMEN.

IN EADEM DOMINICA
SERMO III.

Domine ſalva nos, perimus! ipſe autem dormiebat. Matth 8.

SUMMARIUM.

Regni peccata inducunt Somnum DEO.

I. *Qualis ille Somnus in DEO?*
II. *In pœnam Talionis.*
III. *Ad ſtimulum ardentioris orationis.*

NE cui mirum videatur Deum-Hominem dormîſſe in navigio: nam ſi principium Incarnati Verbi quis perſpexerit, ſi credit verè naturam induiſſe humanam, iſtud quoque naturæ mortalis ſignum illi concedere debet. Univerſali principio docti, quidquid in uno caſu credimus de Chriſto, e. g. ſi credimus verum ſanguinem fudiſſe, credendum pariter, fatigatum dormiviſſe. Longè utilior quæſtio eſt: quid Chriſtus per hanc dormitionem innuere voluerit legentibus, quod in tanto periculo naufragii omnibus metu trepidantibus ipſe dormiat, nec niſi ad ſolicitiſſimos Diſcipulorum clamores ſit expergefactus? Multi multa. Alii dicunt id factum ad explorandam Diſcipulorum fidem, quid facturi eſſent in tanti periculi articulo; an occurreret illis Deus, qui dominatur in virtute ſua mari, & omnibus fluctibus ejus? & bene titulo *Domini* utuntur ad Chriſtum: *Domine ſalva nos!* Ego ita mecum ſtatuo, nos dormitione iſtâ tangi. Nos inquam ſumus, qui ſomnum inducimus Deo peccatis noſtris, ut tantis periculis indormire videatur, & Regni (ſtet, pereat?) curam deponere, ſed tantum ad tempus; uſque dum precibus, lachrymis, unitis vocibus cœleſtem ejus potentiam ſuſcitemus: *Domine ſalva nos!* Ubi expergiſcitur Deus à ſomno, tunc magnificentius potentiam ſuam oſtendit, ut rebus deſperatis opem, quam mundus dare non poteſt, acceleret. Verè *Dominus*, cui *Venti*, & *Mare* obediunt. Hoc erit thema Concionis. Vos oro, ne, quorum plurimum intereſt iſta audire, in tanto ſalutis negotio dormiatis, ſed attentiſſimi excipite ſermonem.

Apoſtolis in periculo conſtitutis Chriſtus dormit, & quare?

§. I.

Quid ſit dormire Deo, per 4. ſomni proprietates declaratur.

Somnus Chriſti in navigio non apparens, ſed verus; refricat mihi in memoriam æternæ Divinitatis quietem quandam ac ſomnum in Regnorum periculis, in quibus conſtitutus David non dubitavit excitare Dominum Exercitum: *Exurge! quare obdormis Domine!* Pſal. 43. *Exurge & ne repellas in finem. Cur faciem tuam avertis, & obliviſceris inopiæ noſtræ, & tribulationis noſtræ? Exurge Domine! adjuva nos, & redime nos propter nomen tuum!* In tribulatione poſiti verba ſunt iſta. Quas tunc perſecutiones patiebatur cum populo ſuo Rex Sanctus, ego non dico, legite ſi placet, & deprehendetis de verſu ad verſum Genti noſtræ proſtratæ ad amuſſim quadrare. Meæ Orationis ſcopus & thema eſt: Nos peccatis noſtris ſomnum inducere Deo, ut ad publica regni gravamina gerat ſe, ſicut dormiens. Quid habet ſimilitudinis *Dormiens* Deus cum dormiente? Curarum fugam, & quandam ceſſationem, quam bene *oblivionis* nomine expreſſit Propheta, quæ eſt prima proprietas ſomni: *Quare obdormis? quare obliviſceris inopiæ noſtræ?* Proprium enim eſt ſomni, inducere quietem, & oblivionem rerum agendarum ſive quæ ad Deum, ſive quæ ad nos ipſos, & proximos; tunc non pungimur curis, non interpellamur precibus, non capimur divitiis, ſpebus, muneribus; non diſtinemur negotiis, & injuriarum imagines velut beſtiæ delinitæ jacent. Mitto plura, ne longior ſim. Solùm de dormitione & ſomno Dei dicere ſtatui, quod cœleſtis illa Providentia revera ſic ſe habeat ad nos, quemadmodum *Dormiens*, & (ſi ita dicere fas) tanquam mortua, quoniam Mortis, & Somni eadem pictura eſt. Hinc eſt, quòd bellicoſæ illæ Gentes, Judæorum populo domito, ac ſervitute oppreſſo dicebant: *Ubi eſt Deus eorum?* In quo tam potens argumentum ad excitandum Deum collocabat David,

1ma: Curarum fuga, & oblivio.

David, ut judicaverit ſatis fore unum hunc populi ſibilum ad ſuſcitandam cœleſtem Providentiam, ut pro Nominis
Pſal. 78. ſui majeſtate & gloria conſurgat: *Ne fortè dicant in Gentibus: Ubi eſt Deus eorum?* Quid enim verò me juvat habere Deum, ſi ſum deſertus ab omni ope, ſolatio, auxilio; ſoret enim Deus talis ex numero illorum Deorum, qui *oculos habent, & non vident; aures habent, & non audiunt*, digni ſanè, quos unà cum cultoribus ſuis gloriosè irrideat Eli-
3. Reg. 27. as: *Clamate voce majore! Deus enim eſt, forſitan in diverſorio eſt, aut in itinere, aut certè dormit, ut excitetur.* Quod cùm dico, de æterno illo Numine, Deo *vivente*, & *vidente* aliud non intendo dicere, quàm quod S. Rex David dicendo prævit: Deum videlicet quodammodo *oblivi ſci* noſtri, quoties nimirum ipſi priores obliviſcimur Dei noſtri ſic agendo, quaſi nec eſſet Deus in Israël, non juſtitia, non æternitas, non judicium, non lex, non conſcientia: juſto judicio
Thr. 2. fieri, ut pariter *oblivioni tradat Dominus in Sion feſtivitatem, & Sabbathum*, & ipſæ aræ ſocique deſerti ſuis inſideant cineribus. *Ipſe verò dormiebat.*

2da. Claudere oculos. Habere oculos, & claudere, dormientis eſt. Si ergo dormiebat, qui regit Israël, ad calamitates publicas oculum claudebat, neceſſe eſt. Furit mare, uſque in cœlum fluctus elevantur, navis periclitatur conteri: *Ipſe verò dormiebat*, & oculos, in quibus unica ſpes, claudebat. An potius impii ipſi, qui *dicunt in corde ſuo: Non eſt Deus!* laborant oculos illos lucidiores ſuper ſolem velo obducere, optantes in cubilibus & impudicitiis; in injuſtitiis ac furtis non videri à Deo. Omnis peccati prima qualitas tenebræ ſunt, velle effugere oculos divinos, & optare non eſſe Deum, qui abſcondita rimetur. O cœcam ſævitiam! ô dementiam noſtram! *Qui finxit oculum, non conſiderat?* Quomodo poſſibile eſt, ut Deus factor oculorum non videat oculis? Ite nunc! accuſate Dominum Exercituum, quòd ſuper tot Regni infortunia oculos olim tam beneficos claudat, qui priores clauſimus ad Deum, & in ejus conſpectu tanta patravimus ac fecimus, ut eorum horrore faciem ſuam meritò avertat.

3tia. Faciem avertere. En tertium dormientis ſignum: Faciem ſuam avertere: *Quare obdormis Domine!* continuò ſubdit: *Cur faciem tuam avertis?* quod in Deo graviſſimæ iræ & indignationis eſt ſignum, ſi conſideretur pœnitentis Davidis ſupplex ad thronum gratiæ libellus multis lachrymis aſperſus, & à ſalutari timore dictatus, ne fortè qui Deum projecerat, finaliter projiceretur à Deo: *Ne projicias me* Pſal. 50. *à facie tua, & Spiritum Sanctum tuum ne auferas à me.* Quaſi idem eſſet avertere faciem, & Spiritum Sanctum tollere, quò nullum peccatori detrimentum majus. Job cum amicus Dei eſſet, querebatur ſecum agi tanquam cum inimico, & hoſte quem conſpectu arcemus: *Quare faciem tuam avertis, & arbitraris me inimicum?* Si reſponſum expectare vellemus à Deo, facilè cauſam aſſequemur averſi divini vultûs, eſſe tot non jam opertas, ſed apertas hoſtilitates, quibus quotidie Deus irritatur à maximis, infimisque. Ob hoc vultum avertit à finibus noſtris, ob hoc quàm multi quotidie projiciuntur à facie Dei, & Spiritu Sancto privantur; ob hoc tollitur ſpiritus gratiæ, & petra Fidei quatitur, ut pene ruat. *Ipſe autem dormiebat.*

4ta. Silentium altum. Ad hæc dormientis Dei fatalia ſigna, & peccatorum noſtrorum præſagia accedit, quod multò his terribilius, divinum ſilentium, ut dormientibus moris eſt. Miratur Sanctiſſimus David: *Exurge, quare obdormis Domine!* Nullum accepit reſponſum. *Quare obliviſceris inopiæ, & tribulationis noſtræ?* Nihil. Non ego hic cauſam meam, vel Regni mei ago, inquit; ſi ſcindimur, ſi quatimur, ſi perimus, majora meruimus, & tu absque nobis manebis Deus. Et quid facies magno Nomini tuo? *Ne*, ne quæſo *repellas in finem, adjuva nos, & redime nos propter NOMEN TUUM!* Et nec ſic verbum obtinet pro reſponſo. Et nos an efficacius quidquam commemorare poſſumus offenſo Deo Patri, quàm ut reſpiciat Nomen ſanctum ſuum! Propter Nomen Unigeniti Filii tui, propter ejus ſanguinem, & mortem *Exurge, quare obdormis Domine?* Ad hoc *Quare*, nullum datur *Quia*. Tacetur.

Ad Chriſtianorum preces ſilentii divini cauſæ juſtiſſimæ, & graves.

§. II. *In pœnam Talionis.*

Ego dicam rationem, à paritate dormientis Chriſti in navi. Quid eſt, quòd dormiebat in navicula, quando maximâ opus erat vigilantiâ? Scio, quemadmodum tempeſtatis cauſam extitiſſe Diſcipulum, qui jam tunc moliebatur proditionem Chriſti: ſic præbuiſſe cauſam ſomno Chriſti, & cuidam deliquio animi, in quo oculos averteret à Juda, qui viſcera Domini commovebat. Chriſtiani! Juſtiſſima cauſa dormitionis & ſilentii in cœlo,

quando non unum delictum in Regno,
Apoc. 8. 1. non una blasphemia claudit os Dei, ut non loquatur. *Factum est silentium in cœlo, quasi mediâ horâ*, dum aperiretur *Septimum Sigillum*, & variæ tempestates in terram, mare, homines effunderentur, utique in peccatorum ultionem. Solent enim *operta* peccata per *apertos* hostes puniri. Væ nobis! væ Regno, si *sigilla* revelentur! Interea clausis oculis quiescit Justitia, & silentium totô cœlô est. Scitisne quâ ratione quâdam vice fecit se dormientem Deus Regi Sauli? Rex iste in more habebat inconsulto Deo nihil aggredi. Ergo clade non parvâ à Philisthæis acceptâ militari consilio decernitur eundum obviam hostibus;
1. Reg. 14. jam stabant in procinctu legiones, cùm Sacerdos ad Regem: *Accedamus* (inquit) *huc ad Deum*. Dignum Sacerdote consilium. *Et consuluit Saul Dominum, num persequar Philisthym? si trades eos in manus Israël? Et non respondit ei in die illa.* Erat silentium in cœlo, quasi dormiente Domino. *Applicate huc* (inquit Rex) *universos angulos populi, & scitote, & videte, per quem acciderit peccatum hoc hodie.* Tum Saul: *Domine Deus Israël da indicium, quid est, quod non responderis servo tuo hodie? Si in me, aut in Jonatha filio meo est iniquitas hæc, da ostensionem; aut si hæc iniquitas est in populo tuo, da sanctitatem.* Silet Deus, tacet, ostensio nulla. Jaciatur ergo alea, super quem ceciderit, moriatur; si Ego, si Jonathas rei sumus, moriamur! *Cecidit sors* supra filium Regis, nisi milites liberâssent, omnino occidendum.

Discutite nunc, si placet, causas silentii divini, cur votis vestris non respondeat cœlum. Dico, Non sunt Sacerdotes, qui Reges ducant ad Deum, & admoneant conscientiæ ac officii. Non sunt Principes, qui dum ex publicis cladibus animadvertunt, quia manus Domini tetigit Regnum: inquirant in malefactores sine discrimine, sit Rex, sit Regina, sit Filius Regis, sint Principes, sint pupillæ oculi; eruantur, puniantur, per quos hoc scandalum venit. Non sunt, qui solum Deum præ oculis habeant, sed personas, sed affinitates, sed munera, & de peccatis tacetur. Sicut vos dormitis, & putrescunt apud vos causæ malefactorum; otiosis oculis intuemini thalamos violatos, clades Regni, Religionis, Deique offensas: sic & ad vestra interrogata, pulsationes, silet cœlum. *Ipse verò dormiebat*, quasi nec esset, nec oculos haberet, nec aures, nec oraculum.

§. III.

Modus suscitandi Deum.

Saulis in corona successor David bene ista videbat, subtractâ nimirum gratiâ Deum sic habere se ad nos, quasi nec esset, & *mortuus* esset; morientis autem, & dormientis eadem pictura est. Quid faciat? Dormiente Domino res omnes in deterius vergebant; quonam medio suscitet illum aperire tandem aliquando oculos ad subsidium ferendum Regno, & populo prostrato? *Exurge, quare obdormis Domine? oblivisceris inopiæ nostræ &c.* Nova discursui meo accedit materia: Cur scilicet ab expergefacto Deo, & non potius à vigilantissimo implorat auxilium? Anne efficacior tunc à somno virtus, & fortitudo Dei? An pronior ad misericordiam præstandam? Ego humano modo illam puto esse rationem, quam optimè penetravit S. Rex: in hominibus per somnum intermitti multas officii partes sive ad Deum, sive ad Rempub. quibus incumbit illam procurare; operationes multas & graves intercidere certius est, quàm ut explicari debeat. Hoc posito, habuit argumentum gravissimum David alloquendi Deum, & admonendi efficacissimo modo de damnis omnibus, & detrimentis, quæ interea *dormiente Domino* acciderunt. *Tempus faciendi Domine, dissipaverunt legem tuam!* Sacrosanctæ leges calcatæ sunt, Sancta tua eversa, insultat nomini tuo victor hostis, & irrisor: *Ubi est Deus eorum?* Et cum tanta intermissa sint, tacebis? *Exurge, quare obdormis Domine!* Tempus venit, venit tempus tot intermissa compensandi, & in integrum restituendi. Numquid bene? Optimè, prudentissimè. Nunquam efficaciori modo alloqui Deum possumus, quàm summa cum humilitate in oratione exponendo privata animarum nostrarum, vel publica Reipub. vulnera, quæ Domino gratiam subtrahente acciderunt cum magno divini nominis, & gloriæ damno, parique hostium lætitia, & jubilo: *Ubi est Deus eorum?* Psal. 118.

Hungariæ Mariano-Apostolicæ querela ad Deum.

Christiani! Licuit Davidi hoc genere argumenti excitare dormientem cœlestem Providentiam in minoribus causis, nobis non liceat in maximis, gravissimisque illam alloqui? Domine Deus! En præsentium omnium (quorum video oculos & corda in me reclinata) unitis suspiriis & votis, voce pene lachrymis inter-

intercluſa te alloquor: Quid eſt, ô Domine Deus, quòd à temporibus Davidis noſtri, S. Proto-Regis STEPHANI, Eccleſiam Apoſtolici Regni tuo Numine fundatam, beneficiis maximis auctam, divinitúsque ornatam, tot magnorum Sanctorum matrem ac nutricem fœcundiſſimam, poſtremis his ſæculis deſeruiſſe quodammodo, atque tantis illius cladibus indormîſſe videaris? Tu dormiebas in alis Cherub, & hoſtis vigilabat ab Oriente, excubabat ab Occidente *ſingularis aper* in jugulum noſtrum, an tuum? Circumſpice reliquias, quæ ex flammis illis ſuperârunt; te dormiente, in agro tuo ſuperſeminavit Inimicus Zizania; venit fur, & perfoſſo pariete abſtulit omnia deſiderabilia ejus. Parum eſſet, niſi inſultantium ſibilus ad aures quotidie noſtras perſonaret: *DEUS Papiſtarum dormit nunc! dormit Hungarorum PATRONA!* dormiunt Apoſtoli; ſatis equidem excitantur, nec tamen adveniunt. Bene eſt! venenum hoc vertamus in antidotum malorum. Argumento Adverſariorum utamur ad Deum,
4.Reg.2.14 & Chriſtum. Eliſæus illo ipſo pallio, quod de curru Eliæ ceciderat, percutiens Jordanem, cum videret flumen non dividi, dicebat: *Ubi eſt Deus Eliæ etiammum?* Deus Patrum noſtrorum! Ecce iſti nobis dicunt: *Ubi eſt Deus* STEPHANI Proto-Regis? *Ubi Deus* LADISLAI *etiam nunc?* Per iſtos fundâſti Eccleſiam Pannoniarum, per iſtos miracula & ſigna plura, quàm quondam per Eliam patrâſti. Quid dicemus his, qui interrogant: *Ubi eſt Deus illorum?* Certè ex quo cœpiſti claudere oculos ſuper hæreditatem Chriſti tui (noſtrâ quidem culpâ) te quieſcente res tam immenſæ neglectæ, intermiſſæ ſunt, & in deterius prolapſa omnia; ut ſi tamen ea reſtitui priſtinæ dignitati ſpes ſit, id non niſi omnipotentis dexteræ tuæ miraculo fieri poſſe. *Ne*, Domine! *ne repellas in finem*, ſanguine Filii tui partam hæreditatem, *ſed propter gloriam nominis tui*, Flliique tui, proſtratam erige, & in te uno ſperantes populos Magnæ Dominæ noſtræ precibus, & piiſſimo interventu redime, ac libera; à ſæculo & amplius intermiſſa (potes enim) compenſa; ut innoteſcat in gentibus, quia non habemus mortuum Deum, ſed vigilem, & adſtantem cunctis obſecrationibus noſtris. *Exurge quare obdormis? quare obliviſceris?* Nec vanè ab Expergefacto potiùs, quàm à vigilantiſſimo Numine ſolicitamus auxilium. Solet enim à ſomno reparatis vitalibus ſpiritibus terribilior evigilare natura ad reprimendum lædentem, per quem violentè de quietis ſuæ ſinu ſuſcitatur: ita planè confidimus fore, ut ubi perſtrepentibus Eccleſiæ lachrymis, gemitibúsque tot pauperum in cœlum auditis repentè evigilaverit potentia tua, mox arripiat judicium in furore ſuo: & ſi quidem *in ira tua miſericordiæ* (quod te rogamus ſupplices) recordari volueris, deletis, excisisque Hæreſibus animas jugo Fidei ſubdes; ſin autem, & dogmata, & animos tot malorum auctores ſupplicis ſine fine duraturis addices, & quod diu diſſimulando neglexiſti, gravitate pœnarum compenſabis, & deterges. Tu porro Fili Dei pro nobis Incarnate, & fatigate, qui ad primam trepidantium Diſcipulorum vocem: *Domine ſalva nos!* è ſinu dulciſſimæ quietis tuæ ſuſcitatus circumſpexiſti mare, & feciſti tranquillitatem ſubitam & magnam: attende & reſpice totius Eccleſiæ ad te vociferantis cordiale ſuſpirium: *Quare obdormis?* Si nos dedimus cauſam, agnoſcimus culpam, fatemur nos priores dormiviſſe in cauſa tua. Cujuslibet de corona hac & ſenſus, & vox ipſiſſima eſt, quæ S. Davidis: *Dixi, nunc cœpi: hæc mutatio dexteræ Excelſi.* AMEN.

Cur ab Expergefacto Deo petatur adjutorium?

DOMINICA V. POST EPIPHANIAM.

SERMO I.

Tyrnaviæ 1706.

Sinite utraque creſcere uſque ad meſſem. Matth. 13.

SUMMARIUM.

Peccata, ſive quæ fidem, ſive Chriſtianam lædunt integritatem, permitti, & tolerari, ex parte Dei

I. *Eſt conſilium*, & divitiæ bonitatis ejus & patientiæ, & longanimitatis. *Rom. 2.*
II. *Permitti juſtorum lapſum ad majorem anaſtaſin.*
III. *Ad theſaurizandam iram contemptoribus.*

Oratoris dubitatio: ex repugnantia Textûs aſſumpti, cũ doctrina proximè tradita.

VIdeor mihi AA. quæcunque præcedenti Sermone ad Vos dixi, hodierno perſpecto Evangelio omnia retractare debere. Occaſione *Maris*, in quo navigabat Salvator, ac etiam dormiens provehebatur, remigantibus Vicariis: deſcripsi felicitatem Domûs, Patrúmque familias, quibus, cùm bonam ſibi delegerint familiam, probos Præfectos, obſequentes ſervos, fida famulitia; licebit etiam quieſcentibus rei familiaris felices conſpicere progreſſus; eorum humeri domûs patritiæ decus, & commoda ſuſtinebunt. Accendebat me tunc ardor Apoſtolicus, & fors plùs juſtò proferebat, ut ad faciendam in familia veſtra diligentem ac pene ſeveram reformationem, animarem vos exemplo MARIS, ut delectos ad obſequia herilia famulos, quos probos repereritis, velut corallia, & gemmas gratiæ veſtræ ſinu profundo foveatis; è contra putida cadavera, peſtilentes famulos, ſuſpectas ancillas ne domi veſtræ toleretis, & conſpectu arceatis.

At ecce! hodiernus Evangelicus AGER omnes illas deſignationes mihi invertit, & ſusque deque res ire ſinit, dum ſub creſcentium ſymbolo *Zizaniorum*, periculoſos quosque peccatores, Hæreticos, ſuſpectæ vitæ familiam vetat tangi, aut illis moleſtiam inferri, vel causâ Fidei, vel morum: ut ſiquis vel tuendæ avitæ Religionis zelo impias linguas frænare, aut periculoſos mores à domeſticorum contubernio arcere moliatur, indicitur ipſi *Silentium*! SINITE UTRAQUE CRESCERE. Ne poſſit domûs reformatio inſtitui, ligantur manus; ne poſſit in vitam, in mores, in religionem inquiſitio etiam privata inſtitui, fine quantumvis optimo, & tam ſalutari; ſuperſedere jubetur. *Tũne es, qui conturbas Israël?* Triticum Zizania habet, quid ad vos? electa cum reprobis *Sinite utraque creſcere.* 3. Reg. 18. 17.

In eadem Domo fideli auditur lingua honori Deiparæ detrahens quantumvis nondum apertè, ſed quæ, niſi citò ſuffocetur, brevi aërem peſte inficiet, & Catholicam pietatem ſcandalo corrumpet; Paterfamilias vetabit Linguæ illi moleſtiam inferri: *Sinite creſcere!* Ille ſacroſanctum Crucis ſignum irridebit, explodet, niſi obvietur, eandem brevi calce protriturus. Quid ages? tibi mox flagellum manibus eripietur: *Sinite!* ecquid pacem turbatis? Animadvertent Parentes filiæ ſuæ oculos liceriores, verba, ſchedas, conventicula furtiva: Magiſter, Diſcipuli procaciam, amicitias ſuſpectas, ſtudiorum, pietatisque neglectum, & cordis jamjam ſeducti notas: indigerent maturo remedio & (quod naſcentibus ſcintillis facimus) extingui in ortu. Quis audebit, ſi ſub eodem tecto probitatem, & impudentiam; virtutem, & flagitia; Corallia ſimul & cadavera eſſe toleranda intelligatis? *Sinite utraque creſcere.*

Boni iſtius Patrisfamilias Servi, ſtupentes ſuperſeminata & jam herbeſcentia Zizania, malum in herba ſuffocaturi: *Vis* dicebant, *imus, & colligimus ea?* nec momento volebant tolerari ſimultaneam commorationem Zizaniorum cum tritico: & ſupremus Paterfamilias Deus patietur malos eſſe inter bonos, unáque ſuccreſcere? Neque id ſatis,

tis, sed prolongare *usque ad messem* nescio quam, quantumvis periculosam unà commorationem. Quis non ex tali societate gravissima mala auguretur, ne ipsius quidem Dei honori, neque peccatorum profutura saluti, & grandis nasci quæstio possit: num suo tempore gratias habituri sint Deo peccatores, tamdiu toleratos sese, nec statim monitos, aut emendatos fuisse?

Habetis difficultatem Evangelicam à me propositam AA. utrumnam ea, & quamnam habeat cum nuper dictis repugnantiam paradoxam, meum erit hodierno sermone in planitiem explicare. Retractabo igitur monita nuper familiarum Præpositis data? Minimè. Immò efficacius stabo, urgebo vos ad evellenda pestilentissima Zizania de domibus, de familiis curæ vestræ subjectis. Exemplum Supremi Patris-familias cœlestis locum in vobis modò non habet, neque enim omnia, quæ Deus altissimo, & inscrutabili consilio facit, ea vos imitari aut debetis, aut potestis. Deus, qui scit è malis eruere bona, quodsi Zizania, & peccata tolerat, consilii sui est inscrutabile sacramentum: in vobis esset animæ detrimentum; in Deo ista non statim ulcisci, est clementia: in Præpositis claudere oculos, & indormire, esset negligentia, esset oscitantia. Utrumque in thema Dictionis assumo. Favete.

§. I.

Deo sciente, sed inscrutabili consilio suo permittente, mundum inici peccatis.

Similitudines, & Parabolæ, sub quibus æternæ veritates, à Christo propositæ adumbrantur, eas exprimunt subinde adæquatè, quandoque in aliquo deficiunt. Patet ex casu *permissionis* ex parte Dei, ubi agitur de peccato: quòd enim Zizania sint invecta in dominicum agrum & superseminata tritico, factum est non annuente Domino, sed œconomo dormiente: *Cùm dormirent homines;* si enim vigilâssent, istud incommodum minimè accidisset. Hoc de Deo dicere non possumus, quasi eo dormitante aut Ecclesia hæresibus inficiatur, aut pravi mores, & scandala in Urbes invehantur & instar pestis serpant passim; cum omnia quæ fiunt, Deo nota sunt, antequam fiant. Sicut neque hoc dici potest, peccatorem in actuali peccato existentem aut nesciri à Deo, aut inconsulto Deo ista fieri, quod exprimit pars secunda Parabolæ: nam quemadmodum narrato per servos damno de superseminatis artificio inimici Zizaniis, eorum eradicationi intenti erant Servi dicentes: *Vis imus, & colligimus ea?* ita respondit Dominus, *esse supersedendum*, ne fortè zelo, & fervore operis in extirpandis zizaniis, simul eradicetis & triticum. Scivit igitur, & quia scivit, permisit intacta usque ad maturam messem servari. Certum est, Deum ab æterno scire, quis, quo tempore, & quâ mensurâ dicto, facto, cogitato contra legem Dei æternam peccaturus sit, quamdiu in statu peccati perseveraturus; & aliquando convertendus, vel non? *Quoniam tu cognovisti omnia novissima, & antiqua;* ut proinde acta omnia sint conspicua oculis ejus lucidioribus super solem, bene videntibus flagitia tot millia animarum, & vilipensiones summæ majestatis: quin ad eas exstirpandas cogat fulmina, serpentes evocet ignitos, aut tellurem jubeat discedere sub sacrilegis pedibus, viventes, spirantésque in tartara mersurus; ut potiùs reluctantibus etiam Angelis, &, si uno ore Cœlum, Terra, Infernus vindictam inclament, aliud non audient à pientissimo Christo vulnerato tot sceleribus, quàm: *Sinite*, desinite! permittite peccatorem agere quod volet, ut ego agam, quod volo; volo autem interea permittere eum in manu consilii sui, nec impedire cùm possim. Veniet *messis* tempus, veniet mors, & post hoc Judicium zizaniis celebrabitur. O patientiam! ô longanimitatem Dei! Sustinere tot offensas, tot cœlo, & Creatori injurios tolerare, hoc ego dico *mirabile in oculis nostris* esse, & tamen certissimum est, *à Domino factum esse istud.* Si quæras, cur ita?

Eaque à Deo tolerari: cur?

Primò, ut ostendat, voluntatis suæ non esse *mortem peccatoris, sed magis ut convertatur, & vivat.* In hujus propositi consilii sui executionem necesse fuit flagella, & gladium suspendere justitiæ, quò per dilationem pœnæ daretur spatium pœnitentiæ, & locus conversioni peccatoribus; si enim illicò eradicarentur, nominâque eorum delerentur de Libro, hoc faciendo Deus esset justus: *Justus es Domine, & rectum judicium tuum.* Psal. 118. An etiam foret misericors, tu quid ad hoc? Qui punit improbos (dices) miseretur probis. at nónne & improbos lucrifacere Christo, charitatis est? & quidem hoc unum vel maximè Divinæ charitatis opus est, *Miseri-cordia ejus super omnia opera ejus.* Psal. 144. 9 Hanc intentionem Divinam describit Job: *De-*

dit ei Deus locum pœnitentiæ, & ille quid expectabas dicturum? utique, fore, ut Peccator tantam expectantis Dei clementiam exporrectis brachiis complectatur, exosculetur, adoret? ut tractus currat, vocatus sequatur, animatus arripiat, etiam constringat tabulam, quæ offertur; gratiam qua vocatur; oculum quô animatur; annulum quo desponsatur; stolam primam, & calceamenta quibus redux è porcorum contubernio pœnitens induatur? hoc & ego credideram dicturum. Quid autem Job? Job. 24. *Dedit* (inquit) *ei Deus locum pœnitentiæ, & ille ABUTITUR EO in superbiam. Oculi autem illius sunt in viis illius.* Res admiranda; intentio cœlestis Patris-familias, quâ in agro suo zizania videt, & altissimo consilio suo tolerat: producit omnino contrarium effectum in multis peccatoribus, videlicet, *Superbiam*, & audaciam, quâ divitias tantæ patientiæ ejus incipiant contemnere, persuadentes sibi infelices isti, Deum aut omnino nescire (quod est tollere Deo scientiæ thesauros) aut punire non posse peccantes, & ita se jam subducunt ejus altissimæ potestati, & dominio; vel credunt arbitrio ipsorum stare, ut aut misericordiam Dei, aut severitatem experiantur; supereſſe sibi tempora plurima, media innumera, vias, quibus in amicitias redeant cum Creatore, quum libuerit. Talis fuit superbus ille, qui jactabat se *Tribus* prolatis *verbis* salutem obtenturum; scilicet prima tria Psalmi Quinquagesimi verbâ recitaturus in agone esset: *Miserere mei Deus!* Expectavit eum Deus longanimiter, vidit, toleravit, *Dedit ei locum pœnitentiæ.* Risit omnia. Cum demum fortè de ponte, quem premebat, errore vestigii in præterfluentem prolapsus, jamjam mergendus: *Diabolus rapiat omnia!* conclamando tribus verbis in profunda Gehennæ perrexit. Attendite infelices! *Dedit ei DEUS locum pœnitentiæ.* Non tu extorsisti, neque tuo Marte iram Dei impediviſti, sed *DEUS dedit locum. Non quia impotens* Sap. 12. *eras*, Domine exercituum! *in bello subjicere impios justis, aut bestiis sævis, aut verbo duro simul exterminare: sed partibus judicans dabas locum pœnitentiæ*; ubi allegat pœnas Ægyptiorum Israëlem odientium: quorum hostes magnificè gloriabantur in suis sceleribus, & potentia, quâ florebant, & crudeli dominatu jugum augebant innocentium mutire non aurorum; quos non potuisse mutire, quid aliud erat, nisi hostibus *dare locum pœnitentiæ*, si fortè recogitarent, esse Deum, qui ista videat? *Oculi autem illius sunt in viis illius*, hoc est, peccatoris. Stulte! ex patientia altissimi, quâ te menses, & annos tolerat, securitatem tibi pollicebere? & nescis, nescis inquam quia *Oculi illius in viis tuis*, ubique videris, ubique notaris? Tu quidem unus es ex vasis iræ aptis ad interitum, cauda titionis fumigantis jam gehennæ matura; ne existimes, Deum cœcum esse, aut offensis suis indormire, peccata tua ferre, & sine dolore portare; addidit Paulus: quòd Vasa iræ apta ad interitum *sustinuit in multa pa-* Rom. 9. 22 *tientia.* Quis explicet novas agonias, & sanguineos sudores, atque anhelitus JESU Christi in sustinendis tot millibus Christianorum peccatis, omni cruce, quæ quondam Divinos ejus humeros pressit, acerbioribus? dum primò ejecto Legum metu, postpositâ Divini Nominis reverentiâ, conscientiæ spreto dictamine, Evangeliorum minis, Sacramenti quô se Christo in Baptismo obstrinxit, vinculo, ac religione posthabitis, peccator deliberat scelus: jam tunc voluntariè apostatare incipientem dedisse jus Deo, & gladium, quo peccatorem perderet, obtulisse. Silvit. Multò etiam magis, cum nefarium animi decretum in opus deducit. Sustinuit & hoc. Quid autem, cum in tam longinquo à Deo recessu atque fuga quotidie se ipsâ deterior anima moras trahit mensium, & annorum? Quodlibet momentum ipsi fieret gehennæ initium. Pepercit adhuc, ob unicam causam: *Ut daret locum pœnitentiæ.* Intuitu Bonitatis suæ necesse fuit justitiæ gladium suspendere, & dicere Elementis, & Angelis ad extirpanda divini agri zizania operam, & zelo plena brachia tendentibus: *Sinite!* permittite, si fortè convertantur à via sua pessima, & sanem eos. Et tu quisquis es, tantâ Dei expectantis patientiâ abutéris in superbiam? vertes *divitias bonitatis ejus* in occasionem licentiæ, ut quem tui diligentem vides, audaciùs offendas? Rides zizania, & permittis in te succrescere? Time messem! time Angelos, qui te colligabunt brevi in fasciculos damnatorum cum Pharaonibus, cum Epulonibus ad comburendum! Ut audieris vocem Domini, noli obdurare cor tuum. Cessa prævaricari! habeto gratias Deo pro tam longa tecum patientia, téq; emenda, reduc, perfice.

Quid sit, patientiâ Dei abuti in superbiam?

Tribus verbis salutis suæ securus, quàm fœdè delusus!

Patientia Dei multa nimia.

§. II.

§. II.

Permitti Justorum lapsus, ad majorem anastasim.

Secundò. Ex verbo illo: SINITE, concluditur quandoque Deum permittere, aliquem in peccatum labi, ut dum cadendo humiliatur, pœnitendo excelsiùs resurgat. Quam permissionem D. Thomas vocat *seriem Prædestinationis*, quâ, & non aliâ viâ vult ducere Deus animas multorum ad cœlum. Ita ad curandum frequentia peccata minora, permittit prolabi in majora, & mortalia; ad curandum occulta crimina, permittit incidere in manifesta. De quo divinè Augustinus: *Audeo dicere: Superbis esse utile cadere* in aliquod apertum peccatum, ut sibi displiceant, qui jam sibi placendo ceciderant. *Salubriùs enim sibi Petrus displicuit, dum flevit, quàm sibi placuit, dum præsumpsit.* Non tantum ipsam permissionem peccati approbat David, laudando Deum in suo inscrutabili consilio, ut multis demonstrari posset testimoniis Psalmorum: sed ipsissima peccata allegat ad flectendum Deum in commiserationem sui, cùm sic orat: *Sana animam meam, quia peccavi tibi.* Contra mundi stylum hæc orandi forma est: cùm enim in amicitiam cum aliquo redire paramus, peccatum vel negamus, vel extenuamus: David è contra peccatum suum allegat in rationem: quâ misericordiam ejus expugnet, & flectat cor tam illustris Medici: *Sana animam meam, quia peccavi tibi.* Immo verò ô David tace de hoc! hoc ipso enim allegabis contra te causam, quâ à te avertas Deum, quia contra Deum peccâsti. Vel, si peccâsti, transeat; dic te nunquam ampliùs peccaturum. Hæc nova praxis est conciliandi Deum iratum, ut bene Cassiod. *Materia est gloriæ principalis, delinquentis reatus, quia nisi culparum occasiones emergerent, locum pietas non haberet.* Videte, quid permissio faciat delicti. *Res optima, & perfecta, quæ omnes defectus revocat ad perfectionem.* Una permissione delicti quot sceleribus via clausa? quot culpæ lachrymis deletæ? *Si non peccâsset, fecerat illa minus.* De Magdalena dictum habetis. Ego de plurimis, qui in cœlo sunt, dico: Si non aliquando, Deo ita permittente, lapsi fuissent, nunquam nomen cilicii, asperitatem sacci, & cineris, & potum lachrymarum cognituri fuissent, quæ post culpam, maximo virtutis emolumento didicerunt, multò ferventiores Dei servi post casum effecti. *Post quam negavit* (non mea hæc verba sunt, sed Maximi, de Petro) *Dominum Deum, FUISSE MELIOREM; atque ideo majorem gratiam reperit, quàm amisit, dum fidelior factus est, postquam se fidem perdidisse deflevit.* O Phœnicem è cineribus pœnitentiæ renascentem! vide à casu, quem Deus permisit, auxilio gratiæ multò alacriorem effectum, multò fideliorem Magistro, & conjunctiorem; vide lachrymas illas pretiosas, ac diuturnas; cogita contritum illud cor, ad cujus conspectum Deus, & Angeli lætantur. Argutè alicubi Ennodius scripsit: *Si offensa præstat, ut magnitudinis tuæ scripta geminentur; quàm vellem illa sæpe sereni pectoris tui tranquilla turbari! & nisi adversaretur proposito, causas indignationis ingererem* (sed nota disertissimi Antistitis rationem) *quando quod AMOR non meretur, obtinetur per CULPAM.* Videndo ex effectibus Divinæ prædestinationis sublimissimum artificium, quod ad se animas fortius trahat Divina bonitas, permittit elongari ab amore suo; ut faciat firmiùs stare, finit prolabi; ut altiùs resurgant, profundius cadere patitur, per ruinas elaborando Servorum suorum coronas: Antistes citatus similiter ratiocinando inferre posset; quodsi non esset contra propositum Christiani, procuranda esset occasio, quâ ad modicam iram concitaretur Deus, ut *novæ sanctitatis eminentia*, quæ in gratiæ statu per viam amoris sperari non potuit, obtineretur *per culpam*, quando post hanc, qui sanctus fuit, sanctificatur adhuc; & qui amicus, ascendit superiùs: non ascensurus, ni cecidisset. Ut ut sit in sensu *Ennodii* res ista; nostrum est dicere: altissimo id fieri consilio, éstque secretissimæ prædestinationis arcanum, zizania in agro Dominico permitti, Deo etiam ex peccatis nostris sciente conficere admirabile antidotum, ut *diligentibus Deum omnia cooperentur in bonum*, & sempiternam salutem, & gloriam. Quibus si quis refragari voluerit, audiet continuò à Deo: *Sinite*, ô *sinite* animæ! hac agitare arcanum. Unum credite: Permitti zizania, permitti etiam in Sanctis domibus repentinos lapsus; obscurari aurum, mutari colorem optimum. Sinite ad tempus! sic oportuit fieri, ut Deo gloria, & peccatoribus semitarum perfectio major exoriatur.

Combinemus nunc utrâmque partem præcedentem: Certum est permitti

in 2. cap. Cor. Sect. 3

S. Aug.

Ps. 40.

Cassiodor. Ep. 46. l. 5.

S. Aug. l. 3. Hypog.

Diligentibus Deum etiam ipsa peccata cooperantur in bonum.

Hom 4. de S. Petr.

Ennod. l. 3 Ep. 8.

Rom. 8. 28

Cur hi, post lapsũ ocyùs surgant: illi non?

à Deo altissimo consilio suo, lapsus etiam Electorum. Æquè certum est, Dei intentionem non esse, ut qui labitur, in lapsu suo permaneat, & computrescat in stercore; sed ut convertatur, & vivat. Quid est igitur, quòd cùm Deus omnibus det locum pœnitentiæ expectans misericorditer unumquemque cum janua aperta: hi post casum surgunt, & sæpè sanctiores fiunt: illi gradatim in profundum eunt peccatorum? Ratio est, quam suprà S. Job attigit: quia isti gratiis & Divinâ patientiâ *abutuntur in superbiam*, & contemptum, ex hoc silentio Dei colligentes sibi audaciam, & animos ad peccandum, ad consecrandam juventutem suam Diabolo, & Idolo Honoris, & Voluptatis, semper, cùm libuerit, paratum, & facilem habituri ad tam longanimis Dei amicitias accessum. Repono iterum: Res admiranda, quod Dei silentium (quod Chrysost. vocat *Humanitatem ineffabilem*, *summam bonitatem*, *infinitas opes patientiæ suæ*) quòd inquam hæc tanta clementia producat in peccatoribus effectum omnino contrarium divinæ intentioni, quâ peccatores expectat. Expectat enim misericorditer, quia videt ipse gehennæ atrocitatem, tormentorum æternitatem, quæ miseri isti nec videre, nec intelligere possunt passionibus excæcati, ignari quò venturi sunt? idcirco diutius expectat misericors, & miserator, ut videat, si quo convenienti modo præcipites ab interitu servet, & lucretur, & ideo necesse est suspendere gladium. Contrà infelices isti ex hac ipsa suspensione sententiæ, sumunt tempus licentiæ. Videte differentiam: Justi, cùm labuntur, tempore quod Deus ipsis indulget, utuntur ad sui humiliationem coram Deo, ad gratiarum actionem, ad pœnitentiam, & contritionem; ad novos fervores, & compensationes per actus meritorios, ad æternam cautelam, ad cavenda pericula, ad doctrinam quâ & aliorum animos servent: Impii, & irrisores Dei tempore sibi indulto ad gratiam, abutuntur in superbiam. Admissô peccatô vident ne capillum sibi propterea arsisse, *Peccavi*, & *quid accidit mihi triste?* honor, opes, fortunæ, valetudo, ac robur post iterata peccata pari, atque antea, statu florentem comitantur; quid igitur deberem esse solicitus de reconciliatione cum Deo? de emendatione vitæ, dum sum juvenis, dum potens, dum omnia favent, dum æqualium exemplis vivendum est? salutem meam jam Deo curæ fore. Qui se talibus lactant, & *divitias bonitatis ejus, & patientiæ, & longanimitatis* irrident, videant, ne *thesaurizent sibi iram in die iræ, & revelationis justi judicii Dei*, quod fortè non procul abest, videant inquam, ne post contemptas tantæ patientiæ divitias sequatur eos non simplex damnatio, sed *thesaurizata*, & accumulata tormenta, respondentia annis, quibus expectabantur; gratiis, quibus vocabantur; pertinaciæ, quâ resistebant invitanti.

Job. 24.

Ratio cur peccatores Deus expectet?

Rom. 2.

S. Bern. de triplici miseric.

§. III.

Majori expectationi, major damnatio respondet.

Vis scire, qualem tibi, ô peccator! *thesaurizas iram in die iræ?* Ad pœnam prima venit, Voluntas in malitia permanendi, quæ sicut perversior, & formidabilior est ipso peccato, sic etiam graviori reservatur judicio, quàm malitia ipsa; ut multis optabilius fuisset statim post unum peccatum mortale damnari, quàm tot annos frustra expectari. Attende Evangelium: Ubi primùm apparuerunt in medio tritici zizania, etsi non dubitaret Pater-familias pestilens hoc germen inimici manibus satum esse, altiore nihilominus consilio vetuit Servorum zelum in eadem involandi: *Sinite* (inquit) *utraque crescere*, patiamur interea; & quamdiu? usque ad messem. *In messe dicam messoribus: Colligite primùm zizania, & alligate ea in fasciculos, ad comburendum: triticum autem congregate in horreum meum.* Videte nunc, quomodo supplet id, quod omiserat in primo casu: jam tunc infelix germen merebatur eradicari, non permisit; hìc exscinduntur, & manipulatim flammis traduntur. Est typus omnium hactenus dictorum. Quòd peccatum, cum nascitur, non illico puniat Deus, habet optimum finem, ut *det locum pœnitentiæ*, & in ruinam præcipites tantisper sustentet, dum evigilent. Sed ubi hâc Dei patientiâ abutitur peccator in superbiam, frustràque expectatur, ostendens (ut ait Gregor. M.) *quia in peccato semper vivere vult, qui nunquam desinit peccare, dum vivit*; Deus toto brachio omnipotentiæ suæ in eum procedit, puniendo illum pro peccatis, quæ patravit; & pro expectatione tam longanimi, quam frustratus est; ut qui thesauros misericordiæ evacuavit, *thesaurizata* recipiat tormenta, respondentia tot annis, tot gratiis, tot luminibus, tot stimulis cœlestibus

Gratian. ex D. Greg. de Pœnitent.

lestibus fruſtra conſumptis, ut fuiſſet ſatius primo peccato admiſsô gehennam intrare, quàm tot miſericordiis multiplicare tormenta.

Tot miſericordias Dei evacuare, quanta indignitas?

Heu Domine Deus, quàm ſtultus ego mercator ſum! quàm inſipiens fœnerator, qui laboribus meis immenſis aliud mihi non theſaurizo lucrum, quàm quòd defatiger, & enerver. Ego te quotidie offendere non ceſſo, & tu toleras me etiamnum, & miſericordias multiplicas mihi. Anne miſericordiæ theſauros fruſtra erogabis? Ecce nos, dum pecuniam noſtram fœneratori tradimus, omne tempus in digitum mittimus, cavendo, ne vel hora omittatur, cui non ſuum lucrum reſpondeat competens; omne tempus fructificet nobis, eſt neceſſe. Et bonitatis, ac patientiæ tuæ theſauri in nobis vacui, ſterilésque conſeneſcunt? Et tu exactoribus, Angelis, & Præpoſitis, qui ſeriò fœnus repetebant, reſpondiſti: *SINITE.* Tempus erit, dum ultrà non *ſines*, & patientiam tuam compenſabis æternâ patientiâ meâ, cui plus indulſiſti ſpatii, plus ab eo repeti-

S. Hier. in Pſal. 91. turus. *Una cogitatio felix eſt, cogitare de Domino* tam miſericorde, tam propitio, qui amodo univerſum amorem meum captivas, & rapis: Ad te vel ſerò revertor. Exoſculor dexteram, quæ tot annos ſententiæ fulmen ſuſpendit. Vel in hoc te agnoſco Deum, & Deum meum, quia dixiſti, *SINITE.*

AA. Chriſtiani! mementote vos agros eſſe Dominicos, in quibus per Baptiſmum, fidei, charitatis, & virtutum ſementem manu ſua inſevit Deus, etſi poſtea plantatio tam ſancta deſtructa, & ex optimo tritico factum ſit zizanium: ſucceſſit veritati mendacium, innocentiæ perjuria, puritati libidines, charitati ſuperbia, odium, elatio; Religioni Dei contemptus, & ſurſum deorſum omnia permixta. Supputate, per ſalutem veſtram! tempora, quibus peſtiferum hoc germen, hæc zizania in vobis longanimis tolerat Deus. Meſſis propinquat, judicium feſtinat, gehenna flammas eructat: *Expectat Dominus, ut miſereatur veſtri.* Ecce Dilectiſſimi, qui Angelis non pepercit, qui Adamo & Evæ, Proto-parentibus veſtris, admiſſa prævaricatione, in Paradiſo moram non indulſit: *Expectat vos* clemens, expectat Miſericors, prorogat tempus, offert locum pœnitentiæ; qui nunc (ô quàm multi!) ſumus vaſa iræ apta conteri, conculcari, projici; ut per pœnitentiam renovemur in vaſa miſericordiæ: *Ut oſtendat divitias gloriæ ſuæ in vaſa miſericordiæ, quæ præparavit in gloriam.*

Iſa. 30. 18.

Rom. 9. 23

Sed quoniam horam ſibi integram vendicavit Oratio: Venio ad agri Dominici Præpoſitos, ut ſponſionem feci; quæ eorum obligatio, & officium, ſequenti Sermone explicaturus.

IN EADEM DOMINICA
SERMO II.

Cùm dormirent homines, venit Inimicus &c. Matth. 13.

SUMMARIUM.

Sicut permitti & tolerari peccata ex parte Dei, eſt conſilium, & divitiæ bonitatis ejus, *ſic ex parte Præpoſitorum imputari negligentiæ ſupinæ: qui peccata Subditorum (niſi* Canes muti *velimus eſſe) tolerare nec debemus, nec poſſumus.*

I. *Quia eſt obligatio officii, & conſcientiæ.*
II. *Ob pœnam incurrendam negligentibus ex ruina ſubditorum.*
III. *Correptioni modus à Chriſto præſcriptus.*

VIderi poſſet, ex omnibus præceptis Chriſti evangelicis nullum eſſe obſervatu facilius, quàm Præceptum fraternæ correptionis: *Si peccaverit in te frater tuus, vade, & corripe eum.* Naturâ etenim ferimur (inquit Ariſtot. in Rhe-

Matth. 18. 15.

toricis) ad corripiendos alios, & reprehendendos, quod delectationem quandam habet annexam, ut in eo, in quo alium reprehendimus, ſuperiores videamur, & meliores. Quis autem neſciat hominem naturaliter ad aliquam ſuperioritatem, & eminentiam aſpirare, ſic

Videtur ex omnibus Chriſti præceptis hoc eſſe facillimum, & eſt difficillimum.

major

major natu frater in minorem ſtatim exercet aliquam reprehendendi auctoritatem, & ideo apud eos rara concordia, dum ille vellet imperium ſibi arrogare, & iſte renuit obtemperare. Quis ignoret, quàm naturâ ingenioſi, & acuti ſimus ad defectus alienos obſervandos? abſque omni proceſſu ſententiam ferimus, & condemnamus proximum, non ſolùm facta, ſed ſæpe ipſa cogitata ſcrutantes: *Ad condemnandos* (inquit Chryſoſt.) *cæteros omne vitæ noſtræ tempus abſumimus.* Videri proinde fortaſſe ſuperfluum poſſet, aut legem ferre de correptione, aut illam urgere, ac de modis, & obligatione differere apud vitæ alienæ judices, quales naturâ omnes ſumus.

l. 1. de compunct. cordis.

Sed longè aliter res ſe habet; quippe ſi id, quod in re eſt, fateri volumus, os quidem habemus ad vulnerandum, ſed non ad ſanandum fratrem, quò Salvator lege ſuâ collimabat. Enimvero ſi alieni mores & vita reprehendenda ſunt, toti in linguas migravimus; at ubi proximus errans ad viam reducendus eſt juſtitiæ, tum omnium linguas videres obmutuiſſe, & pro ſe unumquemque dicere: *Numquid ego ſum cuſtos fratris mei?* quid ad me? *Domino ſuo ſtat, aut cadit.* Ecce, quàm difficile ſit alios ad ſalutem corripere! In eo conſentiunt SS. PP. omnes, Legem de correptione fraterna datam eſſe omnibus apud Matthæum: *Si autem peccaverit in te frater tuus, vade, & corripe eum inter te, & ipſum ſolum; quod ſi te audierit, lucratus es fratrem tuum.* Quò præcepto cùm alios omnes, tum maximè & ex officio *Epiſcopos*, *Prælatos*, *Patres-familias*, & unumquemque domui ſuæ *præpoſitum* urgeri certum eſt, ut ſubditos, atque domeſticos maximè ſuos peccantes, modis hìc à Chriſto præſcriptis corrigant, nec ſinant dormire diſciplinam. *Corripe eum.* Non ait: Emenda, fac Sanctum: ſed, *Corripe*, id eſt, fac, quod in te eſt; fieri enim poteſt, ut te audiat, & animam fratris tui lucreris, ſic eris illius non tantùm Superior, ſed & Salvator. Dupliciter autem fieri poteſt, ut tam eximium Præceptum Evangelicum fine ſuo fruſtretur, & fructu: Primum concernit Præpoſitos, quorum incuriâ omnia ſusque deque ire ſinuntur: *Cùm dormirent homines, venit inimicus, & ſuperſeminavit Zizania;* alterum ſe tenet ex parte ſubditorum impatientium diſciplinæ, ac correctionis. Unde dicit

Matth. 18. 15.

Chriſoſt. non aliâ re magis ruinari Eccleſiam, & impleri gehennam, quàm quòd correctionem non recipimus. De utrique hodie ex profeſſo differentem ſolitâ patientiâ ſuſtinete, & favete, etiam ubi vobis non favebo: quippe *Charitas Chriſti urget* & me ad verè d cendum, & vos ad ob. dienter audiendum.

S. Chryſoſt.

§. I.

Quanta ſit obligatio hujus Præcepti?

Ex parte eorum, quibus præcipuè & ex officio *mandavit Deus de proximo ſuo:* fundamentum omnium in hac parte defectuum in hoc eſt, quòd pauci ſecummet recolant obligationem ſuam de correctione fraterna, quaſi ſubditorum admonitio & correctio non ſit pars officii ipſorum; dicunt enim: Ego non conduxi famulum, ancillam, ut mihi oret, ſed ut laboret. Admirabilis res! In domo tua Ancilla incuria frangit amphoram utilem, perit famulo incurio de ungula equi ferrum, & te continere non potes, quin in ancillæ capillos involes, de incuria famulum redarguas, & commineris; audis domeſticorum tuorum blaſphemias, palpas divinorum neglectum, ut aliquando tibi in mentem veniat quærere ex famulo, quo tempore ſit confeſſus, an Sacro die Feſto interfuerit? quaſi hoc ad te nihil, taces. Erunt nonnunquam, ad quos ſi quando domeſticorum peccatum aliquod deferatur puniendum, illâ Chriſti ſententiâ utantur, verius abutantur ad oſcitantiam ſuammet excuſandam: *Qui ſine peccato eſt veſtrûm, primus in illam lapidem mittat.* Quaſi verò in proximi ſui caput lapidem mittat, qui eum pro officio reprehendendo, & reducendo ad frugem, ab ejus capite divini judicii lapidem amoliri laborat? *Lapidem* ille *mittit*, qui proximorum vitam ex Phariſaica carpit ſuperbia, cum ira, & animo ulcerato; *lapidem mittit*, qui correctione non quærit animam proximi, ſed ſuam explet paſſionem; *lapidem mittit*, qui non charitatis compaſſione, ſed aliis ſe præferendi libidine etiam quæ tacenda ſunt, in aliorum aures proclamat, omnémque latè viciniam detractionibus replet. Quæ cum ſinè peccato & ſæpè gravi non fiant, bene Chriſtus talibus dicit: *Qui ſine peccato eſt veſtrûm &c.* oportebat enim alienæ vitæ obtrectatores proprias conſiderare culpas, & mitiùs de proximorum defectibus ſentire, loqui, qui propriis gravantur delictis; ut erubeſcant ad ſuas trabes, qui alienas inquirunt feſtucas. Taliter corrigere

Joan. 8.

rigere fratres, Christus non docuit, quippe finis præcepti Christi, est fraternæ animæ lucrum, conversio, ac salus, & spirituale emolumentum; modus verò, & via est charitas, quæ in habentibus curam aliorum debet esse tanta, ut subditum admonendo, hunc finem intendant, ut etiam ii, qui reprehenduntur, advertant id fieri ex charitate, & suæ salutis desiderio, portisque (quoad fieri potest) clausis, quamdiu delictum est occultum, ut in foro paterno tanquam à consulentibus, non tanquam à judicibus in reum procedatur; ut & consulatur animæ & famæ parcatur. Quis ita reprehensus, & cum amore habitus vociferabitur in caput suum *lapidem* jaci? Sic Abigail prudentissima, exponendo periculum stultitiâ Nabal causatum, non jecit lapidem in caput mariti, sed avertit; cum enim placato Davide redux invenisset Nabal vino madentem in convivio, *Non indicavit ei pusillum, aut grande usque mane:* quo tempore temeritatem ejus, & periculi magnitudinem, cujus impudentia sua auctor extitisset, libera oratione exponere non dubitavit, quàm fortis in avertendo periculo, tam efficax in admonendo Marito. Quodsi in temporalibus, cum alicujus temeritate ac stultitiâ in discrimen adducuntur fortunæ, opes, ac vita ipsa, vel periculo exponimur hostium, aut incendii; qui talis mali auctor est, illius scelus dissimulandum non est: ubi agitur salus immortalis subditorum, & animæ fratris periculum, indormiendum scilicet erit, & os claudendum? Quando audimus Deum in lege sua caventem, non dico de anima vel una periclitante, sed de proximi vel ovicula una per avia & devia errante, certissiméque in fauces Lupi ventura, ne negligatur, sed reducatur: *Non videbis bovem fratris tui, aut ovem errantem, & præteribis: sed reduces fratri tuo, etiamsi non est propinquus frater tuus, nec nôsti eum.* Deum bonum! & tu in domo tua subditum tuum, servum tuum divina omnia nauseantem; filiam tuam, quod plus, vanitati & amoribus studentem, quotidiano gehennæ periculo expositos aspicis, & siles? *Non videbis bovem fratris tui, aut ovem errantem, & præteribis.* Quomodo eris misericors in alienos, qui curæ tuæ concreditos deseris, & videns Dei offensas, os non aperis?

Abigail reprehendendo stultitiam Mariti, lapidem ab illius capite avertit. 1. Reg. 25. 36.

Deut. 22.

§. II.

Superiores videntes peccata, & tacentes à Deo graviter puniri.

Ob hujusmodi taciturnitatem eorum qui præsunt, inclamat Dominus Væ! *Væ Pastoribus Israël! Dispersæ sunt oves meæ, & non erat qui requireret.* Damna dominici gregis erant peccata populi; quomodo ergo *Pastoribus Væ!* Ratio est, quia subditorum ignorantiæ & peccata imputantur Præpositis vel maximè, qui ex officio eos docere, admonere, & emendare debuerant delinquentes; horum negligentiâ graviter Deum offendi inde patet, quòd peccatis populi se adeo non provocari dicat, ut potiùs se Pastorem eis, Patrémque futurum promittat, & collecturum eos sicut oves, & ad pascua uberrima inducturum: Prasides verò qui ad tanta damna conticuerunt, severissimè puniturum. Vultis nôsse genus pœnæ, quo Pastores puniuntur desides? Accipite in figura. Impio illi, ac principi parricidarum ait Deus: *Nunc igitur maledictus eris super terram, quæ* APERUIT OS SUUM, *& suscepit sanguinem fratris tui.* In sanctissimi Abelis morte maledicitur Cain, & non maledicitur terra; in Saulis autem morte ipsa montium terra maledictioni subjicitur: *Montes Gelboë nec ros, nec pluvia veniant super vos.* Si ergo in Saulis clade terra maledicitur, quæ Regum sanguinem suscepit: cur in Abelis morte eodem maledictionis telô non percutitur terra; an fortè inferior fuit Abelis cædes, quàm Saulis? Minimè; Animadvertisti in morte Abelis quid patrocinabatur terræ? quia *Aperuit os suum.* Non siluit terra facinus tam parricidale, sed mox ut innocentis suscepit sanguinem, *Aperuit os suum*, & in cœlum clamavit pro vindicta, cùm in terris judex deesset; & quô modô potuit, Cainum ostensione cadaveris fraterni reprehendit, atque ita maledictionem ab se declinavit, & avertit. Non ita *Gelboë montes*, qui dum tacent, & ad regum sanguinem ab Idololatris fusum siccè respiciunt, maledicto propterea subjiciuntur, rore gratiarum, fœcundisq; benedictionum pluviis meritò privantur.

Exech. 34.

Gen. 4. 10.

2. Reg. 1. 21. Cur in morte Abelis, Terra non maledicitur; sicut in morte Saulis Gelboë montes?

Gelboë figura est Prælatorum negligentium, qualem deprehendit Deus in Heli Pontifice; qui propterea, quòd videret, ac prope manibus palparet peccata, quæ perpetrabant proprii Filii in Sacrificiis & Templo scandala gravissima, eósque satis duceret levi brachio commonefacere, quando (ut ait Chrysost.) oportebat etiam verberare, & Pontificali domo exturbare ac relegare à conspectu

Neglectus disciplinæ, quantorũ malorum origo.

S. Chrysost. adv. Vitup. Vit. Monast. l. 2

ſpectu proditores illos, uſque dum pœniterent: ob hanc inquam præpoſteram lenitatem ſe, filiorum animas, Inſulas, atque adeo Arcam ipſam divinam, & cum ea gentis ſuæ coronam & gloriam infelix tumulavit parens, ac perdidit. *Ecce ego* (inquiebat Deus) *facio verbum in Israël, quod quicunque audierit, tinnient ambæ aures ejus.* Neque enim in malis attendenda, numerandáque ſolùm ſunt damna, quæ ſubditi curæ noſtræ crediti accipiunt in anima, dum damnantur & pereunt; multò his graviora ex eorum qui præſunt, negligentia invehuntur incommoda ac detrimenta publica: ut eſt, perturbatio Eccleſiæ, morum ac diſciplinæ laxatio, ſcandalorum libertas, peccandi audacia timore divino pulſo, & baculo Præſidum dormiente; hinc publica Civitatum, & Regni flagella, quibus involvantur innocentes pariter cum nocentibus; fitque non rarò, ut dum ubique licentiosè vivitur, & Præpoſiti dormiunt, ipſa Dei Eccleſia periclitetur: *Ecce ego facio verbum in Israël, quod quicunque audierit, tinnient ambæ aures ejus.*

1. Reg. 3. 11

Cum iniquis ordinariè patiuntur & juſti: & cur?

Miramur ſæpe, quid ſit, quod Deus juſtiſſimus meritorum ponderator, permittat innocentes, nihilque tale promeritos cum nocentibus pari clade involvi, flagellari, puniri, exſcindi. Rationem hujus ſcopo meo aptiſſimam, accipite ex *Auguſtino:* Non negabat ille, videre ſe multos in grege Dominico, & ſuo, fundatos in Dei timore, & à peccato adeo abhorrentes, ut multi eorum nunquam in omni vita lethali peccato inquinati, ſtolam innocentiæ baptiſmalis intaminatam cuſtodiverint. Hoc inquit, æquum eſt me ſentire de multis filiis, filiabúsque meis in Chriſto, & animam meam cuperem commutare vobiſcum. Quod autem *Vandalorum* gladios, incendia, rerúmque omnium vaſtitatem æquè dolenter patimini, atque impii & ſcelerati Chriſtiani: videte, ne fortè qui in eorum quidem malitiam vos non miſcetis, attamen proximi peccata diſſimulando, non admonendo, & ubi poteſtis non corrigendo, veſtra facitis: paria cum iis ſupplicia apud tremendum judicem incurratis. Eadem catena vincitur Virgo cum Adultera, cum Sicario Sacerdos, cum fure Clericus, cum parricida Senator, Monachus cum Mimo Theatrali. Quæ ſocietas luci ad tenebras? Hei mihi, participes culpæ, participes ſimus & pœnæ! in Civitate dum potuimus admonere errantes, & tacuimus; contra improbos agere Legibus, & indormivimus; ut ut ipſi culpâ immunes in facto, culpam neglecti incurrimus officii, certè in charitatis legem deliquimus; & peccato illorum conniventes paribus paganorum loris, & catenis vincimur, utrinque juſto Dei judicio facti peccatores.

Libr. 1. de Civ. c. 9.

Ad quam meo judicio veriſſimam S. Doctoris ſententiam comprobandam, facit priſcum illud Sacrorum Oratorum quæſitum: Ubinam maximè *Dæmonium mutum* regnet? Plerique in Confeſſionalibus ajunt dominari præcipuè, eò quòd Dæmon, qui peccantibus aufert pudorem ac verecundiam, confiteri volentibus illam reddit, linguámque ligat, ne animæ vulnera revelet; ut dum peccata ſacrilegè reticemus, *non homini, ſed Spiritui Sancto* mentiamur. Atque ego Dæmonem in hoc foro multas animas lucrari, non nego; & utinam ibi eſſet regni ejus finis! Dæmon animarum, & charitatis æternus hoſtis dominatur in Palatiis, dum illis, qui ex officio in conſcientia tenerentur admonere Principes delinquentes, organum Spiritûs S. linguam ligat, ne cum Joanne poſſint dicere: *Non licet;* cum Nathane: *Tu es ille vir!* Dæmonium mutum regnat in Cathedris; verbi Divini Præcones ſatis vident ſuſpecta commercia, & ſcandala, uſuras, oppreſſiones pauperum, injuſtitias ferè in cœlum clamantes: & ſunt ad tot Dei offenſas *Canes muti, non valentes latrare*, ne gratiam amittant, ex politia ſilendum judicant, maximo Diaboli lucro, Eccleſiæ luctu: cui in perſona Jeremiæ præcipitur: *Noli ſubtrahere verbum, ſi fortè audiant, & convertantur.* Sed ſi vellem extra Templum poſita perſequi *Dæmonia muta*, paſſim ubique in curiis, in domibus & viciniis reperirem innumeros, qui proximos ſuos peccantes corripere non audent, vel quòd & ipſi conſcii ſibi ſint, vel odia quærere nolunt; contenti mores illorum clam apud amicos taxare, aliorúmque peccata ſuis cumulare. Quis igitur miretur, ſi aliquando in pœnam paucorum Deus immittat ignem toti plateæ, eámque in cineres redigat? At multi innocentes conſumpti ſunt? ita, ſed qui dum aliorum peccata diſſimulabant, participârunt eorum delictis, igitur & pœnis. Qui ſocius in culpa, ſit comes in pœna. Reſpondebit hic nonnemo: Scio præceptum Chriſti, novi charitatis obligationem

Dæmonium mutum ubique dominatur. Luc. 11.

Iſa. 56. 10.

Jer. 26. 3.

nem

nem, sed timeo, ne non audiat me, operámque & oleum perdam, monente Spi-
Eccli. 32. ritu Sancto: *Ubi non est auditus, ne effundas sermonem.* Sed an aliàs vel semel periculum fecisti? an iterum, an tertiò? Dixistine Ecclesiæ? Cæterùm quod ad nos attinet, ita debemus de quolibet Christiano sentire, quòd ille conducentia honori, & saluti suæ libenter acce-
Prov. 10. pturus sit: *Argue sapientem, & diliget te;* quodsi contrà odium pro amore rependat, nos Christiano nomini respondisse in lucro ponere debemus: neque enim lex Christi aliud dicit, quàm *Corripe eum.* non: *Emenda, fac Sanctum.* quia etsi istud non, illud tamen potestatis nostræ fuit, & charitatis.

§. III.

Correptio evadit inutilis, quando modus à Christo præscriptus non observatur.

Hic enimverò ad subditos disciplinæ & correptionis impatientes (quod erat alterum Orationis caput) sermonem converto; de quibus, cùm impossibile mihi creditu sit, ut sint adeo sui obliti, ut honori salutique suæ conducentia aspernari velint, nihilominus manifestum sit, multos impatientissimè ferre correptionem promeritam: videamus, an non fortè id eveniat ex eo, si ordo Correptionis à Christo præscriptus non observetur. *1mò.* Si non observetur illud: *In-*
Matth. 18. 15. *ter te, & ipsum solum;* si cognito ejus delicto, jam priùs coram aliis *Ethnicus, & Publicanus* proclametur, præsertim si peccatum ejus fuit vel primum, vel occultum: jure queri posset subditus, se jam prædamnatum, famámque, antequam secretò admoneretur, jam per ora & tribunalia raptatam irreparabili honoris dispendio fuisse. Ego, inquit, non fur, non latro, non Regis, aut Patriæ proditor, aut parricida fui, ut proclamari meruerim *Ethnicus & Publicanus*, id est: *Publicus* peccator; si quid deliqui, delictum uni domui notum fuit, nec in ea omnibus. Modus iste (loquor ad curam aliorum habentes) profectò præposterus, maximéque injuriosus, everteret potiùs legem Christi fundatam in charitatis spiritu, perturbarétque adeo omnia, & sursum deorsum misceret. Quare subditi secretum peccatum, secre-
Correptio subditi de peccato occulto, januis patentibus fieri non debet. tò pariter reprehendendum: *Inter te, & ipsum solum;* ut & consulatur animæ, & honori parcatur. Quo in genere, modóque correptionis (cum fusior esse non possim) accipite instar mille aliorum, ipsius Salvatoris exemplum pulcherrimum. Is paucis ab Resurrectione suâ diebus evolutis, venit *januis clau-*
Joan. 20. *sis* ad discipulos, ubi erant *Undecim* congregati. Tota difficultas mysterii in hoc est de modo intrandi ad Collegium Apostolicum, *Januis clausis;* quoniam tantò difficiliùs, tardiúsque credituri erant veram, tractabilémque corporis Christi anastasim, si spectarent carnem naturâ impenetrabilem se per oppositum aliud corpus penetrantem? Ratio facti Christi est: Agebatur de gravi culpa Thomæ, quam incredulitate suâ incurrit, post tot tam clara testimonia tantorum virorum, post Angelorum nuncia, Mulierum fidelia relata pertinaciter negando, vel discredendo Resurrectionem dominicam. Quia ergo Discipulus reprehendendus erat de peccato, noluit ad hoc patere *januas*, ne foras erumperet vox, lædereturque honor & existimatio Discipuli; quem, quia intra secretos Collegii parietes peccaverat, satis erat secretò reprehendi coram iis, coram quibus peccaverat, ut pro scandalo privatim dato, privata satisfactio imponatur.

2dò. Quòd etsi correptio secretò instituatur, in ipsa nihilominus correptione si fiat excessus, vel quia fit cum ira, & despoticè tractatur subditus præsertim ingenuus; aut quia subinde in omnibus connivemus, & vice versa contumeliosè pro rebus parvis tractamus. Sciendum est: Correptionem fraternam institui ad animæ lucrum, in quo affectus est misericordiæ; quis autem misereturintumescens? *Charitas patiens est,* 1. Cor. 13.
benigna est; nec tam *minando*, *quàm* S. Aug. Ep. 64. ad Aur. rel. Episc.
monendo procedit, ut ait Augustus. Cæterum illa Apostoli Pauli ad Titum verba: *Argue* CUM OMNI IMPERIO, à sacris Tit. 2. 15.
Interpretibus exponuntur, veluti dicat: Subditos argue non solo verbo, sed etiam exemplo, quod summum genus est imperii non despotici, sed Apostolici.

3tiò. Defectus in correptione accidit facilè, si subditorum genium, inclinationem, indolem ignoremus. Aurea, argentea vasa tractari possunt, & fricari solidiore manu: crystallina nisi delicatè tractentur, franguntur. Equo gene-
Similis. roso umbra virgæ (ut inquit Seneca) Senec. l. 1. de Morib.
stimuli instar est, ubi plebejus equus caricaria expectat, & sustinet. Ita diversis hominum moribus diversa adhibenda medicina. Denique

4tò. Non levis & ille defectus divini de Correptione fraterna præcepti fructum destruit, quòd opportunum tem-

pus non expectamus ad correctionem: sed dum subditus in fervore est, & mente perturbata, eum tunc tribunali aggredimur; & mirum non est, si nos non audiat, si recalcitret; quia etiam haustus frigidæ si tunc offeratur infirmo, cum in ardore febrium est, majus adfert nocumentum; oleum quod vulnera lenit, ignem in majus suscitat: sic correptio tempore non apto instituta plus adfert nocumenti subdito exasperato, quàm utilitatis. Simile.

§. IV.

Subditi justam Superioris reprehensionem obedienter auscultent.

Cæterùm ad vos, quos alienæ curæ commissos voluit Deus, sermo finalis meus, & totum argumentum meum hoc est: Si corripere præceptum est divinum, igitur & corripientes æquanimiter audire, & obedienter auscultare erit obligatio, & quidem sub pœna *Ethnici, & Publicani*, hoc est, resciſſionis à corpore Christi: ut qui recusant corripi cum filiis, cœlesti Dei Patris hæreditate ejiciantur, *Et cum justis non scribantur.* Quodsi usitato stylo mundi, omnem correptionis medelam respuimus, sic, ut tanquam desperatis (quod avertat Deus!) & incorrigibilibus nemo verbum salutis loqui ausit, nemo errati commonefacere, nemo maculas indicare: tum enimverò tempus imminet, quo verificetur Spiritus Sancti dictum in nobis: Prov. 29. *Viro, qui corripientem dura cervice contemnit, repentinus superveniet interitus;* justo Dei judicio permittetur prolabi in aliquod crimen & flagitium pudendum, dum suam demum superbiam, cùm nullus remedio locus erit, serò agnoscat, & condemnet.

Facite nunc Deum ad tribunal suum Præpositos citantem, quibus apud Prophetam comminatus fuerat, se subditorum *sanguinem de manibus eorum* requisiturum. Alloquatur ergo aliquem Dominum, aliquem Patrem-familias: Quid est, ô homo! quòd de domo & familia tuæ curæ commissa paucos hodie cœlum numeret, plerique rectâ in Gehennam descenderunt? Peccabatur & alibi, homines erant naturâ imbecilles, & labiles, sed quia disciplina Christiana non dormivit, sed vigilavit, dum de admissis subditi corripiebantur, emendabantur, & salvabantur: in domo tua *Dum dormirent homines*, obdormirent Pastores, lupus infernalis venit, invasit, mactavit oves meas; *sanguinem* earum *de manibus vestris requiro.* Quid hic Præpositi negligentes replicaturi sunt, dum adhuc tempus est, secum seriò perpendant. Vos verò curæ alienæ crediti Filii, Servi, Ancillæ quid in judicio responsuri sitis, videte: cum Parentes, Præpositi, in sui defensam afferent: se pro viribus officio suo perfunctos, nec monitis peperciſſe, nec ubi opus, flagellis; verum à protervis cervicosisque subditis imperia contempta esse, & Ecclesiâ irrisâ in Ethnicorum mores migrâsse degeneres; Quid inquam justo judici in vestri defensam dicturi aliquando sitis, cogitate. Tunc serò comparationem instituetis apud vos, quinam vos verè amaverint, ac dilexerint; iine, qui peccantes vos laudibus palpaverint? an qui salutaria vobis monita, reprehensiones pro obligatione officii nunquam cessaverint adhibere? diligebant scilicet illi marsupia vestra: isti animas; illorum oscula fraudulenta secuti, respuistis vulnera sincerè diligentium amicorum. Oro vos per salutem vestram! ne ista gratis apud vos perorem. O! quis mihi det, ut de hoc suggestu tot meis admonitionibus, & severis reprehensionibus, vel unius animæ salutem labori etiam meo adscribi in cœlo audiam, & pro summa corona mihi dici illud: *Lucratus es Fratrem tuum!* AMEN. Parenesis ad immorigeros filios, & servos. Ezech. 3. 18

IN EADEM DOMINICA
SERMO III.

Vis, imus, & colligimus ea? & dixit: Non. Matth. 13.

SUMMARIUM.

Concio impulsiva ad innocentiam vel retinendam, vel reparandam: ex merito unius Justi, ob quem multi scelesti tolerantur.

Admi-

Claudiopoli 1690.

ADmirabile Dei Omnipotentis opificium magnam dedit mortalibus occasionem quærendi, quid esset, quòd in creatione rerum omnium sublunarium quocunque aspicias, invenias nihil ab omni parte beatum, ac perfectum, sed *bona mixta malis*. Hinc videre est, quòd cum parte hominis nobilissima ac immortali, substantiam copulaverit mortalem, corpus imbecille ac infirmum. *Spiritus quidem* Matth. 26. *promptus est, caro autem infirma.* Vides, qualem nacta sit Collegam Anima! Ipsos deinde inter homines inveniuntur sapientissimi, sed etiam *Stultorum infinitus numerus*; immo omnia *magna ingenia mixturam habere dementiæ*, author est Philosophus. Mare sunt, gemmas habent, sed & monstra alunt innumera. Homines aliquos divites creavit Deus, integros membris, pulchrósque; contrà videre est pauperes, mancos, deformes vultu plurimos. In aliis, quæ usibus deserviunt humanis, idem videbis: Vinum suas habet fœces, aurum scoriam, triticum zizania, rosa spinas. Quantum ad constitutionem animarum, par esto judicium: nam etsi sunt in aliqua communitate sancti, & probi, plures tamen improbi: proinde in corporalibus pariter, ac spiritualibus *sunt bona mixta malis*. Quæ omnia Dei Filius sub Evangelica *Tritici*, & *Zizaniorum* Parabola hodie complexus, ad doctrinam nostram etiam occasionem quærendi reliquit: cur, cùm omnia in statu perfecto creari potuissent, attamen Deus omnia decreverit esse cum mixtura?

Ego eam puto causam esse: cùm enim bonum æstimetur per comparationem ad malum, & turpe relatè ad pulchrum; necesse fuit, per immixtionem rerum imperfectarum, præstantiam rerum exhiberi, declararique à paritate corporalium differentias boni, & mali; fugiendorum, & appetendorum in linea morum, & animorum. Quæ causa fuit Patrisamilias, ut vetaret zizania attingi, ne fortè cum zizaniis contingat & triticum evelli. Causa igitur non eradicatorum zizaniorum non fuit præstantia zizaniorum (quid enim in his appetibile?) sed intuitu optimi tritici id factum est.

Parabola hæc tota resolvitur in Quæstionem illam nunquam satis dignè tractatam, nec unquam sine fructu audiendam: Quid sit, quòd Deus scelestos patiatur & toleret inter justos? cur scandalosos in societate proborum? De quibus omnibus dicere possumus: id sine dubio fieri non ex complacentia aliqua statûs & conditionis delinquentium, sed justorum intuitu: ut hoc modo probetur fides multorum, an scilicet visis aliorum corruptelis, non ideo degenerent à præcelsis cogitationibus, sed illorum gratiæ in mediis vitiorum illecebris divinâ præferentes amicitiam, sartam tectámq; justitiam maximo cum suo, aliorúmq; emolumento custodiant. Ex piis, & inocentibus etiamne in malos aliquod emolumentum derivabitur? Et quidem maximum. Jucundissima me jam diu cogitatio tenet sacras Scripturas legentem, quantum sit in conservata vel justi unius innocentia toti communitati præsidium; quòd propter unum hominem pium, & justum plurimi scelesti sustineantur, quemadmodum zizania intuitu tritici, quia optimi. Hinc desumpto argumento ostendam verum id esse: quô & justis ad conservandam augendámque innocentiam; & peccatoribus ad eam omni conatu reparandam sacros adhibeam stimulos: quem fructum si vel ab unico impetravero, grande dictionis meæ præmium reportavi. Favete.

§ I.

An quis possit Sanctus inter perversos permanere?

Priusquam scopum propositionis meæ attingam, consuetudinem nimirum Dei esse, gratiâ unius justi centum alios malos conservare, ac tolerare; quæri potest non inutiliter: quomodo possit unus aliquis inter tot scelestos bonus esse? quomodo enim ex vicinia atque consuetudine tot malorum etiam ille bonus non sit corruptus, præsertim cum tam claris verbis dicat Spiritûs Sanctus, *cum perverso perverteris?* Attamen, *sicut lilium inter spinas*: sic inter perversos Dei amicum permanere posse, colligitur ex primo versiculo Psalmi primi: *Beatus* Psal. 1. 1. *vir, qui non abiit in consilio impiorum!* quia etsi miraculi instar habendum sit, ut quis viciniâ impurorum omni ex parte illibatus intactúsque permaneat; tamen fieri id posse, docemur exemplo Tobiæ religiosissimi: etsi enim ille cingeretur medius hinc lapidum, saxorúmque adoratoribus; inde contribulibus suis nihilo melioribus: viderétque illos domi mactare hostias Diis patriis; hos verò omnes profectionem adornare *ad vitulos aureos*, Tob. 1. 5. *quos Jeroboam fecerat Rex: hic solus fugiebat consortia omnium, sed pergebat ad Jeru-*

ad Jerusalem ad Templum Domini, & ibi adorabat Dominum Deum Israël. Tantum aberat ut generali illa vel gentium barbararum labe, vel tot Apostatarum filiorum Israël corruptelâ se se inquinari pateretur, ut laboraret potiùs unus omnibus Dux fieri ad veri Dei religionem & cultum, ut sanus ipse ac valens tot inquinatis prodesse ad salutem posset. Nec dubitem sanctitate Tobiæ, si non Regna ad pœnitentiam perducta, conservata tamen fuisse illius meritis, & unius gratiâ multis impensâm divinitus misericordiam. Inter Decem leprosos animo, an corpore magis? nescio; unus nihilominus repertus, qui ubi se mundatum vidit, quantumvis alii terga obverterent fonti, benefactorique suo Christo, ipse ad eum adorandum, habendásque religiosissimas gratias reversus: docet nos, nunquam tam sceleſtam esse communitatem, quin aliquis ibi lateat bonus & pius, cujus innocentiam Deus respiciendo plurimis aliis misereatur. Numquid *Noë* inter tot impios innocens? Numquid *Loth* inter sceleſtos sanctus? Numquid *Joseph* in domo moribus Dominæ contaminata, integer ac innocens? Sic hodie *in medio scorpionum*, inter contaminatissimas familias & contubernia potatorum, blasphemorum, & impurorum hominum, est invenire aliquem sobrium, & innocentem; qui inter divina omnia irridentes, reperiatur solicitus ad reddendum *Cæsari, quæ Cæsaris: & quæ sunt* DEI DEO. Sub avarissimo dominatu Patrisfamilias, reperire erit aliquam Abigailem occultam eleemosynariam; sub impiis Ducibus militem Deum timentem; in magnis lucrosisque officiis, ubi *vituli aurei* regnant; aliena respuentem, & propria pauperibus largientem. Ratio horum est: quia isti quantumvis in impiorum contubernio versentur inter continua prava exemplа, attamen pro Regula vitæ & morum gubernativa non statuunt hominem, sed Deum, & Christum dicentem: *Ego sum Via, Veritas, & Vita.* Homines ambulent, ut velint; furentur, rapiant, exsugant pauperes, opprimant innocentes; illi non sunt mea Regula; divina nauseent, noctes atque dies vino & Veneri impendant; dicant: hunc esse stylum sæculi, sic agere, sic vivere alios; Ecce isti Ecclesiastici sunt! Sacratæ Personæ sunt, & tamen. Neque hi, neque illi mea Regula sunt; ego neminem judico, sed sequor Christum, qui est VIA, quem sequendo ducem nemo errat. Numquid qui hæc joca, has amicitias frequentant, &c. Christiani non sunt? Numquid in officiis eminentibus non sunt? Sint, sint equidem! mea Regula non sunt. Tu igitur solus ex omnibus Sanctus? Miseram Christianitatatem! si eò ventum est, ut inter Christianos mentionem Christi facere erubescamus! si inter corruptissima plurimorum exempla, mores profiteri Christianissimos imputetur hypocrisi, ac singularitati, ut inter tot impios pio esse non liceat, ac Deum timenti? Immo verò licebit. Factum est, fiétque semper divino munere, ut *in medio scorpionum, & Draconum* inveniantur Ezechieles, & Jobi; inter auri adoratores, Tobiæ religiosissimi; suus non desit infami Pentapoli Lothus justus, Ægyptiorum palatiis Josephus Virgo, Militibus Cornelius, Urbibus Susanna: Et hoc facere Deum grandi bono mundi publico.

Luc. 17.

si nempe pro Regula vitæ sûæ proponat non homines, sed Christum.

§. II.

Unius in innocentia, quantum habeant præsidium Regna, & populi.

Permistionem istam paucorum innocentium inter plurimos sceleſtos, primus Abraham observavit, quantum in ea ad iratum Deum placandum, & conservandam ab interitu Rempub. utilitatis ac præsidii positum sit; videlicet sæpe summo Patriæ bono, maximóque communitatis alicujus lucro fieri, si vel illi pauculi supersint, quorum innocentiæ intuitu publicas clades differat Deus, & *in ira sua contineat misericordias suas.* Cùm enim peccatis exigentibus ostendisset Deus Abrahamo, se Sodomam, & Gomorrham delere decrevisse: continuò hanc quæstionem cum Deo tractavit: Quidsi *Quinquaginta justi* fuerint reperti in Civitate (Proh Deum immortalem! quò deveniunt Civitates, quò Urbes & populi; ut in eorum frequentia 50. justi accensis facibus quæri debeant?) Parum est; gradaria interrogatione usque ad *Decimum* descendit Abraham, descendit & Deus: *Non delebo propter decem.* Ex qua re interim confirmatur dictum nostrum; quomodo scilicet subiit in mentem Abrahamo res ista, quòd de evertendis urbibus non continuò desperaverit, sed ad hoc ultimum confugerit Palladium, ad aliquot *Justos?* Bene; videbat enim Deum tam esse misericordem, & patientem, ut ob puritatem aliquot Justorum, integræ quandoque Provinciæ ignoscat. Quod tunc Abra-

Gen. 18. v. 32.

hamus

hamus sentiebat optimè de divina clementia, confirmavit Deus in eadem exe-
Gen. 19. cutione furoris sui, cum fratre ejus Lotho: quem enim ab impuris discreverat innocentia, ne generalis involveret pœna, denunciatur ei interitus flagitiosissimarum Urbium, Civiumque generale excidium, sic tamen; ut ipsi concederetur spatium se, domúmque omnem suam in tuto reponendi; jubebatur ergo agere festinatò, & jam stillante irâ Domini, damnata exire Civitate, suæque ac suorum saluti consulere: *Festina, &*
V. 22. Sodoma, donec Lothum habebat, deleri non potuit. *salvare ibi: quia non potero facere quidquam, donec ingrediaris illuc.* Poterat vir optimus hìc respondere Deo: Immo verò benignissime Deus, si ego, & domus mea sumus obices, ne quicquam possis facere his Urbibus, potius in earum medio relinquito me. At ecce terribile documentum! quomodo justos sive per mortem, sive aliter subducat Deus contubernio impiorum, quos punire decrevit, ne divinæ sententiæ intercedere possint. Sic hic respondisset Deus Lotho: Venit finis, finis venit super Urbes, quas determinavi perdendas; illo momento quod non perdiderim, tibi attribuant: nunc autem quia absolutè perdere volo, tu ocyus nefandis egredere tectis; egredere, aut manibus vi extrahéris, quia *donec* tu ibi eris, *non potero quidquam facere.* Tanta erat unius domûs innocentiæ apud Deum reverentia, ut non soli sibi Lothus innocenter vivendo consulere, sed etiam aliorum cervicibus impendens fulmen retardare posset.

Sanctitas Moysis, populo suo fuit murus. Plus fecit Moysis unius gratiâ Deus; cùm enim nefandis Idolorum sacris contaminatum Exercitum delere vellet, eorúmque cadavera corvis inhumata relinquere; scirétque virorum mitissimum Moysen indubiè intercessurum, sic, ut eo invito, ac deprecatore non posset quicquam facere, habens ligatas manus unius justi potentibus meritis: quid egit Deus? Animum Moysis magnificis tentavit promissis: se eum nobilioris Imperii populique Ducem jussurum, si modò nunc animum inducat, ut Deo manus, quas precibus ligavit, exsolvat, sinátque eas tot nocentium sanguine exsatiaExo. 32. 10. ri, & placari: *Dimitte me, ut irascatur furor meus contra eos, & deleam eos, faciámque te in gentem magnam.* Conferte nunc eos homines, qui auro Patriam vendunt, & per multorum ruinas ac cervices ad Dignitates grassari non verentur: conferte inquam eos cum Moyse Sanctissimo; illius animi fortitudinem, illius pietatem tantum abest ut ira Dei terruerit, aut promissa tam magnifica fregerint; ut potiùs inde animos sumpserit Deum, cujus naturam noverat, à concepta sententia deducendi, populóque placatum reddendi. Tuo te ore Deus meus alloquor! ipse enim confiteris te oratione mea ligatum, ac vinctum, cùm petas, ut *Dimittam te.* Non te dimittam! Vel parce! vel tot Servorum tuorum cadaveribus ego ut ultima hostia superincumbam, & morientibus commoriar, efficito. Quanta hæc virtus unius hominis justi in Deum! quantum in gentem suam emolumentum! At multò adhuc misericordia Dei grandior, qui unius meritis & se ligari patiatur, & tot millibus sceleratorum condonare veniam dignetur. Verum itaque est, unum hominem sæpius sic prodesse alicui communitati, quasi tota Respub. & Regnum essent coram Deo optimè constituta: ut sæpe barbaros hostes non tam armati Exercitus vincant, quàm piorum, ac innocentium merita propulsent. Et quemadmodum aliàs innui ex Ambrosio, Tempestatem (de qua nupernum Evangelium) perfidiæ unius Judæ rectè attribui; *cujus delicto, multorum* quos navis illa S. Ambr. in Luc. vehebat, *merita quaterentur*; redundarétque in omnes periculum, cujus auctor, unius Proditoris præsentia extitisset: Sic postea unius Pauli meritis servatam navem, sociorúmque salutem ac vitam assertam, Lucas asserit in Actis, recensens Pauli illa verba: *Oportebat quidem ô Viri! audire me &c. Et nunc suadeo vobis bono esse animo; amissio enim* Act. 27. Navis periclitans Paulo donatur. *nullius animæ erit vobis, præterquam navis. Astitit enim mihi hac nocte Angelus Dei cujus sum ego, & cui deservio, dicens: Ne timeas Paule, Cæsari te oportet assistere, & ecce DONAVIT TIBI DEUS OMNES, qui navigant tecum.* Quasi multorum salus, & vita nihil aliud esset, nisi spolium, ac manubiæ sanctitatis, & precum justorum, cum quibus orbis aut stat, aut cadit; caduna regna peccatis suis, stant humeris justorum. *Donavit tibi Deus omnes, qui navigant tecum.* Vide, quomodo Deus unicum hominem intuetur, cujus præsentia totam Oceani tempestatem sedat, & nullius animam perire sinit. Et hodie, dubitabo, Servorum suorum (etsi id nulli reveletur) sanctitate, ac precibus Rempub. stare tranquillam, flagella arceri, pericula retardari, Deúmque peccatori-

Pietas ejus & animi magnitudo.

bus placari, fierique propitium? Ratio est: Enimverò etsi peccantium multitudo sint instar crassæ nubis, quæ misericordiæ Solis benignum ad nos influxum arceat, sæpe tamen fit, ut unius viri pietas ac innocentia totas illas peccatorum caligines facilè dissipet, eò quod unus actus Deo charus millenis præstet actibus malis, qui iram Dei provocant; quomodo Petrus trinam negationem unico fletu delevit. Par est ratio ad alios: milleni dant arma Deo ad manus, & una persona Deo chara omnia illa arma cassa reddit, dum oratione brachium Dei ligat; qua in re maxima elucet misericordia Dei permittentis omnipotentiam suam nostris precibus subdi, ac ligari.

§. III.

Dicta similitudinibus illustrantur.

Veritatem similitudine declaremus. Certum est, peccatores pariter, & justos Arboribus assimilari: illos propter vanitatem, ac infructuosam superbiam
Psal. 36. dici, *Cedros Libani:* justos ob constantiam, ac patientiam vocari Palmas: *Ju-*
Psal. 91. *stus ut palma florebit.* Ingrediamur, si placet, pomarium alicujus periti Hospitis: habet ille arborem maximam, sed jam senectute fatiscentem, magnâque ex parte aridam; at quia huic arbori per insitionem non ita pridem inoculaverat aliquem ramusculum, qui usque huc gratissimos fructus germinabat: quid agat hospes? si inutilem arborem sustulerit, periclitabitur etiam illa novella insitio, ille ramusculus, qui paucos, sed gratissimos offerebat fructus; securimne vibrabit, ut aridam illam molem exscindat? Non; sed ecce propter unicum ramusculum tot inutiles senésque ramos sustinet! quæ causa? bonitas ac præstantia illius ramusculi. Sic est in negotio nostro; Justitia Dei clarè videt, Ecclesiæ terram frustra occupari ab his, qui tantum abest, ut ullam plantatori suo Deo utilitatem vitæ meritis adferant, ut potius scandalo aliis, & sibi ipsis oneri sint; quid igitur facit? Urget Deum, monétque tempus esse evocandi gladios Turcarum barbarorum? securibus innuet, ut veniant, succidant regna ignibus destinata? Replicat illico Mise-
Gen. 18. ricordia illud Abrahæ ad Deum: *Numquid perdes justum cum impio?* O quoties unicus ramusculus Dei sententiam flexit, & occasionem compassionis præbuit, ut integra Communitas, h.e. seminarium vitioru ac scelerum, propter unius animæ præstantiâ toleretur, & vivat!

Coronam, quam SACRAM appellamus, OTTHO Bavarus per Hungariam, ac Transylvaniam iter faciens ubique secum gestabat ligneo vase inclusam; quæ fortè à famulo nesciente quid ferret, deperdita, viâ regiâ jacuit, nulli tamen prætereuntium usque visa, ac animadversa. Servus iste, qui considerabat vas ligneum, parvi admodum damnum istud pendebat; OTTHO, qui unus sciebat, quid illo cortice clauderetur, videlicet CORONA tanti pretii, quanti Regnum: diligentissimè requisitum vas ligneum, nec sine miraculo repertum sustulit humo. Quid nos peccatores? quid Provinciæ, quid indigenæ sumus, nisi vasa arida? quòd adhuc servemur, quòd ad latus ac sinum regium divinæ clementiæ custodiamur, est *propter thesaurum*, qui alicubi inter nos occultus delitescit solius Dei oculis notus: pius, innocens, sanctus aliquis, qui *multùm orat pro populo, & universa Sancta Ecclesia;* dignus coram Deo propter quem universa Communitas protegatur; quia anima justi sedes Dei est, & Corona pretiosa; honoretur vas ligneum, patria inquam, illum cœli thesaurum sinu suo complexa, gratiâ illius vivat, ac perennet! Quæ omnia applicate hodiernis zizaniis: *Vis, imus, & colligimus ea?* Et *dixit, NON.* Quid enim est, quòd ad instantiam Servorum eradicari zizania vetuerit providentissimus Paterfamilias? Non zizaniorum præstantia, sed tritici præsentia, ac bonitas; cui nequid à Servorum fervore detrimenti accideret, etiam zizania tolerari jussit.

ada similitudo illustrans argumentum.

§. IV.

Ex dictis, duo principia practica eruuntur: unum Diabolicum:

Ex quo fundamento unum Diabolicum, alterum Christianissimum eruitur principium; istud sequendum, aliud detestandum. Quodnam illud? Pro sæculi genio facilè quis ita secum argumentabitur: Quodsi ita est, ut *propter* unum aliquem *Josephum* Deus *benedicat* Gen. 38. *toti Domui Ægyptii*, ob unius obedientiam Abrahæ omnes gentes includantur in fœdere; unius Moysis precibus omnipotentis Dei manus ligentur; unius meritis Regna ac Provinciæ stent, & propter triticum etiam zizaniis pax sit: ergo ego liberè peccabo; est enim impossibile, ut in tota Urbe, Comitatu, Regno aliquis amicus Dei non reperiatur, cujus precibus fulciamur, ob cujus gratiam vivamus.

mus. Stultum est hoc argumentum; quid enim si omnes ita dicant, itaque omnes peccabunt, ergo & tu, & ille, & alii. Et quid si unus ille educatur de medio, sicut justus Loth? quò sublato Pentapolis corruit, & alii innumerabiles non valuerunt casum avertere Civitatis. Et hoc communissimum est frigidorum Christianorum: Ad quid sunt Sacerdotes? ad quid Monachi? orent, psallant, illorum est hoc officium; & non vides, quòd vel ob hoc parum dignus es pro quo oretur, pro quo psallatur?

Secundò considera bene, quia fieri potest, ut si tu fueris etiam solus inter innocentes peccator, tui causâ adhuc periclitetur tota Communitas, Navi,
Jon. 1. donec Jonam portabat, non poterat esse pax. Reflecte animum, quisquis es, ad Evangelium superioris Dominicæ: Erat cum Domino Petrus in illa navi, & erat proditor pariter Judas; *quam Petri fides fundabat navem, eam Judæ perfidia conturbabat; unius delicto omnium merita quatiuntur. Caveamus perfidiam, ne* PER UNUM OMNES *fluctuemus!* Ita Ambros. Unius Achan delicto victoriam perdit Israël, nec potest stare ante hostes suos; & ut sexcenta alia taceam, Apostolus considerans afflictionem fideli-
Gal. 5. um exclamat: *Utinam ejiciantur, qui vos conturbant!* Horum ratio est, natura peccati; quod cum immediatè tendat in summum Dei despectum, & injuriam; quolibet momento, unico unius hominis peccato dignus esset mundus iis malis involvi, quibus Adam est involutus, eidem maledicto supponi quoad animam & corpus; si hoc, multò magis Regiones, & Regna annihilari, & consumi; quia rationabile est, ut homine propter quem omnia condita sunt, consumpto, cætera omnia in nihilum rediganturtur. Ita Saul admissis in Deum tot delic-
1. Reg. 24. tis, mox Davidi ait: *Jura mihi in Domino, ne deleas semen meum post me, neque auferas nomen meum de domo Patris mei.* Ad quid hoc jusjurandum? Quis enim Sauli inspiravit delendum illius semen regium, auferendam coronam, nomen, omnia? Conscientia inspiravit.
S. Chrysos. *Videte* (inquit Chrysost. & *admiramini Fratres, quantum malum sit, delictis obnoxium esse!* Male actorum conscientia prophetabat Sauli, ob unius delictum Patris, stirpem omnem regiam, & tot innocentes, nil tale meritos esse delendos; peccata sua fore cultrum, quo tot innocentium jugulus elidatur. Tanta est vis peccati, ut non in uno auctore illius pœna limitetur, sed in plurimorum clades proserpat. Sicut enim casus proceræ alicujus arboris nequit suæ limitibus ruinæ contineri, sed quocunque pertigerit, vicina quæque vastat, & opprimit: sic unius peccatum non soli noxium est auctori, sed sicut catenâ unâ tractâ omnes annuli trahuntur, sic unius vitio cuncti involvimur, & clade non reparanda punimur. §. V.

Alterum Christianæ prudentiæ conforme, & sanctum.

Cogitandum AA. mei quòd sicut intuitu unius justi multis divina justitia parcat: sic unius delicto multorum merita quati, & Regna conteri, manifestum est. Nonne vos (ut assertum hoc vestro confirmem exemplo) ita facitis, qui propter unius lapsum, integrum ordinem Religiosum linguis carpitis, unius vitio tot innocentium decus, famámque sepelitis? Deo præscribitis ipsi modum, & datis arma, ut ob unius delictum civis vestri, cuncti exscindamini, & paucorum malitiâ tota periclitetur Respubl. vestra. Cumque id negari non possit, vos ante tempus talia judicia instituere; & pariter clarum sit, Deum justo judicio ob unius iniquitatem punire multos: hâc veritate ante oculos habitâ illud Christianissimè concludere licebit: Deus propter unum justum dissimulat multorum delicta; ergo cùm videam tanta in populo peccata, sic vitam meam instituam, ut propter me parcatur omnibus. Hoc est Angelicum principium. Video, palpo *injustitias* quæ fiunt, propter quas Deus *transfert regna de gente in gentem:* itaque satagam justissimè vivere, quis scit, si meâ innocentiâ placetur Deus? Animadverto divinis flagellis identidem concuti Civitatem; erit sine dubio aliquis Judas, propter quem hæc tempestas oritur; latebit alicubi anathema Jericho; erit, qui à facie Dei fugiat Jonas, horúmne imitabor actus? Absit! Quodsi plurimi dant ad manum Deo gladium, quo peccata puniat, & Regnum conterat: ego volo esse Moyses, qui omnipotentis manus ligem, si fortè convertatur, & parcat. Beata Virgo in Templo præsentata, Oratrix Christianorum.

AA. mei! Si Rex Civitati vestræ iratus ediceret, se non aliter vobis placandum, quàm si personam ex omnibus nobilissimam pro vobis peroraturam adduxeritis; proh! quanta solicitudine mitteretis ad unam illam Legatos, orantes, ut quamprimum ad Regis vultum pro vobis

Gen. 42. vobis & communi ſalute deprecatura accederet? Ita fecit Joſephus Pro-Rex iram ſimulans: *Non ingrediemini huc, donec veniat frater veſter minimus.* Nos, nos Rom. 3. 25 in iram concitavimus Deum Patrem. Et quid facimus? Mediatorem mittemus JESUM Chriſtum: *Quem propoſuit Deus propitiationem per fidem in ſanguine ipſius.* Unus eat pro omnibus Orator, qui fuit omnium Redemptor. Quid ſi & hunc offendimus? Et nimium quidem. Itaque adducite *Minimam* ſtylo mundi Cognatam, ſecundùm Deum Maximam, B.M.V. tenellam, propediem *in Templo præſentandam.* Ex omnibus nî fallor, hanc unam poſtulat à nobis, pro nobis Deus advocatam, per quam nos habere voluit omnia. Siſtamus hanc innocentiam, ſiſtamus hanc puritatem, ſiſtamus hanc de millibus electam, gratioſiſſimam, benedictam! rogemus, ut loquatur pro nobis bona, & indignationem Dei avertat à Clero, à Populo, à Regno ſuo Hæreditario. Ita fac ô Virgo piiſſima! ut ob gratiam tui vivat anima noſtra! AMEN.

DOMINICA VI. POST EPIPHANIAM. *SERMO I.*

Tyrnaviæ, 1707.

Simile eſt regnum cœlorum fermento. Matth. 13.

SUMMARIUM.

Extra dubium ponit Orator, multò plus ſudorum prodigi ad conſequendum Infernum:

I. *Ab Hypocritis, & ad oculum ſervientibus.*
II. *Ab avaris, & ſuperbis.*
III. *Ab impuris amatoribus.*

Cœlum omnibus ſtatibus comparandum labore proponitur.

NE poſt Reges, poſt Mercatores, poſt Virgines, aliósque mundi ſtatus, ſolæ viderentur Mulieres omiſſæ, & quodammodo Regni Dei aditu excluſæ: hodie primum Evangelium reperi, quo Salvator noſter oſtendit etiam Mulieribus cœlum comparari poſſe. *Simile eſt regnum cœlorum fermento, quod acceptum mulier abſcondit in farinæ ſatis tribus, donec fermentatum eſt totum.* Regibus jam dederat modum cœleſtis gloriæ conſequendæ: *Simile eſt regnum cœlorum homini Regi.* Alliciebat ſæculi Mercatores ſpe occulti theſauri, ac *margaritæ* pretioſiſſimæ rapiendæ; invitabat pauperes & famelicos *magnæ* promiſſione *Cœnæ;* otioſos ad vineæ laborem *conventione denarii* diurni attrahebat; pelliciebat Virginales animos cœleſtium arrharum dotibus ad caſtos immortalésque thalamos. Quod tamen obſervo, eſt, Chriſtum nullam aſſumpſiſſe ſimilitudinem, in qua non adumbrâſſet magnos, & veros labores, quibus cœleſtia debeant regna comparari. In Parabola certè præſente nec *Mulier* ſola, nec ſolum adducitur *Fermentum*, ſed utrumque ſimul, quod denotat agentem & opus; *fermentare* enim ſignificat, poni fermentum in farinam jam labore ſubactam, ac apparatam, qui præcipuus fœminarum labor impenditur domeſtico pani. Itaque & Mulieres habeant gloriam, ipſas non ſolùm cœlo aſſimilari, ſed etiam deſtinari.

Comparatio duplicis laboris pro ſalute, & pro damnatione.

Non parum miratus initiô ſui, Mulieri *cœlum* aſſimilari, cùm Mulier fuerit cauſa, cur excluſi cœlo ſimus; & nunc dicit, Mulierem fermentantem maſſam *ſimilem eſſe cœlo*, nec aliter ad cœlum perveniri poſſe, quàm per laborem. Animadverto in hac explicatione duplicem ad invicem comparari laborem: alterum inutilem damnoſúmque quo Mulier ſibi, & poſteris cœlum occluſit; alterum utiliſſimum quem Virgo Deipara exercuit in fermentando corpore Chriſti ſuo in utero. Qua admirabili collatione docuit Deus, duplicem eſſe in mundo laborem: unum, quo lucramur Infernum; alterum quô conſequimur cœlum. En ſub typo fermentantis Mulieris maſſam utramque repræſentatam! Ex

qua

qua explicatione tanquam certissimam veritatem eruo considerans stylum, ac semitas sæculi : Nunquam Christianos tantum sudorum impendere pro consequendo regno cœlorum, quantum peccatores pro amittenda beatitudine, & lucrando Inferno. Tam carò emitur ruina! ut si omnis laborum patientia & sudor alicujus Anachoretæ pro cœlo, conferatur cum alicujus peccatoris itineribus fatigiisque pro Inferno; nihil illi sunt. Tantæ porro dementiæ causas dum explicare aggredior, benevolas, ut soletis, aures præbete; mira, sed vera audietis.

§. I.

Pro perdendo cœlo non solùm laboratur, sed plus, quàm pro aquirendo.

Dupliceм hunc laborem, sibique oppositos effectus, alterum ad claudendum sibi cœlum, alterum ad aperiendum & consequendum: egregiè adumbratum reperio in præclaro monito Salvatoris, quo cavebat discipulis, omnibúsque sanctioris vitæ candidatis: Attenderent sibi *à fermento Pharisæorum quod est hypocrisis.* In quo dicto, nisi fallor, non obscurè insinuat ac docet, Pharisæos laborâsse omnino, quemadmodum & illi laborant, quicunque massam fermentant, quod sine operoso conatu non fit. Sed quàm vani, ac inutiles extiterint eorum conatus ac labores, ostendit, quòd *hypocriticè* laborabant. Quid ita? *Extenuabant* facies suas, jejunabant, subtrahebant sensibus delicias, quo captarent apud vulgus auctoritatem, opinionémque sanctitatis: *Ut videantur hominibus*; quod inutilissimum erat pro consecutione regni cœlestis. *2dò.* Aptè Paulus Apostolus nomine *fermenti* repræsentat omnem malitiam: *Non in fermento malitiæ & nequitiæ: sed in azymis sinceritatis, & veritatis.* Quo styli genere & conatus utilissimos repræsentat; & frustra consumptorum vanitatem laborum adumbrat, dicendo: *Malitiæ*, & *Nequitiæ*, h. e. omnis generis vitiorum; sic enim omnium peccantium labores, sudores, vigiliæ declarantur. Quot ergo in mundo peccata, & quot in iis vigiliæ inutiles, & maximi labores curæque sunt, eæ omnes veniunt sub nomine *fermenti malitiæ*; quibus omnibus laboribus aliud non quæritur, quàm ut cœlum perdatur, & omnium virium contentione porta cœli obstruatur. Ex adverso cùm & ipsa regni cœlorum consecutio adumbretur *fermenti* similitudine, *quod mulier in tribus farinæ satis abscondit*, & omnem massam fermentat: quis labor, & quantus? præcisè etenim ponere, abscondere, ac deinde ipsum fermentum operari, vix incensum laboris venire possit, adeo modica industria satis est pro tam necessario vitæ humanæ alimento; quis explicet, pro magnitudine ac præstantia doni quod cœlum offert, quàm exigui labores expetuntur, & quanta martyria vel pro unius consecutione damnosæ voluptatis; ita ut in comparatione illorum laborum qui peccatis impenduntur, quibus perditur cœlum; &, quibus aquiritur cœlum: utrinque collatione facta, ex his quæ pro inferno subeuntur martyria, verè dicere possimus *Lassati sumus in via iniquitatis*, defatigati, eviscerati, consumpti; & quos cœlo consecravimus sudores, si, non dico comparetur inter se labor, & præmium, sed tantùm labor & labor: sanctè fatendum est: *Pro nihilo* salvos nos facis Domine! Nam si voluptas quæ est in peccato, esset æterna, ac permanens, plura & graviora martyria pro ea subire non possent peccatores, quàm quæ subeunt; quod ipsorum confessione liquet: *Lassati sumus*, emaciati, excarnificati, pro rebus nihili; at verò piorum lachrymas ac sudores non solum Gratia identidem detergit ac solatur, sed etiam defectum virium aut talentorum sæpe intentio optima compensat, & supplet, nec quantum, sed ex quanto quis operatur amore, attendit. Verè *pro nihilo* salvabis nos Domine!

Pſal. 55. 8.

Sap. 5. 7.

Verum est, omnes similitudines cœlestis gloriæ ad temporalia, sive assimiletur *Margaritis*, sive *Denario*, vel *thesauro abscondito in agro &c.* omnes innuunt laborem; Reges, Mercatores, Vinicolæ, Virgines; isti omnes laborant, isti omnes contendunt ad aliquid, isti *omnes currunt*, & sæpe *unus accipit bravium.* Similitudines omnes hæ operosæ innuunt, laborandum esse pro regno cœlorum, quia *Nemo coronabitur, nisi qui legitimè certaverit.* Est aliud porro in his occultum quod apertè non innuitur. Quid illud? Similitudinibus hisce tanquam velo tegitur argumentum Christi, quo subtiliter flagellatur ignavia nostra, ac torpor: Ecce, inquit, Reges! Mercatores! Milites, & operarii sæculi omnes quantum isti laborant pro his, quæ vix sine peccato esse diu possunt, quia *Qui volunt divites fieri in*

In Parabolis innuentibus cœlũ labore a-quiri: latet occultum efficax argumentum Christi.

1. Cor. 5. 8.

hoc sæculo, incidunt in varias tentationes, & laqueos diaboli. Pro *laqueis* ergo diaboli tantum sudoris & sanguinis funditur, & tam strenuè res agitur: cur non pro Libertate & corona cœlesti? & si hoc pro transitoriis, cur non pro perennibus & mansuris bonis? Ut turpe sit nos segniores inveniri ad orandum, quam milites ad sanguinem pro temporali regno fundendum. Uno verbo, tota vis argumenti Christi est pro stabilienda hac veritate: Plus semper impendi pro his, quibus perimus, quàm pro iis, quibus salvamur; plus pro *fermento malitiæ*, quàm pro *azymis sinceritatis;* plus pro obsequiis Diaboli, quàm famulatu Dei; quæ fatigia & martyria si perferrentur pro regno Dei, quot quantique evaderent Sancti? quot Martyres? quot laureati cœlum intrarent, & cum sublimioribus considerent potestatibus? Nunc quoniam non ista amore justitiæ tolerantur, sed avaritiæ atque ambitionis affectu cumulantur, fiunt Martyres, sed diaboli.

Serm. 104. de diverf. c. 6.

§. II.

Martyres diaboli, omnes avari, & superbi.

Serm. in Dñ. 4. Adv

Gerson, Parisiensis Cancellarius duo genera hominum *Martyres* appellavit: *Mercator, & stultus amator, martyres sunt diaboli.* Sub duobus his nominibus totus in examen venire potest mundus: quid enim est esse *Mercatorem*, nisi lucris inhiantem; sub qua nominis generalitate omnes Reges iniquè propagantes sua imperia, omnes Avari, qui suâ substantiâ non sunt contenti; omnes injurioſi, iniqui Judices, & Causidici, qui amore lucri & pecuniarum Deum, conscientiam, & animam vænum exponunt: comprehenduntur, & omnes sunt *martyres diaboli;* quid ita? quia omnes hi laborant, ut pereant; laborant pro sæculo, ut excludantur cœlo; laborant pro eminentia, ut sint æternùm subditi diabolo; omnes laborant, & instar araneæ se eviscerant pro una musca reti suo concludenda, quales labores quodsi expenderentur pro animæ salute, ipsos martyres Fidei superarent.

- O! quantum pectora cæcæ noctis habent. Martyrio non carere, & ad martyrum coronas non pervenire; superare Monachos vigiliis, Anachoretas abstinentiâ, resolutione ipsos vinctos JESU Christi: & cum tantis perpessionibus ad infernum migrare! Hujusmodi operarios graviter alloquitur S. Augustinus, & sic taxat, ut sine compassione & lachrymis recordari verborum ejus non possim. Cùm enim Præsul Sanctissimus de sua Hypponensi Cathedra pro Concione aut Petri Apostolorum Principis catenas, & crucem, & Pauli naufragia & gladios memoraret; aut Stephanum inter saxorum crepitantium fragores genibus positis orantem pro lapidantibus, vel Laurentium ardenti in craticula jocantem & Tyrannos irridentem prædicaret: ad tam inaudita præstantissimorum Christi servorum supplicia ac mortes cohorrescentibus plerisque fœminis pariter & viris, attonito ad tantam Martyrum fortitudinem universo populo: dicebat S. Præsul: *Quid miramini Fratres, si amatores Dei Martyres tanta pertulerunt, ut Deum aquirerent?* AMATORES AURI *videte, quanta patiuntur? Hyemalibus asperitatibus se navigando committunt, sic fervet avaritia, ut nulla formident frigora; jactantur ventis, suspenduntur & deprimuntur fluctibus, ineffabilibus periculis usque ad mortem agitantur.* DICANT ET IPSI AURO: PROPTER TE MORTIFICAMUR TOTA DIE. *Vox quidem est similis, sed causa est valde dissimilis. Ecce utrique dixerunt:* ISTI CHRISTO, ILLI AURO, PROPTER TE *mortificamur tota die.* Quocirca (concludebat Augustinus) si istos sæculi amatores non miramini tanto studio sectari ea, quibus plerumque pejores fiunt, & pereunt, & cum omnibus armis suis ad gehennam descendunt: quid miramini, amatores Dei talia perpeti pro amore summi & incommutabilis boni, pro quo laborantes & ipsi boni fiunt, & Omnipotentem Deum, regnúmque ejus pro præmio accipiunt sine fine mansuro?

Confirmatur illustri testimonio S. August.

Nihil est, quod tanto argumento superaddam: *Utrique dixerunt:* ISTI CHRISTO, ILLI AURO: *Propter te mortificamur tota die. Serpens, sitis, ardor arenæ, dulcia virtuti* militari, quâ Imperia quæruntur & opes. Quamdiu duraturæ? ad ictum oculi, & claudantur omnia; & tamen pro volatico honore & opibus susceptа pericula *dulcia* dixit. Si sole exurantur corpora, si sub eodem tentorio cum viperis ac scorpionibus Africæ commoretur miles, si fœtentes sorbeat lacunas, si qui vulnera liget, adsit nemo; si crustam exesi panis in gratiis numeret, si noctes ad valla excubet, si imbres & frigora sustineat: omnia *dulcia virtuti*, quâ pariuntur opes & regna. Adeo minus expetitur

Pro pecunia quæ non martyria? Lucanus bell. Phars. al.

pro

pro regno æterno: *Ecce nos reliquimus omnia, & secuti sumus te.* ISTI CHRISTO, ILLI AURO *dixerunt: Propter te mortificamur totâ die.* Quomodo *totâ die?* quia à mane usque ad vesperam. Christianus aliquis Dei amator ut primum discusso noctis somno redit ad se, sacram diei vigiliam inchoat à signo Crucis, cum invocatione SS. Trinitatis, ora laxans in Prophetica suspiria A! A! A! *Domine Deus!* Longè aliud agit, qui sæculum præposuit Deo; princeps illi cogitatio & vox quænam? *A A A! Aurum, Aurum, Aurum Domine Deus!* Qualiter arca replenda, quomodo filii opulentiùs relinquendi, quomodo filiæ splendidè elocandæ? Illi pii sub noctem, literæ A. unicam aspirationis notam subjungent, & dum cum conscientia rationes iniverint, contritionis actibus elicitis quietem capessent: istis vel ipsum necessarium somnum discutiet vel infelix aliquis eventus, vel computu facto orta dubietas, an expensas superârit proventus? si non ex sententia res cessit, etiam dicturi sunt Ah! ISTI CHRISTO, ILLI AURO. Quot sunt, qui pro mundo dicere possunt: *Ecce nos reliquimus omnia*, Templa, dies festos &c. evisceravimus, excarnificavimus, consumpsimus omnia; ingenium, vires, subditorum nervos omnes, & sanguinem impendimus, & quid tandem lucrati? *Dixerunt auro: propter te mortificamur tota die!* & quid aquisivimus? si mediocres conatus impendissemus regno cœlorum, cum Laurentiis, cum Agnetibus consedissemus inter domesticos Dei; nunc autem *Martyres Diaboli* torsimus nos, & infernum extorsimus. An non sunt Martyres Diaboli omnes expectantes, & inhiantes promotionibus per fraudes, adulationes, per servitia contra Deum, & conscientiam? An non diaboli Martyres omnes superbi, & dyscoli, qui ad consarcinandos libros plenos in Ecclesiam maledictis, totas noctes vigilant, ut *cum* omnibus *armis suis in infernum* descendant? ô laborem vanissimum!

Jer. 1.

Ezech. 32. 27.

§. III.

Impuri amatores, Martyres diaboli.

De *Fermento* est Evangelium, & de *fermento* quo utitur mulier laboriosa, imago regni cœlorum. Verùm si laborans pro *fermento malitiæ, & nequitiæ*, fias imago inferni, & accumules judicium, nimium quàm vanè & stultè vires prodegisti. Istud fermentum vocat laudatissimus Gerson, *Stultum amatorem*, & ideo *diaboli martyrem*. Quanta Deum immortalem! operante hoc fermento perferunt impuri amatores? quæ fatigia obeunt? quot auliciſmos, cærimonias, officiorum genera exsorbent? quos labores? quas anxietates, & solicitudines, & non rarò contumelias, atque despectus devorant? Illi soli nôrunt, qui hoc Dæmone correpti animam & corpus libidini dediderunt. Talem stultum allegat Scriptura, & verè vivum Martyrem in corpore & animo, *Ammonem* Magni Patris degenerem filium. Erat Absaloni soror, lectissimæ pulchritudinis virgo *Thamar* nomine, & quia nihil est tam purum ac innocens, quod ex se scandalum præbere non possit, Thamaris quoque elegantia ac venustas in cognato pectore magnum excitavit amoris incendium. Sicut autem ignis occultari nequit: sic amor ex *Amnonis* vultu apparebat. Ad eum igitur Jonadab secretò locutus dixit: *Quare sic attenuaris macie fili Regis per singulos dies? cur non indicas mihi?* Ah! ne quære Jonadab ista! corpore langueo, plus animo fatisco, & magno præcordia vulnere premuntur; quis vulneribus nostris medelam porriget? Et, si reticeam, facies & pallor loquuntur amorem: *Thamar sororem fratris mei Absalon amo.* Ergo amor est tuus tortor, tua carnificina, inquiebat Jonadab? Bene, addamus oleum igni, sic & sic potiare votis tuis. *Non sic impii, non sic!* Aulico consilio obtemperavit impurus Juvenis, Sorori pudicitiam, sibi salutem & vitam præcidit. Occurrit mihi iterum dictu S. Præsulis: *Isti Christo, illi auro.* Sed quemadmodum clavus clavo pellitur: sic impurus amor contemnit aurum, pecunias, opes, omnia prodiget ut voto potiatur. O quot hìc stylum immutant, & intento digito in Idolum libidinis: *Propter te*, inquiunt, *mortificamur tota die!* Parum est *tota die*, etiam somnum oculis abstulisti, noctésque nobis inquietæ sunt. *Propter te* consumpsimus opes, vires, honorem, animam, salutem, omnia; jam ante mortis diem sepulti. *Attenuaris macie fili Regis.* Ipsa sibi nempe libido supplicium est, & dum negata dulcedo quæritur, carnificina invenitur. Hoc *fermento* adulterii inquinatum aliquem, ferunt ad Judicum Tribunal fuisse aliquando adductum; itaque considentibus de more Judicibus sententiam Dei & Regni pronunciaturis, excepto uno è Senatoribus, ab omnibus conclamatum est: *Moriatur. Qui ad gladium,*

2. Reg. 13.

Talis fuit Amnon.

Et omnes, qui Idolo Libidinis Se, opes, animam immolant.

gladium, *ad gladium*. Unicus intercessit Senator ille: Quin immo non occidatur, sed vivat! Quid igitur divina lege fiet? Delictum est liquidum. Vel sic vivat! inquit; sententiâ meâ ô Judices recludatur flagitii tanti perpetrator, tollamus ipsi omnem occasionem exerendi fermentum istud. Quid verò tum? AMET inquam, AMET. Nolite illi pœnam decernere majorem. *Amet*, ipse sibi tortor, ipse carnifex futurus; *amet*, & vivens sepultus erit. Hæc mea est sententia. Ego pro officio Sacerdotis addidissem huicce consilio: ut taliter recluſi miseri animæ quoque consulatur, ut justum est, aliquot dierum spatio exerceatur Meditationibus S. P. Ignatii: Ad quid homo creatus sit? Quid? & quanta res sit Peccatum? Quid Æternitas? quid Infernus? quid Judicium? Quæ Christiani nominis dignitas & obligatio? Quodsi per hæc disponi possit ad contritionem & seriam conversionem: accedo sententiæ Senatoris prudentissimi, & ipsum absolvo omni pœnâ etiam Sacramentali, sicut videro dispositum. Attendite in hanc rem Salvatoris nostri factum. Convictam adulterii Mulierem præsentabant aliquando judicio Christi, ut sententiâ suâ eam vel condemnaret ut judex, vel absolveret ut Salvator. Ille hanc partem secutus interrogavit mulierem: *Ubi sunt qui te accusârunt? Nemo te condemnavit? Nemo Domine*, inquit. *Nec ego te condemnabo, vade & jam amplius* NOLI PECCARE. Ubi ergo est pœna? ubi satisfactio imposita? Sufficientissima pœna fuit: JAM NOLI PECCARE, & deinceps observato legem pudicitiæ. Qui semel gustavit libidinem, & fecit membra sua servire immunditiæ, è tali statu sese revocare, non istud erit martyrium sufficiens? Cavere pericula, vitare commercia, claudere oculos, frænare linguam, cæterósque sensus timore Dei configere, talibus lapsis non pœna martyrii fuerit? Non erit Salvatori acceptabilis satisfactio sese in omne momentum vincere? ut qui cum *fermento nequitiæ* fuerunt nuper simulacra quædam inferni, jam fiant imago cœli: *Simile est regnum cælorum fermento*, utique bono.

Amor impurus ipse sibi tormentum, & carnifex.

Joan. 8. 3.

Cur Christus Adulteram absolvens, nullam illi satisfactionem injunxerit?

O! si martyria illa, quæ amore luxuriæ subeunt impuri amatores, transferre vellent ad Deum, & exercitationem virtutis, ac retento nomine *Martyrum*, finem tantùm patiendi & scopum mutarent, pro inferno sibi cœlum præfigentes, & pro diabolo Deum! quot ista mutatio illis pareret coronas, quot laudes, & titulos in cœlo? Est enim durum auditu, & intolerabile (ingerit se hic Divus Chrysostomus) ut meretricum amore plura quis patiatur, & graviora, quàm dilectione Dei. Quot autem martyria in peccatis? quot cruces? quot labores & lachrymæ inveniuntur, & tamen omnia ista non curantur. *Nonne vides* (inquit) *amantes? Hi námque meretricum amore quot mala perferunt, putas? alapis verberibúsve cæsi, irrisi, innumeris injuriis lacessiti, blando tamen morbo comprehensi*, OMNIA ista ROSARUM INSTAR *arbitrantur, dum vel semel suave aliquod, & placidum inde accipiant, priorum omnium obliviscuntur: omnia prossera proveniunt sive paupertas, sive morbus, sive quodcunque aliud vel molestissimum: vitam suam miseram vel beatam ex Amicæ affectu ducunt, neque humanam gloriam, neque infamiam curant, sed & contumelias, & omnia magna cum voluptate propter illius amorem facilè tolerant; & si maledicat*, SI IN FACIEM INSPUAT, ROSIS ASPERGI SE PUTANT. Tot sudores prodigi, talia martyria subiri non ab idololatris, non à barbaris, sed à Christianis & lacte Evangelico nutritis, nullo modo valens ferre S. Doctor: non ipsis interim pœnam Dei, non supplicia & gehennas, ut alibi, intentat; contentus hic, si eis summum ruborem provocet, commemorando infinitam bonitatem, & dulcedinem Dei, & obtestando ac rogando, ut amoris impetum, quem in momentaneam illam voluptatem consumunt, transferant in Deum cum summo, æternóque suo emolumento. *Nónne*, inquit, *horreris audientes, tantam me à vobis exigere dilectionem, quantam in meretricem conferimus?* Sed neque hoc peto; novi, quanta ab amatoribus obedientia præstetur, quanta servitus ac vigiliæ, quæ auscultatio obeatur, & quibus in rebus, non dico, quoniam & nonnulla dictu turpia sunt; audiunt tamen, & sæpe domum relinquunt, patrem, matrem, amicos, pecuniam, & omnia sua deserunt, & nihil in tota vita præter unam amatam esse arbitrantur, non Principatum, non Regnum, non gloriam unius illius amori præponentes. Ego, inquit, ista non vos posco, nec urgeo propter Deum opes, parentes, patriam deseratis: *Dimidiam ejus partem, quam amantes meretricibus:*

meretricii plura perferre, quàm Dei causa.

S. Chrisost. Hom. 78. in Joan.

Ibid.

Ibid.

Locus Divi Chrysost. quòd intolerabile sit auditu. Christianũ amore

vel

vel saltem tertiam peto, ut Deo exhibeatis. Non horretis? non erubescitis audiendo? quodsi horum martyriorum, quibus diabolo servitis, quotamcunque partem Creatori vestro iretis consecrarum, ille hoc à vobis donum pro magno acciperet, & cœlum redonaret, suóque more etiam minima maximis compensaret? Et ego ista dicens horreo ingratitudinem vestram, quòd neque hæc modica & parva à vobis Deus mereatur, & impetret, sic cœci estis? *Nec videtis, quòd amata amantibus se nihil boni affert, non gloriam, non nomen pulchrum, sed turpitudinem apud omnes audientes, & ignominiam: Deus autem cælum, cælestéque bona præparavit diligentibus se, & in hac vita centuplum. Rursum illa omnibus te spoliat, vult omnia in se unam tua confunni, ac velut in voraginem quandam projici: Deus autem tibi cælum semines, jubet, ut multiplicato fœnore recipias. Illa te, ut mancipio utitur, amanti omni Tyranno gravius imperat: Deus non jam te servum, sed amicum compellat.* Animadvertitis utriusque voluptatis excessum, & illius malorum, & hujus bonorum? Fierine potest, ut mutato palato non gustetis aliquando, & videatis, quàm dulcis, & quàm suavis sit Dominus diligentibus se?

Duplex equidem est gustatio, sicut & visio: *Gustate, & videte;* quia & aliud est palatum oris, aliud cordis; alius oculus quô videntur spiritualia, alius quô videntur temporalia. Gustus consistit in ore, visus in oculo. Duobus his sensibus quomodo subjacebit Deus, qui nequit gustari, nec ad os poni? Similiter qui invisibilis est, quomodo videri possit? Animali homini, id est, in quo jam & spiritus in carnem transivit, frustra dicimus: *Gustate Deum!* cum illorum gustus non nisi siliquis pasci consuevit. Frustra mentibus illorum proponitur Deus videndus & gloria cœlestis, neque enim oculi eorum oculi *Rachel*, sed oculus *Liæ* ad cœlestia lippiens, ad terrena apertus ac defixus; & fit illis quod prostrato Goliatho accidit, qui fulmineo lapidis ictu in fronte percussus pronus corruit in frontem, cùm naturaliter supinum cadere oportuit; at quia vivens nunquam habuit oculos ad cœlestem patriam directos, nec illis moriens meruit cœlum videre: ita sceleśti quandoquidem in vita dum essent, semper prona in terras ferebant ora pecorum more, & affectus in delectabilibus terrenis occupabant, non merentur divinam gustare dulcedinem, & sicut anamus foris miseri famem nostram, sic à fonte æternæ dulcedinis æternùm elongari meremur. Justis è contra Deus (os & oculos supplente fide) dat sese identidem *gustandum & videndum*, dum eorum oculis, quoad in hoc exilio licet, sui amoris vultum exhibet spectandum, & palato cordis gustandum: ut invisibilibus titillati gaudiis provocentur ad veri boni amorem, sicque transeant per bona temporalia, ut non amittant æterna.

Chariśimi! si verè Martyres fieri cupitis, digna Christiano nomine, digna vocatione vestra, digna cœlorum regno martyria deligite. Quantò satius foret illos dolores, illas inquietudines ac sudores sanguineos, mutato patientiæ scopo, transferre ad regni Dei spem, & pro hoc pugnare, quàm pro inferno sic perire? Utrique pugnant & impii, & justi, sed quam dispari intentione? Scelerati pugnant, luctantur, sed ut votis suis impuris potiantur, & peccato succumbant volentes; justi pugnant, & quia pro uno vero bono militant, fatigia sentiri non facit propinquitas coronæ, Dei honor, & conscientiæ pax. Conferte nunc avarorum labores, cum Monachorum patientia, & studiis; ad dignitates aspirantium curas, cum Anachoretarum vigiliis; turpiter amantium martyria cum justorum pudicitia & pugnis, quæ deesse non possunt; quia Augustino teste: *Inter omnia Christianorum certamina, sola duriora sunt prælia castitatis: ubi quotidiana est pugna, & rara victoria. Gravem sortita est castitas inimicum, qui* QUOTIDIE VINCITUR, ET TIMETUR. Itaque & ipsa victoria non habet securitatem, sed timorem, sed laborem, & semel victus, iterum redit inimicus: *Quotidie vincitur, & timetur.* Sed si conferamus justorum quotidianam patientiam, vigilias, cilicia; pugnas & victorias, quibus pro cœlo fatigantur; cum amantium martyriis, quæ pro voluptate & inferno subeunt quotidie: quænam patientia jucundior, pro Deo, an pro Diabolo? Quod gaudium, quæ voluptas liquidior: quotidie vincere, an quotidie perdere & vinci? resistendo cénseri inter magnos Servos Christi, an obediendo inter magnos vasallos diaboli? amando verum bonum fitis martyres Dei? quærendo illicita, nec semper tamen obtinendo fitis Tantali, & martyres Luciferi?

Psal. 33. 9. Impuris frustra suadetur ut gustent Deum.

Goliath lapide ictus per frontem, cur pronus in faciem cadat?

Differentia inter martyria justorum, & peccatorum.

Serm. 250. de Temp.

Si utriusque patientiæ exitus ſpectetur, illorum laborem præmii magnitudo facit expetendum, & jucundum; horum martyria pro voluptatibus ſuſcepta remorſus, & pudor reddit inſipida, judicii & gehennæ metus etiam formidanda.

In facie juſtorum cœlum relucet: in impurorũ vultu gehennæ ſigna.

An non verò juſtorum facies jam nunc quandam cœli gloriam ſpirat? *Simile eſt regnum cœlorum fermento*, utique bono, quod in eorum cordibus fervet & operatur intus victorias, & lætitiam ipſo de vultu relucentem; contra verò macies ac pallor veſter utpote inferni prodromi, jam vos ad criminum tantorum pœnas vocat, niſi quantocyus reſipiſcatis.

Praxis pro iis revocandis valde ſalutaris.

Si quis, quod non credo, hujusmodi correptus ſit morbo, peto ab eo triduum in honorem SS. Trinitatis, cujus nomine & ſignaculo baptizatus olim fulſit, & diaboli characterem delevit; peto inquam ab eo triduum, & per hoc Sacratiſſimum nomen obteſtor, & rogo, ut pacato animo pauliſper recogitet ſecum primo die hæc duo: *Momentum! Æternitas!* 2dò die recogitet hinc Regnum Dei, inde Infernum & damnationem. 3tiò die computet fatigium quod pro uno ex illis toleravit, v. g. pro inferno. Et pauliſper inhærendo mentioni *inferni*, dicat ſibimet: Hæccine ergo tot martyriorum erit ſolutio? Et numquid pro dimidia parte Chriſtus mihi regnum donâſſet æternum? Affectus non ſuggero, qui omnipotentis inſpiratione conſequentur ultro; Electionem ſuadeo, utque ſit conformis ſaluti, ex animo precor, atque etiam oro Deum.

AMEN.

IN EADEM DOMINICA
SERMO II.

Simile eſt regnum cœlorum grano ſinapis. Matth. 13.

SUMMARIUM.

Cum Grano ſinapis comparatur cœleſtis Gloria: non qualis eſt in ſe, ſed qualis opinione

I. *Hæreticorum modernorum.*
II. *Credentium, ſed negligentium.*
III. *Sanctorum, qui dum magna agunt, nihil cœlo dignum ſe agere fatentur.*

Claudiop. 1692.

ITerum egredimur cum bono JESU ab agricultura & ſemente tritici novum ad agrum, ab agro ad cœlum, à cœlo ad granum *Sinapis*, cui audimus comparari cœlum ab illo, qui novit optimè quid Cœlum, quid Sinapi ſit. *Simile eſt regnum cœlorum grano Sinapis.* Quoad pretiumne? an quoad magnitudinem? Quoad magnitudinem, quid minus dici poterat de cœleſti gloria, quàm Sinapi? quoad pretium & excellentiam quid inconvenientius, & quid conformius ad vilitatem? Dico: Diverſis diverſa placent; Quandoquidem nec ſtellæ omnes paris fulgoris & claritatis: ſic homines ingenio, & varietate conditionum differunt, ut mirum non ſit, pro diverſitate Vocatorum regnum quoque cœleſte ſub multiformi Parabola proponi.

Pro diverſitate vocatorum regnum cœlorum variè aſſimilari.

Matth. 13

Ubi *Theſaurum* nominat, divitum acuit apetitum. Eja ergo divites! quid moramini theſaurum pro theſauro profundere? Cœlum nominat *Margaritam*: Reginæ ac mulieres deponite cervicibus monilia, & iis quæſtum exercete nobilem. Ubi virginalium lampadum apparatus memorat, cœleſtium honore nuptiarum allicit Virgines, excitátque ad Chriſto placendi deſiderium. Quid ergo vult quando granum Sinapis proponit? de vulgo pauperes, mendicos invitat: *Venite, emite abſque argento*, properate, diripite! Ita nimirum divina Sapientia noſtram ſemel humanitatem induta, revera civilem modum vendendi noſtrum æmulatur. Mercatorem hìc induit Dei filius. Quid autem Mercatorum natione eloquentiùs? quid illi ad commendandas merces ſuas omittunt? genus, locum, Patriam, mercium qualitates & pretia diligentiſſimè commemorant, ut emptorum aviditatem acuant: haud aliter eloquentiſſimum illud Verbum Patris nihil omiſit eorum, quæ ad commendationem Gloriæ propemodum infinitæ, ad quam invitamur, facere poſſunt, & tam exiguo pretio comparabilem demonſtravit, quantum eſt *Sinapis granum*, ut nemo ſit, qui inopiâ ſuâ ab emendo terreatur.

Matth. 25.

Iſa. 55.

Arca-

In quo sensu cœlum dicatur grano simile?

Arcana hæc erant Christi sublimia tractantis ex comparatione rerum modicarum. Ut enim apud Mathematicos rerum maximarum & admirabilium demonstrationes revolvuntur ad punctum, & ad principia per se nota desinunt: sic hic vides Cœlum devolvi ad granum unum. *Et quis cognovit sensum Domini?* Ego existimo, hac comparatione voluisse repræsentare non quid sit Cœlū, quid sit Gloria cœlestis in se, sed quid sit opinione multorum, qui velut cæci de colore non judicant. Proinde quia alii sunt, qui pro nihilo reputant cœlum, alii pro exiguo, alii aliter: omnium, prout quisque minus pro dignitate æstimat cœlum, opinioni Christum hic alluisse. Videamus itaque an conformiter mortalium judiciis attigerit Christus Quæstionem.

§. I.

Puerorum mos scitè depictus, Hæreticos nostri temporis tangit.

Solent pueri, cùm vertices montium conspiciunt, iisque incumbentem cœli machinam contemplantur, ita dicere secum: Profectò si ego illius montis verticem superarem, perticâ cœlum attingerem, & cum sole, & stellis luderem. Accidit re ipsâ deinde, ut adultiores dictorum montium penetrent cacumina, & tunc vident, quantò altius in montis sublimia enixi sunt, tantò ab ipsis longius cœlum recedere, séque pristina opinione sua nimium delusos jucundissimè mirantur. Hæc est nî fallor, Evangelicæ hujus veritatis imago verissima. Erunt, inquit Christus, mortalium non pauci, quibus videbitur cœlestis illa beatitas & gloria res adeo obvia, ac facilis, ut jam nunc eam manibus se palpare propemodum autument, & inter ipsos, & cœlum nullam jactabunt distantiam, quæ non pauculis saltibus superari queat. Ecce *Granum sinapis!* Non quomodo Cœlum in se est intrinsecus, vel quomodo in maximarum Ecclesiæ columnarum, Sanctorum, proborúmque hominum judiciis, prout illi de gloria illa judicârunt: sed prouti scelesti aliqui, & mali Christiani intelligunt, jam se *Granum* hoc pugno comprehendere, & quantò incomparabilis illa gloria ab ipsis longius sublimiúsque recedit, eam tantò sibi viciniorem, palpabilémque falsò existimare. Quàm vereor, ne cùm isti aliquando ad verticem, & punctum agonis pervenerint, tum primum serò cum pueris sententiam suam condemnent, séque falsorum suorum Prophetarum vocibus delusos lachrymantes ingemiscant.

Parabola tangit Hæreticos modernos, valde abjecte sentientes de cœlo.

At dantúrne? & quinam tales Christiani? Primò ergo ad sensum Hæreticorum nostri temporis attulisse Christum mihi persuadeo parabolam *Grani*; nulli enim unquam abjectius senserunt, nec in pejori opinione de regno cœlorum fuerunt, dictis Hæreticis. Qua ratione? Cum Prædestinationis suæ infelici commento: quidquid enim agant, quidquid moliantur in Deum, in Reges, in Leges divinas & humanas, grassentur & permisceant omnia, quæ sanctissima habuit, & habet Christiana fides, ea evertant funditus atque pedibus conculcent: cùm ad apicem flagitiorum, seu (ut Spiritûs Sancti verbo utar) cum *in profundum* venerint criminum, adhuc quasi manibus cœlum palpabunt, & quantò fortius peccaverint, se tantò viciniores arbitrabuntur saluti sine ullis meritis; ut potius si opera bona admitterent, non ituros se ad Paradisum, compertissimum habeant. Quid ita? eò quòd tum maximè fides in Christum, de ipsorum peccatis aget Triumphum. Videas hos cum in Concione consederint, temerariâ Ministri oratione animari ad explodendos Christi servos, irridenda Monasteria, spernenda jejunia, sanctiones omnes Ecclesiæ toti antiquitati venerandas, pedibus audacter conculcandas. Nihil tam sacrosanctum si in nobis videant, quod non cachinnabuntur; nihil tam divinum ac cœleste, quod aversis vultibus furiosè non contemnant, & quando possunt, etiam contemerent & calcent; si id non licet, stylo vel linguis convellant. Mox verò ut à furiosa tali Philippica aliquantum conquievit Minister, beatos illos prædicabit, fidósque Christo cives, ac regni æterni cohæredes & candidatos salutabit, qui vel Monasteria diripuerint, vel in solemnibus jejuniis carnalia convivia & saltus instruxerint, vel egregiè irriserint, quos in cœlo colimus, Sanctos. Hos ille diabolos, hos idola, & simulacra, hos Ecclesiæ nostræ Deos ore spurcissimo mentietur. Contrà videbis fœminas, quæ ante horam ex adulteris amplexibus surrexerint, blasphemos, Dei hominúmque contemptores, ebriosos, qui à tabernis publicis fumante capite in Concionem se se injecerint: prædicari beatos, vocari *Sanctos*, dici *Electos*, ac Domesticos regni Dei, & quidquid de maximis Sanctis jam in Cœlo coronatis Scripturæ commemorant laudum,

Vera descriptio modi, & argumenti Concionum Hæreticarum.

laudum, atque elogiorum, ea omnia Auditoribus attribui, omnibus honorificentiſſimis titulis conſalutari, & extolli, Cœlum ipſis (qui ne terrâ quidem digni ſunt) manibus propemodum palpandum offerri, velut *granum ſinapis*, & ſi quid grano minus.

Iſti ergo præclari Chriſtiani, veri imitatores Israëlitarum, de quibus Scri-
Pſal. 105. ptura: *Pro nihilo habuerunt terram deſiderabilem;* Terram illam, quam Deus prædixit eſſe violentiâ obtinendam; quo pacto nihili æſtimantes patriam adeo *deſiderabilem*, conformè Hebræorum ingratitudini geſſit ſe hìc Deus: ita ut duobus exceptis, ineundæ illius feliciſſimæ patriæ copiam ac poteſtatem nemini fecerit; non quia Terra illa fuerit NIHILUM, erat quippe lacte & melle manans; ſed quia ſtulti illam pro nihilo æſtimarunt, idcirco Deus ſecundum illorum æſtimationem dedit illis *Nihil*. Quàm *nihili*
Hæretici pro nihilo ducunt cœlum. æſtiment Hæretici Cœlum, ipſi dogmatizant cœlum *ſola fide* aquiri. Verùm quid eſt fides ſine operibus? dico, *nihil*, pro *nihilo* autem qualis merces dabitur
Jac. 2. vel in mundo? *Quid proderit fratres mei, ſi fidem quis dicat ſe habere, opera autem non habeat, numquid poterit eum fides ſalvare?* Poteſt ergo eſſe fides de cœlo, de gloria cœleſti, ad quam etiam diaboli credentes contremiſcunt, & tamen nunquam eò venient. Quare? quia *In*
Gal. 5. *Chriſto JESU* ſalvat *fides, quæ per charitatem operatur*, nec in diabolis, nec in hæreticis invenitur charitas, quam ſi haberent, non dilaniarent Eccleſiam. Quid ergo ſunt ſine charitate? *nihil.* quid
1. Cor. 13. fides ſine charitate? *nihil. Charitatem autem non habuero, nihil ſum.* Ergo homo ſine charitate actuoſa eſt *nihil*: ſi *nihil*, quomodo Electus? quomodo Sanctus? quomodo Regni candidatus, & heres? Unde heres? per fidem, inquis; atqui & fides *nihil* eſt quæ per charitatem non operatur; quid igitur tibi dabitur pro nihilo? nihil. Hoc eſt *Pro*
Pſal. 105. *nihilo habere terram deſiderabilem* non ſolum inutili voto, ſed & temeraria præſumptione. Rectè proinde monet Di-
2. Petr. 1. vus Petrus, Satagendum eſſe, *ut per bona opera certam noſtram vocationem, & electionem* faciamus. Quibus verbis docet imprimis, Chriſti paſſionem ſolam non ſufficere: quippe Chriſti Paſſio non fuit ordinata ad hoc, ut nos eximat à charitate, operatione, ac cooperatione noſtra; quin potiùs ſecundaria Paſſionis intentio fuit, dandi nobis exemplum.
Paſſio Chriſti nudè ſumpta cur non ſufficiat ad ſalutem?

Ut quemadmodum ego feci, inquit Chriſtus, *ita & vos faciatis.* Sic enim in Chriſto nobis fuit neceſſarius non ſolùm *Redemptor*, ſed etiam cœleſtis vitæ *Magiſter*, & dux: cujus gratiam acceptando per fidem, & exempla imitando per charitatem, *certam noſtram vocationem, & electionem* redderemus. In quo ſenſu planè Catholicus S. Petrus, vel certè moderni Catholici veri Petrini. Quodſi enim quæras ab hæretico: Cur tu credis te iturum ad cœlum? reſpondebit: *Scio, cui credidi*, quia per illum deſtinatus ſum ad cœlum. Ubi autem de Te hæc cauſalis eſt in univerſa Scriptura: Quia per illum deſtinatus ſum? At ſi ex Catholico requiras, reſpondebit tibi: Credo quòd per Chriſtum ſalvabor, ſi fide operabor. Unde hoc? Habeo Apoſtolum dicentem: *Per bona opera certam ve-*
2. Petr. 1. *ſtram electionem faciatis;* ergo non per ſolam Dei volitionem, ſed per noſtram pariter cooperationem; ut omnes Scripturæ docent. Lege cap. 25. Matth. & miraberis in judicio examen de operibus inſtitui. Habes ergo prædeſtinationem ex prævìſis ab æterno operibus bonis, non ergo propter *nihilum*; etſi *gratis*, in radice miſerentis gratiæ, non tamen *gratis* in vacuo effectu ejusdem gratiæ. *Non ego, ſed gratia Dei mecum*; illa præveniendo, ego ſequendo, cooperando. Jam ſi tranſitoria bona, qualia terra habet & mare, nemo ſanæ mentis aſſeruit nihilo iſta comparari, ſed pretio, ſed labore: erit his vilius cœlum, erit gloria cœleſtis abjectior, quàm ut pro ea vel pes à terra levetur? Rectè talibus dixit Chriſtus: *Sinapi eſt regnum cœlorum*, h. e. nullius pretii, videlicet in tua opinione. Nolite effici pueri ſenſibus! qui ſibi firmiter perſuadent, ſe ex montis vertice poſſe perticâ attingere cœlum & ſolem, & cum ſtellis ludere; ſed decipiuntur, quomodo & tu. *Simile eſt regnum cœlorum grano ſinapis.*

Joan. 13.

§. II.

2dò, *Parabola tangit credentes, & tamen negligentes in negotio ſalutis.*

Quando ergo dixit hoc Chriſtus, in re intellexit, quòd nimirum quocunque penicillò deſcribatur Cœlũ, & ſub quibuscunque argumentis proponatur, ſemper aliquid majus eſt virtute, uti ſinapi: ſed quòd ſub velo unius *grani* dixerit, neſcio, an ad confundendam falſorum Chriſtianorum opinionem, an verò ad caſtigandam excitandámque ignaviam noſtram tali ſimilitudine uſus ſit? quippe quibus perſua-

persuasum est gloriam illam propemodum infinitam exiguis operibus comparari posse, tamen illa negligere, quænam major dementia cogitari possit, nescio. Matth. 25. Repetite memoriâ ex Evangeliis, sententiâ Judicis ideo salvandos aliquos, quia Christum in esuriente pavissent, & nudum cooperuissent, & infirmum consolati fuissent: quod ampliùs, etiam potu frigidæ cœlum aquiri posse contestatus. Quis detestabilius agit, an qui negat his operibus valorem ullum apud Deum, & ideo nec satagit operari talia? an is, qui valorem & meritum concedit, & cœlestibus digna meritis operari non curat? Dicetis, qui negat; at ego dico, qui concedit, & non facit; quia Luc. 12. *Servus sciens voluntatem Domini sui, & non faciens, vapulabit multis;* posteriores enim nôrunt, quid prosit, & negligunt. Hoc sunt mali Christiani. Illos dico, qui pro rebus sæculi transitoriis tanta sæpe fatigia subibunt, & tanta cum voluptate, ut ubi lucrum temporale affulget, etiam noctes exigant insomnes: & pro cœlo ex septem si unam consecraverint diem, celebre obsequium se præstitisse arbitrabuntur. Pessimi Emptores! qui æterna lucra momentaneis laboribus aquirere non curant.

Veritatem hanc somnio illuminemus, quàm verè minimum petat Deus pro maximis, & tamen fatali tepore negligatur. Gen. 40. Pistor Pharaonis de catenis sic somnum suum Josepho explicabat: Explicatur pulcher locus Geneseos, quòd pro Deo minimum præferimus. S. Augustin. *Et ego*, inquit, *vidi somnium, quòd tria canistra farinæ haberem super caput meum, & in uno canistro, quod erat excelsius, portare me omnes cibos, qui sunt arte pistoria.* Animadvertit rem hanc S. Præsul Augustinus: *Duo canistra communibus cibis onusta ferebat*, supremum verò delicato obsonio instructum: quomodo hoc poterat fieri, ut regii panes unico deferrentur canistro, communes duobus? *In superiore erant panes delicati, in aliis erant panes communes. Ecce pro communibus panibus*, pro servorum eduliis *canistrum deputatur duplex*, PRO REGIO UNUM. *Per canistra significantur dies; unicus dies & quidem extremus Regi inserviendo dicatur, duplum verò tempus servili attribuitur servitio.* Ac demum concludit: *Proh quantum mundialibus quærendis impendimus! quàm exiguum, & quidem extremum divinis!* Sic est. Somnium hoc, veritas est omnium ore & more receptissima. Si dandum aliquid est Deo, si unum das, centum sæculo; si semel Deo, millies mundo; si modicum pro anima, pro corpore omnia. Parvum ergo sit istis regnum cœlorum sententiâ Christi: est, inquam, *sicut granum sinapis;* non quòd in se tantum valeat, sed quia tantùm valere audis & intelligis, nec tamen emere laboras. Similitudine rem declare- Simile. mus: Ingrediuntur in tentorium ditissimum aliquod, ubi mera auro texta, pretiosissimáque venduntur; pauperes, & miserrimi agricolæ tanquam de publicè expositis mercibus audent ex Mercatore quærere: Quanti hoc vel illud? ille humanitatis ergo non repellit, sed pretiosissimam rem vili appretiat, non quasi in se tantum valeat, sed quia scit, quòd non possit mendicus illud pretium numerare; & dilaudatis mercibus discedunt. Sic facimus cum Deo, sic Deus nobiscum. Quanta enim audimus de cœlo, & de beatitudine: *Nec oculus vi-* 1. Cor. 15. *dit, nec in cor hominis descenderunt quæ præparavit Deus diligentibus se?* Pretium hujus gloriæ quæris? dicetur tibi, *Grani* unius, scit enim Deus grande aliquid te non posse, parvum non velle; ad emptoris arbitrium & statum accommodat se Christus, quando dicit: *Simile est regnum cœlorum grano sinapis.* Omnis generis homines veniunt, accedunt huc, Barbari, & Gentiles quærunt: Quid valeat cœlum? minimum, Fidem. *Accedentem ad Deum oportet* Hebr. 11. *credere. quia est;* & nec Fidem vult præstare; quid minus poterat Deus petere? Imbutus legibus & agnitione Dei accedit, & quærit: Quid valet cœlum? & respondetur: Parum; *Diliges Do-* Matth. 22. *minum Deum tuum ex toto corde tuo.* Quid minus poterat petere, quàm amorem, quàm charitatem, quam si mundo, & rebus sæpe nocivis impendere tanta cum intensione potestis, cur non Deo? Accedit Avarus, & quærit: Quanti? & dicitur illi: *Date, & dabitur vobis.* Matth. 7. Nec limitat quid? quantum? & tamen non emitur. Accedit Iracundus, & cupidus vindictæ; si gloria, si zelus illius spectetur, putabis ab illo cœlum expugnandum; & pro pretio cœli aliud non petitur, quàm: ad cœlum visire? *Va-* Ibid. *de priùs reconciliari fratri tuo;* non emit. Omnes denique afflicti convolant ad Dei tentorium, & audiunt pretium gloriæ illius: *Sustine, & Abstine;* & nec sustinent, nec abstinent. Nunc vide, si non similitudine *Grani* omnes hos adumbrârit Christus, quibus pro qualitate & diversi-

diversitate affectuum regnum nobilissimum exiguô appretiat; *Illúdque quod sanguine debuerant, grano emere recusant.*

§. III.

3tiò. *Tangit Sanctos: qui dum magna agunt, nihil cælo dignum se agere fatentur.*

O! granum pretiosissimum, quod valet unum regnum! Ego *3tiò* existimo Christum voluisse declarare hâc Parabolâ suum, & aliorum judicium, qui amore justitiæ quidquid magni faciunt vel patiuntur pro illo Regno, tamen opinione suâ quasi nihil se fecisse existimant, ac pro supernæ Patriæ gloria Granum se addidisse credunt: *Cùm feceritis omnia, dicite: Servi inutiles sumus;* cum dedimus sudorem, cum sanguinem, *granum* dedimus; dedimus momentum pro æterno, lutum pro auro, calicem aquæ pro regno. Hujusmodi sunt cum primis magni illi cœlestis gloriæ æstimatores, fortissimi Martyres, qui opes, fortunas, sanguinem pro hac margarita impenderunt, & ut illâ potirentur, cum nullis parcerent laboribus, non fortunarum jacturas, non honoris, non vitæ pericula declinarent, nihil tamen se præstitisse arbitrati sunt; omnia quæ agebant, patiebantúrque, quanquam opinione Christi magna essent, infra amorem Christi, dignitatémque coronæ ducebant, pro qua dimicabant. Tales sunt viri. & mulieres misericordiarum, quarum domus est ærarium pauperum, portus peregrinorum, vestiarium nudorum, quorum panis & vestitus æqualiter cum pauperibus distributus. Si quis misericordes istos alloquatur: *Ut quid perditio hæc?* Nihil se dedisse existimabunt, quod ad regni Dei pretium faciat, quod nullis profusionibus compensari posse cognoscunt. Et prudenter faciunt, donec enim regnum illud venale prostat, quomodo possunt, sibi comparant; & terrena pretia, quibus aliunde brevi morte exuentur, raptim in gloriæ pretia comportant. Tales sunt præstantissimæ illæ Virgines, Regum & Principum filiæ, quæ viventes mortuæ mundo, parentibus, patriâ, deliciis voluntariè desertis, religionis solitudinem colunt, *Ut quid perditio hæc?* Respondebunt: Ancillæ *inutiles sumus.* Nihil hæc comparatione cœli, nihil jejunia: fames, cilicia, velum, silentium quid sunt nisi *Granum sinapis?* Pereat granum, ut ematur regnum. Quis recuset impendere momentum, ut lucretur æternum? Huc spectant turbæ illæ Pauperum, qui nec hoc quidem habent, unde cœlum emant. Quomodo ergo vos intrabitis in regnum? quibus scalis ascendetis? Ecce divites, ecce viri misericordiarum & fœminæ ante vos ascendunt aureis, & argenteis gradibus; vos ergo in terra remanebitis? Aliud non reponent, quàm Christi dictum: *Simile est regnum cælorum grano sinapis*, quod si conteritur, tum primum virtutem suam in contritione ostendit: Nos sumus peripsema mundi, angulus in quem sputa jaciuntur, risuum & contumeliarum scopus; nos illa *grana sinapis;* nihil agimus, multa toleramus, cor contritum Deus non despicies! Sperate bene! veniet tempus, cùm in contritione suam virtutem exerent grana patientiæ vestræ, quæ magnam habent apud Deum remunerationem. Recordamini gesti fidelissimi servitii in domo Laban? Septenniô primô mandatam sibi laboriosam ovium Præposituram exegit inter infestos lupos ac bestias, frigorum pruinas, cœli inimicos imbres, accedentibus etiam domesticis barbari hospitis injuriis: tamen ista omnia adeo sereno pertulit animo, ut quoties in ejus oculos fortè Rachelis forma incurreret, nihil se præstitisse videretur, amoris magnitudine, pondus fatigii superante. Verorum imago Christianorum Jacobus est, quemadmodum Rachel, cœlestis pro qua servimus, Gloriæ Icon. Jam si unius Puellæ venustas per intervallum oculis usurpata facit laborum contemptorem animum, & injuriarum immemorem: si illius forma fuit amanti in fame mel, in frigore paludamentum, mediis in injuriis gratissima musica, denique ad novi Septennii servitutem authoramentum & invitatio efficax: quomodo nos par erit pro illa Gloria, quæ finem non habet, armari? Quare si quando tenuissima lux, ac radius illius felicitatis in cor Christianum se penetrabit, interroga tum ex illo: Heus bone! quot annos serviviſti Deo tuo pro regno ejus? Ut quid hæc in vultu macies, hic pallor jejunii? quid in membris, ac vestibus sordes istæ? Quodnam illud callum in genibus, tam crebrò devolutæ per ora lachrymæ, singultus, suspiria? Aliud humilitatis spiritu non dicet, quàm: *Servi inutiles sumus.* Si enim gloria cœlestis est, in qua *videbitur Deus Deorum in Sion*, pro Deo vel semel videndo dignum est, ut corpus hoc pereat.

Luc. 17.

Exemplo Jacob servientis pro sua Rachele.

Cœlestis gloriæ definitione conglobata.

at. Si gloria cœlestis est vera Patria, pro ea deseratur mortale hoc exilium; si illa gloria est Societas beatissima, & tot Angelorum consortium jucundissimum, qui nos expectant quantocyus sibi conjungi individuæ pacis affectu; dignum est, ut omnes catenæ mundi dirumpantur, quæ nos à tantis retinent gaudiis; si denique gloriâ cœlestis est Æternitas omnium bonorum cumulo perfecta, dignum est, momentum pro æterno, fluctuans pro stabili, granum pro Regno perdi, omniáque quæ temporum limitantur spatiis, æternitati consecrari.

Sub velo Parabolæ veritas tribus hominum generibus inũnuata.

Quæ cùm ita sint; æquum est Auditores Christiani, nos maximi facere, Gloriam cœlestem, ad quam vocamur, nihilque periculi sive agendo, sive patiendo declinare, quo tantum Imperium nostrum efficere possimus. Quare ex allata Parabola succum veritatis in usus vestros singuli derivetis opertet. Et *imò* qui dicunt ex sola prædefinitione Dei independenter ab operibus dari regnum cœlorum, discant ab hoc die nihil orare, si enim est electus, in quem finem petit: *Adveniat regnum tuum* quod jam in manibus habet? frustra petit, si est reprobatus. Sed tamen oras petendo regnum cœlorum. Insipiens es, si illud Regnum *nihilo* petis; *ex nihilo nihil fit.* Da Fidem, junge observationem mandatorum Dei, & habebis. *2dò.* Discant alii qui ista credunt, digna operari pro cœlo & salute; vel sunt peccatores: faciant fructus dignos pœnitentiæ; vel Sancti sunt, *Sanctificentur adhuc*, ut occurrant Christo in sanctitate, & justitia. *3tiò.* Demùm discant, qui ad summa & maxima resoluti sunt pro Deo, agendo & patiendo sic omnia reputare, tanquam nihil cœlo, nihil coronâ, nihil immortali Regno dignum obtulissent; ita fiet, ut verè Cœlum fiat nobis *granum sinapis*, ut facilitate, jucunditate tanta, uno grano lucremur Regnum. Ad hoc nihilum nostro malo judicio, sed ponderè sanctuarii maximum, nos minimos sublevet Dei OPT. MAX. Clementia.

Cui honor, & imperium in sæcula.

AMEN.

IN EADEM DOMINICA
SERMO III.

Simile est regnum cælorum grano sinapis. Matth. 13.

SUMMARIUM.

Concio est de mediis, quibus res Christiana crevit ex parva in magnam:

I. *Sanctitate doctrinæ, & Prædicatione.*
II. *Virtute Signorum.*
III. *Fortitudine Martyrum.*
IV. *Fidelium vitâ, & exemplis optimis.*

QUoties apud animum meum perpendo grani hujus *Sinapis*, Ecclesiæ inquam Catholicæ celeres, & admirabiles progressiones, quæ vixdum nata, innumerabiles mox professores nacta, toto cœpit terrarum orbe claréscere; sic, ut *Doctor Gentium* datis ad Romanos Octavo & quinquagesimo, & ad Colossenses sexagesimo post Salvatorem natum Anno, eorum fidem asserat toto terrarum orbe notam, prædicatámque fuisse: planè sapientissimam Gamalielis sententiam probo, laudibúsque effero consilium Judæorum Senatui ab ipso propositum, quo suadebat, manus ab Apostolorum sanguine temperandas esse, nihilque adversi inferendum: *Quoniam*, inquit, *si est ex hominibus consilium hoc, aut opus, dissolvetur; si verò ex Deo est, non poteritis dissolvere illud, ne fortè & Deo repugnare inveniamini.* Consilium quàm plausibile, tam sanctum & verum. *Quis restitit* (inquit Job) *Deo, & pacem habuit?* Quisquis æterna Dei consilia & opera solvere nisus est, aliud non egit, quàm saxum grande, quo demum obruatur, fodicavit, & interitu suo docuit: *Non esse sapientiam, non esse consilium contra Dominum*, ejúsque voluntatem contra omnia humana molimina triumphare. Quid enim Ecclesia Catholica aliud fuit, quàm *Consilium*, & *opus ex Deo?* Quid aliud, quàm imperium

Act. 5. 38

Prov. 21. 30.

Christiana Ecclesia est *Opus*, & *Consilium ex Deo* Ideo stabilis.

ſpirituale, *ſuper fundamentum Apoſtolorum, & Prophetarum, ipſo ſummo angulari, lapide Chriſto JESU*, tantò terreno regno altius ac ſublimius, quantò cœleſtia terrenis, & æterna perituris antecellunt. Hoc fuit illud Granum principio omnium ſeminum minimum; quid enim contemptiùs ſtylo mundi, quàm fides in Crucifixum? Quid minus, quàm XII. Articuli Symboli, ad illas Philoſophorum, mundique Sapientum plauſibiles doctrinas, ac placita? Ad inveteratas orbis terrarum ſuperſtitiones ullâne magis nova, ac hoſpes potuit apparere doctrina, quàm quæ adſtruebat Deum *Unum in eſſentia, Trinum in Perſonis*; & Filium, Deum verum, de Deo vero, pro ſalute noſtra Incarnatum, ac mortuum? Sic percurrendo omnia Catholicæ fidei Sacramenta, Evangeliique doctrinas, quales ſunt de pudicitia, de dilectione inimicorum, de humilitate: non ſolum quòd iſta præter genium, & contra ſtylum humanarum opinionum prædicarentur, ſed quòd adverſantibus toto orbe ſæculi potentibus, inter tormenta Principum, tantum abeſt ut Fides minueretur, ut etiam multipliciore ſegete veſtiretur ager Dominicus, cùm ſanguine Martyrum rigabatur, ſic, ut exigua illa fidei grana, quæ ſingula cadebant, multiplicata naſcerentur, creſcerèntque in ſublimem proceriſſimámque arborem ramis ſuis totum terrarum orbem complexuram; paulóque pòſt Piſcatore prædicante ſe Chriſto ſubderent *Oratores*, *per quos crederent & Imperatores*. Sanè tam felicibus Eccleſiæ, lætisque progreſſionibus acclamare compellor: *Digitus Dei eſt hìc!* atque ipſam Chriſtianam fidem ſiquis breviſſimâ definire velit periodo, ſecurè cum Gamalièle dicat, *Eſſe conſilium, & opus ex Deo*. Quâ verò Providentiæ ratione, quibúsque mediis res Chriſtiana ex parva excreverit in molem tam auguſtam, ac ſtupendam; & quônam fatô (id quod ſine dolore dicere non poſſumus) poſtremis hiſce Sæculis rurſum imminuta, ſplendoris, ac majeſtatis amiſerit plurimum; & qua ratione reſtituenda, erigendáque ſit: hodierni Sermonis ampliſſimum erit argumentum; dum & Vos, quorum maximè id intereſt, quâ ſoletis benevolentiâ dicentem complectamini; quidquámne per vos in emolumenta, aut in rei Chriſtianæ ruinas derivatum ſit, diligentiſſimè ex his, quæ dicturus ſum, vobiſcum reputate; ego ſuppeditabo themata, vos conſcientiam introſpicite veſtram.

PARS PRIMA.

Eccleſia ex origine parva, in ampliſſimam quibus mediis creverit?

Uni Nilo flumini laudi dabat Poëta, nulli adhuc contigiſſe mortalium, ad ejus fontem, ac originem pervenire, ut eam vadô tranſmitteret: *Nulli licuit parvum te, Nile, videre.* Cæterarum omnium rerum, etiam quæ ad eam poſtea ſublimitatem pervenerunt, ut quò jam creſcere poſſent, non haberent; incunabula ac origines fuiſſe exiguas, temporisque progreſſu videmus magnitudinis ſuæ metas attigiſſe. Ita de Urbe Roma Poëta:

Parva quidem, ſi prima loci fundamina ſpectes, Ovid. in Faſt.
ROMA, ſed in parva ſpes tamen hujus erat:

Quæ poſtea *Conſiliô & Patientiâ* orbem ſubegit, & vicit. Quibus poſtremis his duobus terreni Imperii acquiſiti mediis, *Conſilio* inquam, *& Patientiâ* Sacris literis indicatâ, quibus Romani creverunt ad ſumma omnia: congruentiſſimè quæri hic poſſe arbitror, quænam illa potiſſimum Media extiterint, quibus res Chriſtiana non ſolum ſtetit, utpote *conſilium, & opus ex Deo*, ſed etiam incredibili felicitate aucta poſtea progreſſáque terrarum orbem fidei jugo ſubjecit. Iſtud verò an effecit potentiâ? an homines nobilitate traxit, aut divitiis? Quibus Oratoribus, atque Legatis res tantæ perſuaſæ? Quot Exercitibus, & quibus armis gentes multitudine innumerabiles, feritate barbaræ, ac remotiſſimæ ſubactæ ſint? Reſpondet Apoſtolus: *Videte Vocationem veſtram fratres!* 1. Cor. 1. 26. *quia non multi ſapientes ſecundùm carnem, non multi potentes, non multi nobiles, ſed quæ ſtulta ſunt mundi elegit Deus, & ea quæ non ſunt: ut ea quæ ſunt, deſtrueret; ut non glorietur omnis caro in conſpectu ejus.* Servabatur itaque hæc gloria Deo, ut per inermes armati ſuperarentur, ut cum intuerentur Piſcatorum oratione flecti Reges, credere Philoſophos: eam vim non homini tribuerent, ſed divinis adſcriberent triumphis, & doctrinæ de cœlo allatæ ſanctitati, de qua nobis ſermo. Itaque 1. Mach. 8. 3.

§. I.

Sanctitate doctrinæ, ejúsque prædicatione.

Primum medium propagatæ fidei ſtatuo, *Doctrinæ ſanctitatem, ejúsque prædicationem:* cujus illa vis extitit, ut plerique

plerique omnes apud animum ſuum ponderantes Chriſti doctrinam, Evangelica monita ab Apoſtolis propoſita, eorúmque mirificum ſpiritum, vim, ac ſanctitatem: ad Deum converſi crediderint. Etiam in cœleſtibus Chriſti doctrinis idem uſuvenit, quod Philoſophi ajunt: *Nihil volitum, niſi prægnitum:* doctrinæ illæ occultam ac reconditam habebant quidem in ſe virtutem, jacebant tamen eo uſque, dum accedentibus Credibilitatis motivis ſuam vim, ſanctitatémque exererent in animis; & mox, dum Apoſtolica prædicatione exponebatur fidei Chriſtianæ ad conſequendam ſalutem neceſſitas, ratio Noviſſimorum, vis Sacramentorum immenſa, meritorum Chriſti theſaurus inexhauſtus; dum prædicabatur fuga peccati, contemptus voluptatum, obſervantia divinæ legis, & operum bonorum exercitatio; denique terrenorum vanitas, & futuræ, quam in cœlo ſperamus, gloriæ æterna poſſeſſio: in animos illapſa audientium hæc tantam vim habebant, ut eos ad Chriſti fidem, & amorem converterent. *Annunciavi* (inquit Propheta Regius in perſona Eccleſiæ) *& locutus ſum: multiplicati ſunt ſuper numerum;* tantus quippe adjuvante Domino prædicationis Apoſtolicæ fructus extitit, tanta ubique gentium terrarúmque ad Chriſtianam fidem acceſſio, ut videretur *numerum* ſuperare credentium multitudo, evacuari gehenna, & cœli ſpatia deſertorum Angelorum lapſu evacuata, novis impleri colonis. Tanti fuit ſemper in Eccleſia prædicatio Evangelii, ut quocunque Apoſtolicæ vocis penetraret ſonus (quò autem non penetravit per illos?) ubique portæ Jericho corruerent, ubique fides Chriſti, & per eam virtutum ſeminaria plantarentur.

Lex Domini immaculata convertens animas. Pſ. 18. Debet autem Lex audiri, quia converſio, & ordinaria prædeſtinatio aliquando eſt non lectione, ſed auditu. Pſal. 39, 6.

§. II.

Operatione Miraculorum.

Neque tamen ſola prædicatione res tantæ perſuadebantur: ad ipſius verbi quantumvis cœleſtem vim, ac efficaciam, neceſſaria erant Miracula, & ſigna, dum fidem, quam prædicabant ad ſalutem neceſſariam, etiam prodigia nova maximáque comitarentur, quibus veluti quibusdam ſignaculis regalibus appreſſis *teſtimonia* divina fierent *credibilia nimis. Signa autem eos, qui crediturí ſunt, hæc ſequentur.* Atque ita dum Apoſtolicæ prædicationis veritas cœleſtibus confirmabatur prodigiis, nemo dubitare poterat divinum eſſe, quod docebatur, ad cujus fidei prædicationem mortui ſurgerent, contremiſcerent Dæmonia, depellerentur ægritudines, & ſolo Crucis Chriſti aſpectu fugaretur Infernus. Hæc erat grani iſtius *Sinapis* vis maxima, ac potentiſſima, ut dum hinc doctrinarum non tam novitate, quàm ſanctitate mentes ad Chriſti fidem & amorem pelliceret, inde divina prodigiorum luce terreret dubitantes animos, fiebat, ut innumerabiles populi Chriſti jugo cervices ſubderent, & quô miraculorum fama, eò novi Teſtamenti Arca penetraret ab ortu Solis, ad occaſum.

§. III.

Fortitudine MM.

Sed ego crediderim ad proferendam latiùs Chriſti fidem ac dominatum, plus omnibus miraculis fortitudinem Martyrum contuliſſe; ſimul enim ac granum iſtud ſortiſſimorum ſexûs utriusque Martyrum cæpit ſanguine humectari, ac rigari, tum primum cæpit ſuam exerere potentiam, voce Martyrum clamante in cœlum non vindictam, ſed veniam, atque gratiam, quâ roborarentur amici, converterentur inimici, & ubiq; *ſanguis Martyrum* fieret *ſemen Chriſtianorum*, dum grana, quæ ſingula cadebant, multiplicata renaſcebantur. Nec miremini, ſi ad dilatandam rem Chriſtianam fortitudini Martyrum tribuam plus quàm miraculis; enimverò etſi prodigia nova ac inuſitata vi patrata, in ſpectaculum ſui attonitos excirent populos, atque civitates, ipsâque novitate mentes omnium concuterentur; ſubinde tamen cum animadverterent idiotas, aut de Piſcatorum grege homines repentè eloquentiſſimos, quæ nunquam didicerunt admirabili Sapientiâ ediſſerere, & quod ſtupendum, tot linguis, quot aderant nationes, divina eloqui Sacramenta: mirari primùm; tum nonnemo de turba vociferari, eos ſibi *muſto plenos* videri: unum ſæpe ejusmodi dicterium efficiebat apud infidos obſtinatósque animos, ut miracula in ludos verterentur; ſeu cum ſpectarent efferatos Leones, Pardos, Tygres Martyrum plantas adorare, ac lambere, flammis illæſos exire, ferratos carcerum poſtes patefieri, ſexcentáque id genus prodigia oculis ſubjecta conſpicerent: ea Dæmonum viribus tribuebant; quemadmodum Judæi criminabantur *muſto plenos* Chriſti diſcipulos, qui Sancto Spiritu fervebant, & ardebant; at verò cum Martyribus res

contrà accidit: cùm enim fortissimorum Christi pugilum cernerent in tormentis magnanimitatem, in injuriis tolerantiam, opum vitæque contemptum, & admirabilem in cruciatibus patientiam; cùm viderent eos ipsos pro sceleratissimis Judicibus, & inimicis orantes caput securi subjicere; exclamabant: *Magnus Deus Christianorum!* Grandis potentia Christi! Plurimi beatum prædicabant Ecclesiæ ventrem, qui eos portâsset; & ubera, quæ talem Sobolem lactâssent; nec jam ambigebant eam fidem ut veram amplectendam, sequendámque esse, quæ tantum mundi contemptum, patientiam, charitatem, mansuetudinem suos edoceret cultores, talique lacte educaret, quos beato utero gignebat.

§. IV.

Christianorum vitâ, & exemplis.

Quæ tria jam memorata dilatandæ fidei Christianæ media, plurimùm juvabat ante oculos posita Christianorum vita laudabilis, & exemplaris conversatio; atque imprimis concordia mutua, quâ res quantumlibet parvæ crescunt, quemadmodum discordiâ maximæ dilabuntur; ut quantò magis res Christianorum foris premeretur, tantò inter se plùs unirentur, mutuisque foverentur auxiliis. Dum enim nusquam tutò consistere liceret, & Christianum ad bestias deposceret quisque, spoliaret, occideret: tantò magis charitate mutua colligabantur, ut tempestatibus foris sonantibus, intus pax, & gaudium in Spiritu Sancto cunctorum corda contineret, solaretúrque; tunc etiam mundus iis vilescebat, & martyria spebus omnibus potiora ducebantur; tunc opes, fortunas larga manu in pauperes profundebant, præmittebántque in cœlum, quò & ipsos brevi alicujus de tot Tyrannis gladius transmitteret; tunc admirabili beneficentiâ vigebat hospitalitas in peregrinos, quorum pedes abluere mos erat; tunc utriusque misericordiæ opera maximum capiebant incrementum, ut nonnunquam iis, qui in carcere Christiani concludebantur, etiam gentiles se miscerent, ut lautiùs vincti quàm liberi viverent. Tum denique in solitudinibus, in cryptis admirabili pietate, ac frequentiâ divina frequentabantur mysteria dominici corporis, & sanguinis: cui rei potissimum Regius Psaltes tribuere videtur Ecclesiæ incrementum: *A fructu* (inquit) *frumenti, vini, & olei multiplicati sunt: in pace in idipsum dormiam, & requiescam.* Videre mihi videor, inquit, quasi novellas olivarum in circuitu mensæ ô Deus! fideles tuos pasci frumento illo electorum, & nutriri vino germinante virgines; video illius olei, & chrysmatis, quô eorum frons, humerique ad spirituales conflictus unguntur, cœlestes, planéque divinos effectus! ùt pingueścunt spiritu! ùt foventur! ut roborantur, ùt multiplicantur circa latera Matris Ecclesiæ! propterea *in pace in id ipsum dormiam, & requiescam.* Atque hæc pietas, hæc animorum concordia & charitas, hæc exemplaris Christianorum conversatio convertit inimicos, & fecit amicos sibi & Deo, maximo suo cœlique lucro; hæc orbem terræ convertit, hæc bono Christi odore attraxit Principes, hæc Templa populis frequentibus, Asceteria Virginibus, cœlos Sanctorum catervis fœcundavit, hæc denique militantem Ecclesiam toto terrarum orbe provexit, dilatavit: cujus in ramis terrâ marique diffusis omnes cœli volucres congregarentur, & quàm latè, tam lætè habitarent. *Simile est regnum cœlorum grano sinapis.* O admirabilem potentiam Fidei!

Charitate Misericordiâ,

Sacramentorum frequentatione.

Psal. 4. 9.

PARS SECUNDA.

SUMMARIUM.

De mediis, quibus postea res Christiana à prisca majestate decrevit.

I. *Ipsâ multitudine, ex sententia Chrysostomi, & PP.*
II. *Et mediorum primitivæ Ecclesiæ negligentiâ.*
III. *Quorum restitutione iterum erigenda.*

§. I.

Ipsa Multitudo fuit nociva Ecclesiæ.

NImirum bono Christi odore cuncti trahimur, & nunquam satis laudatis veterum Christianorum exemplis attractæ sunt gentes omnes, & colla volentes Christi jugo subjecerunt; postea verò inimico zizania superseminante (quod sine dolore commemorare non possumus) sine mutuis

tuis odiis, ac certaminibus, sive enascentibus scandalis amicos perdidimus, & inimicorum linguas in nostras cervices armavimus; atque ipsa *Ecclesia* (quod S. Hieron. D. Hieronymus ait) *postquam ad Christianos Principes devenit, divitiis quidem & potentiâ* MAJOR, *virtutibus* MINOR *effecta est*, & quod magnis ædificiis accidit, ipsa sui magnitudine oppressa pene sepultaque est; ut postremis his sæculis videri possit in Ecclesiæ casu Prophetia Bar. 2. 29. Baruch impleta: *Si non audieritis vocem meam*, MULTITUDO HÆC MAGNA *convertetur* IN MINIMAM. Circumspicite adhuc fumantes è Turcarum, Hæreticorúmque incendiis Ecclesiæ *Mariano-Apostolicæ* reliquias, destructas Basilicas, expilata Templa, deleta funditus Asceteria, dilapidata Sacerdotia, Catholicum nomen passim risui habitum, omnium pedibus proculcatum, omnium scriptis, linguis, gladiis proscissum; ut propemodum Regni flos ille, ac Religionis majestas extincta videri potuerit, ac delecta. *Multitudo hæc magna convertetur in minimam.* Domesticæ ruinæ, satis supérque oculis expositæ, ac nimis quàm illustres, obliviscí me faciunt, quæ cæteræ Christianorum nationes accepêre, detrimenta. *Quomodo obscuratum est aurum?* Grandis quæstio, *Quomodo?*

Illustratur argumentum pluribus Scripturæ locis.

Ad propheticam interrogationem, *Quomodo* inquam res Christiana ex magna in parvam subita mutatione decreverit? dico: Ipsam credentium multitudinem fuisse nocumento Ecclesiæ; id quod colligo ex ipsa Regii Psaltis sententia, unde paulo ante ad Ecclesiæ gloriosam fæcunditatem argumentum mutuabar: nunc jam compellor hei mihi! eam ipsam sententiam profundius rimari, & regiam cytharam convertere in luctum. Psal. 39. 6. Sic enim dicebat exspersona S. Petri: *Annunciavi, & locutus sum: multiplicati sunt* SUPER NUMERUM. Quasi dicat: Ad Evangelicæ prædicationis sonitum tam multos intrâsse, ut pene *Numerum* superârint, quoniam *Multi sunt vocati, pauci verò electi.* Itaque intrârunt multi, qui non pertinebant ad *numerum* ut ut Christianum nomen portarent, gerentque, officium nominis non implebant; & ideo ab Ecclesiæ Patribus appellati fuêre *Supernumerarii Christiani*: quibus adeo non erat propositum Christum sequi ducem, & obligationi professionis correspondere, ut contenti nudum profiteri nomen Christianum (ne ab amicis pagani vocitarentur) indigna tanto nomine gererent. *Christian supernumerarii!* Atque ita factum, ut quemadmodum Apostolico reti ac sagenâ concludebantur pisces boni, & mali; sic Ecclesiam dum intrabat multitudo, ac tanta varietas populorum, copiâ ipsâ gravari cœpit, confluxúsq; ad aliud non servivit, quàm ut multitudine oneraretur potius, quàm ornaretur. Id quod Isaias adeò luculentè præmonuit alloquens Ecclesiam Romanam: *Multiplicâsti gentem, non magnificâsti lætitiam;* Isai. 9. 3. lætitiam quippe pariunt boni, quantumvis paucí; ex indomitis, quò fuerint plures, tantò major (sicut in Exercitu) perturbatio, & confusio disciplinæ. Quæ causa fuit Exercituum Domino alloquendi Gedeonem ante pugnam, & dicendi: quodsi cuperet vincere Madian, sub signis suis ne multum scriberet militem, sed paucos delígeret, & fortissimos: *Multus tecum est populus, nec tradetur* Judic. 7. 2. *Madian in manus ejus.* Idem mihi tecum hodie sermo, ô Ecclesia Romana, Apostolica! Duobus abhinc sæculis sectatorum tuorum ignorâsti numerum; ab ortu solis, & occasu clavos tentorii tetendisti innumerabili multitudine tuis imperiis militante; sed cùm ea tantum abest, ut *Madian* tuis manibus traderetur, palmámque ex Generis nostri Tyranno Diabolo plenam reportares, ut ab his fœdere potius cum hoste inito, conversis in te armis perfidiæ, prius nudarêre Provinciis & Regnis, quàm vires colligere posses, & lacera signa reparare. Quid enim animo providebas, cum cerneres multitudinem hanc tantam *supernumerariorum Christianorum*, non moribus, non disciplinâ domitam, Christianó sub nomine carni & sanguini militantem? enimverò tam isti parum quærebant Deum, quàm Te; præstolabantur dudum auram aliquam votis suis propitiam, ac faventem, quæ cineribus diffiatis sopitos animaret ignes carnalis libertatis, quam tu comprimebas; circumspiciebant nempe hominem, qui per mundum damnata tolleret signa *Libertatis*, & à votis, jejuniis, pœnitentiâ populis exósa, ad pileum vocaret! Stabant accincti Magnates illi frigidi ad rapinas Bonorú Ecclesiæ, parati ad connubia Sacerdotes, pronæ ad leges convellendas Civitates, vulgus ad res novas moliendas satis naturâ comparatum, duces, qui ipsis in Ægyptum redituris facem ex olleret, quærebant; nihil tam sacrum, tam pium, quod ipsos à captis deduceret consiliis;

Christiani supernumerarii quinam?

filiis; non Ecclesiæ Matris Imperium, ac reverentiam, non sacro-sanctam legum auctoritatem, non prodigia & miracula, non salutem propriam, non cœlum, non Christum (*nomen, quod est super omne nomen*) eos retenturum, ne se, & secum tot animas in præcipitia lapsu non reparando devolvant. Quis inquam, ad tam funesta superioris ætatis spectacula animi tui sensus extitit? *Verè multiplicâsti gentem, non magnificâsti lætitiam.* Occurrebat enimverò animo Apostolus Joannes genas Ecclesiæ lachrymantes ita consolans: *Ex nobis exiërunt, sed non erant ex nobis.* Addebat Augustinus: *Et sunt* (inquit) *qui intus sic sunt in corpore D. N. J. C. (quandoquidem adhuc curatur corpus ipsius, & sanitas perfecta non erit, nisi in resurrectione mortuorum) sic inquam sunt in corpore Christi, quomodo* HUMORES MALI; *quando evomuntur, tunc relevatur corpus: sic & mali* QUANDO EXEUNT, TUNC ECCLESIA RELEVATUR, *& dicit quando eos evomit, atque projicit corpus: Ex me exierunt humores isti, sed non erant ex me. Quid est, non erant ex me? Non de carne mea præcisi sunt, sed* PECTUS MIHI PREMEBANT, CUM INESSENT. Congruit & Beatus Chrysostomus: *Multitudo* (inquit ille) *hoc facit in Ecclesia, quod multitudo sanguinis in corpore; sanguis licèt sit sanus in nobis, sæpe tamen multitudine atque copiâ morbum attulit; si autem modicus sit, & non sanus, facilè compesci potest. Et quemadmodum purificatur corpus per emissionem superflui sanguinis: sic Ecclesia per egressionem Hæreticorum.* Quid divinius?

Et SS. Patrum auctoritatibus confirmatur.

1. Jo. 2. 19.

S. Aug. Tr. 3. in Joan.

Egressu Hæreticorum relevatur Ecclesia.

S. Chrysost. Homil. 43. in Act.

Quo in genere, si placet, auream ejusdem Chrysostomi sententiam premamus. *Ab hoc scilicet, inquit, omnia subversa sunt, omnia sursum deorsum facta sunt; quia, quemadmodum in spectaculis, multitudinem desideramus, non multitudinem probatam. Quid enim turba, dic mihi, potest prodesse? Multitudo, dilecte, quando voluntatem Domini non facit, nihil differt ab his, qui non sunt. Non videtis, quòd in Regno pauci, & in Gehenna multi? Quæ utilitas ex plurimis? nihil aliud nobis afferent, quàm pœnam tunc, & in præsenti tempore ignominiam; nullus enim, quòd multi sumus dicet, sed cuncti arguent nos, tanquam inutiles.* Ex quibus SS. Patrum dictis colligimus: Multitudinem, quæ ordinem ac disciplinam non fert, quemadmodum efficere non posse Ecclesiam clamus.

Hom. S. in Act. Ap.

Multitudo onerat, non ornat Ecclesiam.

ram, ac magnam; tantúmque abest, ut illi honori sit, ut potius multorum ignaviâ ac vitiis etiam bonorum decus, & fama periclitetur: sic adeo dolendum non esse, cùm Hæreticos egredi de Ecclesia cernimus, ut pene gratulandum sit, eorum (qui cùm inessent, pectus Ecclesiæ premebant) excessu & copiâ Ecclesiam relevari, quique vitæ turpitudine etiam in Ecclesiæ sinu damnati fuissent; sponte egredi ad hostes, & quem apud nos occultabant animum, apud eos palàm profiteri. Quocirca sicut offendi nemo debet, si videat talium hominum eruptione ac fugâ rem Christianam in angustum redactam, amissas Provincias, Regna perdita, Reges, Principes, populos & nationes Romani nominis odio ardentes: quia non alii, quàm qui etiam apud nos damnati fuissent, egressi sunt; sic *Reformationem* si videat ex hujusmodi fugitivis quotidie increscentem, magnam Europæ partem opinione citius impleviisse, ac hodiedum perditos filios Matri insultare Ecclesiæ; scandalizari in eo debere neminem, qui suprà dicta secum recoluerit; *Non videtis* (repeto verba Chrysostomi) *quòd in Regno pauci, in Gehenna multi?* Enimverò quemadmodum nemo est, qui miretur molare saxum de sublimi loco impulsum celeritate summa delabi in ima, omniáque obstacula perrumpere, quò citius infima hæc attingat; per hoc quippe ostendit, violente se in sublimibus mansisse, congruámque origini suæ quietem in infimis quæsiviisse: sic *Reformationem* tanta celeritate terrâ marique provectam mirari desinemus, si ad vexilla carnali Libertati auctorata rapiebat universos impetus ac furor, ut prono in carnem & ventrem genio de sublimi Christianæ sanctitatis culmine deferrentur præcipites, libidinésque suas colore religioso palliarent.

Subita incrementa Religionū novarum, quantum sit miraculum cendum

simile.

§. II.

De Hæresibus, per earum auctores qualis introducta Reformatio?

Etenim ex quo *Reformationis* nòmen apud me expendere cæpi, sic mecum ratiocinabar: Quodsi spiritu Dei reformatio facienda erat, subindéque intueremur eos cœtus hominum, qui conversationi nostræ nuncium remiserunt, intactis omnibus, inconcussisque Fidei dogmatibus, iis tanquam immobili petræ superædificâsse raram quandam innocentiam, sanctitatem, morésque priscis illis Christianorum temporibus haud indignos; si in iis daretur intueri sæculo

etiam

etiam noſtro majorem continentiam, ſeveriorem jejuniorum diſciplinam, obedientiam erga legitimos Paſtores, reverentiam, ſubjectionémque Eccleſiæ Sacro-ſanctis legibus; ſi cerneremus apud eos religioſiorem feſtorum cultum, Sacramentorum frequentiam, ſatisfactionum pro delictis priſcam ſeveritatem, in Religioſis votorum, Canonúmque in Sacerdotibus ac Prælatis exactiorem obſervantiam: iſta inquam videntibus non minus pronum eſſet ad Deum ob talia laudandum erumpere, quàm Patriarchæ Jacobo ſcalas in cœlum propenſas intuenti, oriebatur admiratio: *Verè Deus eſt in loco iſto!* cogitare facilè poſſemus, iſtorum hominum probitate priſcam nobis Eccleſiam reſtitutam; ſed tantum abeſt, ut ab iſta *Reformatione* ſperemus majeſtatem veteris Eccleſiæ, ac ſplendorem nobis reſtitutum, ut boni iſti homines, qui Evangelia crepant, diverſa omnia ab Evangelio actitent; nihil tam pium, quod non cachinnis dudùm exploſerint; nihil tam vetus, tam ſacrofanctum, quod non impugnaverint; nihil tam firmum, tam æternùm, ac Patrum veſtigiis conſecratum, unde infinito intervallo non diſceſſerint, cum prodigo illo nimium *peregrè profecti*. Et hósne tales ſive cum ex Eccleſia erupêre, ſive cum vocati non redeunt, manere in carnali libertate obſtinatos admirabimur? ſtupebitisne eorum multitudinem? *Multitudo dilecte, quando voluntatem Domini non facit, nihil differt ab his, qui non ſunt. Non videtis, quòd in Regno pauci, in Gehenna multi?*

S. Chryſoſt. ſupra cit.

Quàm aliis toto cœlo mediis primitiva crevit Eccleſia.

Proh quàm aliter, multóque divertis præſidiis primitiva illa Eccleſia crevit de parva in magnam! Res Chriſtiana, ut audiſtis, crevit & adhuc creſcit proprium ſanguinem pro juſtitia fundendo: iſti creſcunt alienum effundendo; nobiles illi athletæ Chriſti myſteriorum frequentatione vires ſumebant: iſti horum omnium neglectu aucti ſunt; illis plurimum ad ædificationem contulerunt domeſtica ſanctitatis exempla, atque imprimis concordia & charitas etiam erga inimicos, ut eos efficerent ſibi, Deóque amicos: iſti ad deſerendam Eccleſiam, ſectandámque recentem religionem non charitate tracti ſunt, ſed carnalitate impulſi; apud illos veteris diſciplinæ ſeveritas, ac ſanctitas facilè idololatris perſuaſit, in medio eorum Deum eſſe, ſolúmque Chriſtianorum Deum tantorum parentem, auctorémque bonorum colendum eſſe, ſpretis aliis Diis, qui nomen habent, & non ſunt: iſti verò, cùm inter Barbarorum arma & incendia conticeſcerent leges, captis Epiſcopis, occiſis Prælatis, laxatâ diſciplinâ, frænisque timoris divini ſolutis viam quæ mollior, ſenſibúsque blandior ſe inſinuabat, ſecuti, brevi intervallo ſupra modum aucti ſunt; denique quod omnium caput eſt, Eccleſia Romana Apoſtolorum veris, maximisque ſudoribus excrevit converſione Paganorum, è barbararum nationum lapidibus filios Abrahæ, Spiritu Sancto cooperante formavit, ac genuit Chriſto: quis verò novi Evangelii præcones aliquando audivit navigâſſe in Africam, aut Indiam Chriſto lucrifeciſſe? videlicet quibus propoſitum erat ſtantes dejicere, non erigere jacentes; alienas diripere Eccleſias, non ſtatuere ſuas, & quod de Cuculo proverbio dicitur: *In alieno nido ova ponere.*

PARS TERTIA.

§ I.

Per eadem media, quorum defectu facti ſunt mali Chriſtiani, oportet ut efficiantur boni, ac tali nomine digni.

Ex his ut arbitror, habetis AA. Chriſtiani, quibus potiſſimùm viis res Chriſtiana à priſca majeſtate decreverit; unde vel me tacente concludetis ipſi (quod tertium Orationis caput erat) Eccleſiam Dei, quorum mediorum defectu paulatim collapſa eſt, iisdem poſtliminio erigendam eſſe, conſervandámque. Vidiſtis Eccleſiæ naſcentis initia lætiſſima; vidiſtis ab ipſis tormentis magis roboratam, ac veluti palmam perſecutionibus latiùs magnificentiúsque dilatatam, & omnigenis auctam virtutibus, nepotibus, filiis, progenieque lætiſſima coronatam. Hi erant fructus illius pacis, concordiæ, charitatis mutuæ quâ colligabantur in unum credentium voluntates, & corda; hi erant fructus illius pietatis ad Deum, miſericordiæ etiam ad inimicos, reverentiæ ad Præpoſitos Eccleſiarum, Sacramentorum frequentationis, denique ſanctitatis omnigenique exempli, ad domeſticos, & eos qui foris; ob quæ *Magnificabat eos populus: magis autem augebatur credentium in Domino multitudo virorum, & mulierum.* Act. 5. 13.

Audiſtis eam ipſam Eccleſiam, cùm reddita pace, ad Chriſtianos deveniſſet Principes, fideique nutritios ex perſecu-

toribus obtinuisset : *divitiis quidem & potentia majorem, virtutibus minorem effectam*, sic, ut ipsa fidelium multitudine ac turbâ non tam ornaretur, quàm oneraretur prisca Ecclesiæ fœcunditas. Vidistis sæculis ante oculos vestros positis, detrimenta accepta gravissima; nec ignoratis, initium Hæresibus aperuisse Superbiam paucorum hominum, quibus plus scientiæ, quàm charitatis; Sacerdotum libidines, Magnatum avaritiam, grandem verbi Dei insciti am, divinorum neglectum, Turcarum dominatione omnia sursum deorsum habita; quæ ad detrimenta omnia latos aditus patefecêre. *Salvum me fac Domine* (ad hæc tempora canebat Rex Sanctus) *quoniam defecit Sanctus!* deficientibus quippe exemplaribus necesse est innocentiam populi langueſcere, & ubi non est operarius, succrescere spinas & lolia. *Diminutæ sunt veritates à filiis hominum!* Paulatim facti sumus *Entia diminuta.* Quid ita? Olim Fideles regebantur *Conscientiâ*, divinóque timore tanquam tutore quodàm continebantur in officio Christianæ justitiæ; cœperunt deinde regi *Scientiâ*, quæ desinebat paulatim in prudentiam carnis; ita de Christianis facti sumus Politici, h. e. mera *Entia*, superficietenus, non re & veritate *Christiani. Vana locuti sunt unusquisque ad proximum suum:* sensim in eas propositiones delabendo, quæ etsi periculosæ, tantumnon hæreticæ fuerant, satis tamen fuit Prophetæ dicere, *VANA*; quia non statim spiritu hæretico, verùm politico movebantur ad eà dicenda, jàmque satis ostendebant refrigescentem charitatem, quâ tepente ipsa fides in suis aliorúmque laxabatur pectoribus: dum denique in apertam erumperetur apostasiam, Hæresésque; quibus non aliàs unquam violentiùs, horribiliúsque Ecclesiæ petra concussa est: ut nisi Spiritu Sancto fundata esset, pene excisa conclamatáque *Quamvis non cecidit*, CECIDISSE VIDERI potuerit.

Psal. 11. 1. Olim erant lignei calices, sed aurei Sacerdotes.

Quæ cùm ita sint, vobiscum ipsi facillimè concludetis AA. Christiani, si Ecclesiam, ut filii matrem diligitis; si ejus vulneribus affligimini, ac doletis; concludetis inquam, mediâ illa à Spiritu Sancto primis Christianis infuso ordinata, confirmatáque, ab unoquoque nostrùm vigori primævo restituenda esse, in mores denique consuetudinésque resumendam carnis mortificationem, observantiam præceptorum, verbi Dei reverentiam ac sitim, pietatem, concordiam mutuam, charitatem, frequentationem Sacramentorum, eorúmque grandem æstimationem; vitam denique omnem Evangelio conformem agendam in sanctitate & justitia coram Deo: ut quorum mediorum negligentiâ justo Dei flagello tanta accepit Ecclesiæ status detrimenta, iisdem vigori pristino restitutis postliminio per nos erigatur, conservetúrque, Præstante Domino nostro JESU Christo, qui est benedictus in sæcula. AMEN.

FINIS VOLUMINIS I.

HYEMALIS.

BIBLIOTECA ASTRA SIBIU